


HISTORIA DIDACTICA DE SANCTÆ CRUCIS CULTU ET VENERATIONE IN ORDINE DIVI BENEDICTI.


AUTHORE

P. MAGNOALDO ZIEGELBAUR,
Ord. S. Benedicti Professo in Imperiali Monasterio ad Duplices Aquas.





PERMISSU SUPERIORUM.




VINDOBONÆ
Prostat in Bibliopolio sub Signo Aurei Velleris,
MDCCXLVI.

REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI,
AC
AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO
BENEDICTO
SAIGO,
ORD. S. P. B.
Celeberrimi & Antiquissimi Archi-Cœnobii Sancti Martini in Sacro Monte Pannoniæ
ARCHI-ABBATI,
Nec non Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Consiliario,
DOMINO, DOMINO,
AC
PATRONO
GRATIOSO.

Reverendissime, Perillustris,
ac Amplissime

DOMINE, DOMINE PATRONE GRATIOSE.



Ogitanti mihi, animóque mecum volventi, cuinam Benedictino Præsuli præsens Opus de Cultu Sanctæ Crucis in Ordine Divi Benedicti nuncupandum veniat, continuò menti occurrit, me rectè, nec abs re facturum, si eum potissimùm deligerem Antistitem, cujus eminens dignitas totum opus luce suâ perfunderet, cujus eximia pie-

tas argumento delectaretur, cujusque demum insignis doctrina & eruditio de Scriptione judicium ferre posset. Quàm tria verò hæc ornamenta ad supremum decus Libro conciliandum in Reverendissimâ Dominatione Tuâ mirificè, ad invidiam usque, conveniunt Illustrissime Præsul! Effulges inter Regulares Regni Hungariæ Præsules Archi-Abbatis dignitate, tuæque collationi, quod nemo alius, complures filiales Abbatias habes subjectas. Praees Archi-Abbatiæ, regia munificentia à SS. Hungarorum Rege STEPHANO fundatæ, ex qua ceu cultissimo Seminario primi Hungariæ Antistites, S. Sebastianus, Archiepiscopus Strigoniensis, S. Anastasius Colocensis, S. Maurus Quinque-Ecclesiensis Episcopi, aliarúmque Ecclesiarum Præsules educebantur. Moderaris Archisterium, quod Viris verè Apostolicis erat refertum, quorum opera & auxilio, teste Bonfinio, idem Rex SS. Ungaros in lucem Evangelicæ veritatis asseruit. Emines in Monte S. Martini, ubi olim ducentos simul Ascetas vixisse, vitámque adeò religiosam egisse constat, ut vel ipsa Apostolica Sedes Montem Sanctum in Pannonia *vocare*

non

non addubitet. Monasteria nempe à suorum Monachorum eximia pietate, morum integritate, atque vitæ sanctimonia vocari consueverunt Sancta. *Non homines locis, sed loca hominibus sanctificantur. Consistis igitur Reverendissime Præsul in excelso Archi-Abbatis Regni Hungariæ fastigio, tuæque dignitatis splendore frontem hujus Operis illustras. Quòd si scriptoris humilitas hunc laborem fortasse subobscuret, eundem Reverendissimæ Dominationis Tuæ Archi-Abbatialis amplitudo in luce positura est; unde non leve referet decus ac fulgorem, si minùs genium ac immortalitatem.*

Neque verò ejusdem argumento delectari non potes. Sunt illud Monasteria, Ecclesiæ, & Altaria in Dominicæ Crucis honorem magno numero excitata. Sunt insigniores S. Crucis Particulæ in iisdem locis religiosè asservatæ. Sunt celebriores Crucis salutiferæ Imagines, quas inter locum minimè postremum obtinet CRUX APOSTOLICA, Serenissimis Hungariæ Regibus præferri solita, quam S. Anastasius primus Archi-Abbatiæ Tuæ Antistes, ac postea Co-

locensis Episcopus à Romano Pontifice impetratam unà cum Regia Corona in Hungariam ad D. STEPHANUM Hungarorum id temporis Ducem præter omnem opinionem atque exspectationem apportavit. Sunt sacrosanctæ Crucis Apparitiones Ascetis Benedictinis cœlitùs factæ. Sunt prodigia résque supra naturam ab iisdem Signo S. Crucis editæ. Sunt denique Obsequia devotionis ac pietatis, quibus S. Crucem devenerari in Ordine Benedictino mos fert ac consuetudo. Quî fieri autem potest, ut Tibi Amplissimo Archi-Abbati, S. Crucis devotissimo Cultori, & Amatori harum rerum lectio non jucunda sacræque plena accidat voluptatis?

Jam verò quis rectiùs de Libro, ex veteribus Historiæ Benedictinæ monumentis congesto judicium ferre poterit, atque Tua Dominatio Reverendissima, cujus deliciæ sunt, in iisdem Benedictinæ antiquitatis monumentis evolvendis diu noctúque indefesso labore ac studio versari. Id verò prudentissimè facis, ut ad veterum Benedictinorum instituta Te Tuósque religiosè componas; haud ignarus permagni non esse faciendos

dos

dos illos Cœnobitas, qui tantum à Priſcis illis Benedictinis diſcreti ſunt, quantum, quod proverbio dicitur, Myſorum atque Phrygum termini. Nempe ut Moribus antiquis ſtat res res Romana, virisque, *ita veteris diſciplinæ Monaſticæ obſervantia Ordo viget Benedictinus, priſtinôque in flore conſiſtit. Quantoperè vero hæc Obſervantia, ceu verus & omnium maximè ſincerus S. Crucis cultus, cordi ſit Reverendiſſimæ Dominationi Tuæ, non eſt, ut multis declarem, cùm res ſit univerſo Hungariæ Regno tam aperta tàmque perſpicua, quàm quæ oculis cernuntur. Abeſt à Te longiſſimè, ut cum Cruce tantùm Abbatiali, auro gemmisque coruſcante, glorieris, ſed verò ſacer tuus eſt faſtus & pompa, in Cruce Domini noſtri JEſu Chriſti, id eſt ſtricta exactâque diſciplinæ monaſticæ obſervantia, gloriari. Quâ re factum eſt, ut inclytum Hungariæ Regnum jam dudum Te ceu priſtini, melioris, ac ſanctioris ævi religioſiſſimum, integerrimum, atque diſciplinæ regularis ſtudioſiſſimum Archimandritam, ſuſpiciat, amet, veneretur.*

Quæ

Quæ cùm ita ſint, non video, in cujus Benedictini Præſulis nomine, atque in Tuæ Dominationis Reverendiſiſſimæ multò ſulgentiſſimo, celeberrimo, ornatiſſimóque Opus iſthoc de Cultu Sanctæ Crucis in Ordine D. Benedicti rectiùs appareat. Quam ob rem, Reverendiſſime Archi-Abbas, quâ ſoles humanitate atque benignitate, quod venerationis & devotionis in Te meæ teſtificandæ gratia Tuæ Amplitudini ea qua par eſt, demiſſa reverentia à me offertur, complectere, méque Ampliſſimi Nominis Tui Cultorum numero adſcribe. Deus Tuam Reverendiſſimam Dominationem ad Benedictinæ Religionis decus & incrementum ſoſpitem ac incolumem ſeros in annos conſervet. Ita voveo, ita opto.

Reverendiſſimæ, Perilluſtris,
ac Ampliſſimæ
DOMINATIONIS TUÆ

Humillimus ac Devotiſſimus
P. MAGNOALDUS ZIEGELBAUR.

DISSERTATIO PROEMIALIS.

Nullius, quod sciam, Benedictini Authoris extat aut Liber, aut justus Tractatus, quô cultus, quem Benedictina Familia Sanctæ Cruci exhibere consuevit, deditâ operâ, atque ex instituto pertractatur. Non desunt tamen ex nostris idonei Scriptores, qui de Cruce Dominicâ non cursim aut perfunctoriè egerunt. Ii verò duas in classes comodùm distribui possunt. Alii pro legitimo ejusdem cultu contra iconomachos in arenam descenderunt. Alii, ut fidelium animos ad piam illius venerationem inflammarent, sermones è sacro suggestû pronuntiatos, aliáque scripta in publicam emiserunt lucem. De utriusque pauca dicturi sumus.

Iconomachia, Græcum vocabulum, Latinè sacrarum imaginum, devastatio, apud Græcos suam habuit originem. Hac peste Claudius Taurinensis Episcopus afflatus fuit; cui satis non erat, contra venerandas Imagines & Reliquias stylum acuere; sed, ut error errorem trahit, cultui etiam Dominicæ Crucis bellum indixit. Quâ novâ impietate ipsos etiam Græcos iconomachos superavit. Hi enim tametsi sacrarum cultum Imaginum non ferrent, cum tamen Sanctæ Cruci adhibendum esse docebant. Cujus etiam sententiæ erant, quos in Gallia hujus pestis contagio infecerat. Claudius verò ut longè magis fureret, etiam Dominicæ Cruci cultum abrogavit, quam non honorandam amplius esse, *effutiebat*, quàm asinum, aut spinosam rubum. *Quid? quod ejusdem imagines, quæ rabies erat hæreticì hominis, ex suæ diæceseos ecclesiis ejecerit, confregerit, devastâritque. Ut ne verò insano percitus œstro videretur, si salutiferi li-*

gni

gni venerationem solus impugnaret, alios viros, rerum divinarum intelligentiâ conspicuos, suas in partes ut pertraheret, nulli pepercit operæ ac labori. Florebat id temporis in Gallia singularis doctrinæ atque, eruditionis fama Theodemirus Psalmodiensis Monasterii in Septimaniâ Abbas, ac postea Episcopus. Hunc ut Claudius in bello nefario commilitonem sibi adjungeret, nuncupatione Commentarii in Leviticum ejus sibi animum demereri studuit. Tantum verò abfuit, ut Theodemirus hæreticæ doctrinæ suffragium tulerit, ut etiam omnium primus fuerit, qui eandem edito libro refutandam susceperit. Quod cùm Claudius iniquissimo ferret animo, Apologeticum, ut vocant, non superbè magis quàm protervè scriptum Theodemiro opposuit; cujus verò partes propugnavit Dungalus, excellens Theologus, & Monachus Reclusus Cænobii San. Dionysiani in agro Parisiensi, edito scripto, in quo fanaticos Claudii errores doctè ac strenuè convellens,* immanissimæ, *inquit*, & miserrimæ vesaniæ est, certissimæque perditionis indicium, hominem Christiano vocatum nomine, Episcopalémque locum occupantem, hoc tale signum despicere, & asino viliqúe cuilibet adsimilare ligno.

Ut verò Claudianæ hujus iconomachiæ, atque erga Crucem Christi impietatis fama ex Gallia in Germaniam delata fuit, ad aures etiam Eginhardi, Abbatis Seligenstadiensis pervenit. Erat is antea Caroli M. Imperatoris Cancellarius, vir summæ cùm doctrinæ, tum prudentiæ, religionis, atque authoritatis. Veritus igitur, ne Claudii, hæretici episcopi, sermo, ut cancer è Gallia in Germaniam serperet, Librum de Adoranda Cruce *conscripsit, allatis in medium fortissimis argumentis, quibus fideles, ut ab exorta impietate & hæresi sibi caverent, admonerentur. Hanc verò suam lucubrationem,* Servato Lupo, *diacono etiamnum, per id tempus in Fuldensi Scholâ* Rabani Mauri *auditori, postea verò Abbati Ferrariensi, celeberrimi nominis Præsuli, nuncupavit. Nec sine causa id fecit. Nam* Lupus, *ex mente*

* Mabill. Annal. Ben. to. 2, l. 28. n. 34. p. 419.

mente & opinione Jacobi Gretſeri ad Eginhardum *hanc quæſtionem de cultu Crucis attuliſſe videtur, non quòd ipſe dubitaret, ſed quia auctoritate tanti viri, qualis Eginhardus erat, multis dubitationem eximere cupiebat. At ſi Goldaſtum, Calvini aſſeclam, atque cultûs Dominicæ Crucis oſorem, audimus,* Servatus Lupus *circa ejusdem Crucis venerationem animi incertus hæſit, ſi non ab ea penitus averſus fuit. Sed quo id probat vir hæreticus argumento?* Lupus, *inquit*, ejusdem fuit ſententiæ cum Jona Aurelianenſi. *Mirificum, ne dicam, ſtupidum argumentum! An non enim Jonas contra Claudium verbis citra circuitionem diſertis Crucem adorandam eſſe docuit? an non hiſce graviſſimis verbis in Claudium invectus eſt?* Ut quid rogo te, tam væſano furore raperis, ut Julianum apoſtatam imitatus, crucem imaginem Chriſti geſtantem ab Eccleſia abſtuleris, ac ne à fidelibus juxtà traditionem eccleſiaſticam in baſilicis Chriſti haberetur, inhibueris? Ut quid etiam vexillum Crucis exhorreſcis? Neſcisne, quia dœmonum eſt ejusdem Crucis vexillum exhorreſcere? Quid (rogo) ſorduit tibi tantum Crux Chriſti? Puto ſane, quia ſi te cruce Chriſti redemptum fideliter credidiſſes, nunquam te infeſtum ejus inimicum, & execratorem atque abdicatorem conſtituiſſes. Per crucem námque mortis auctor ſuperatus eſt, & mortalibus vita reddita eſt. Et nemo fidelium, niſi ſpiritualiter cruce Chriſti vectus, mare hujus ſœculi tranſire, & ad portum ſalutis æternæ valet pervenire. *Hæc & plura Jonas contra Claudium pro aſtruendo S. Crucis cultû. Quod ſi ergo, fatente Goldaſto,* Lupus *in eadem mente ac ſententia cum* Jonâ *Aurelianenſi fuit; Crucem venerandam eſſe, perinde ac* Jonas *exiſtimavit. Sed* Lupus, *urget Goldaſtus, Jonæ libro contra* Claudium *ſcripto ſuum non adjecit calculum. Ita prorſus eſt. Sed quam ob cauſam? Haud ſanè ob aliam; quàm quòd Jonas, tametſi ſanctorum Cœlitum Imagines non eſſe in fruſta comminuendas, aut flammis abolendas, aut quoquo-*

 modo

modo delendas assereret, nullum tamen religiosum honorem, aut venerationem eisdem adhibendam esse contenderet. Hoc procul dubio est, quod cùm Lupus, cujus examini Jonas suum Opus subjecerat, suis oppositum placitis agnosceret, suo etiam suffragio dignari noluit. Huc ejus pertinere videtur epistola XXVII. quam unà cum W. Monacho ad Jonam *hisce verbis dedit*: Reverentissimo Præsuli Jonæ Lupus & W. in Domino salutem. Librum vestrum, sicut rogâstis excurrimus, sed ut parcissimè dicamus, in eo immutare nihil voluimus, ut operis vestri sitis ipsi correctores, cujus estis auctores; siquidem expendenda nobis fuit teneritudinis & tenuitatis nostræ ratio; & ætatis, ac ordinis vestri habenda consideratio, nec facilitatem ac delectationem quandam reprehendendi, quam in quibusdam notare solemus, debuimus imitari. *Hactenus* Lupi *epistola ad* Jonam *; ex qua uti insignis ejus erga virum & ætate grandævum, & dignitate episcopali ornatum modestia elucet, ita non minùs perspicuum fit, quòd* Jonæ *libro quædam, vero similiter de cultu sacris Imaginibus denegato, inserta fuerint, quæ in examen adducta haud approbanda Lupo visa fuerunt. Quanto minùs, si Jonas adversus S. Crucis cultum disseruisset, approbaturus fuisset.*

Et quis prudens animum inducat, ut credat, Lupum *in scholâ Fuldensi non eam animo penitus imbibisse doctrinam, quam tenuit ipsius in Theologia Magister ac Præceptor*, B. Rabanus Maurus, *sanctæ Crucis præcipuus amator, summus cultor, atque ingeniosissimus encomiastes? An existimandum est*, Lupum *alia hausisse dogmata, atque illa, quibus* Walafridus Strabo, *atque* Otfridus Weissenburgensis, *ejus condiscipuli, instituti fuerunt? Et quidem* Walafridus *in libro de Exordiis & incrementis rerum ecclesiasticarum, capite octavo, quo toto cultum imaginum unus omnium optimè asseruit, ita scribit:* Quam (*hæresin*) etiam Claudius quidam, Taurinensis Episcopus, sed in veritatis itinere, nominis sui similitudine nutabundus,

dus, inter cœteras vanitatum suarum ineptias cupiens renovare: antequam diversorum contra eum scribentium jaculis persoderetur, suo judicio damnatus interiit, & fortasse, qui Imperatoris fidelium (veluti in nummo) contempsit imaginem, ante tribunal ipsius protervitatis suæ pariter & inquietudinis pœnas exolvit. Non enim levem injuriam sœculi potentes sibi putant illatam, si imaginem suam vel nomen in quolibet numismate à subjectis despici cognoverint, & calcari. *Hæc Walafridus; qui cùm rectè sentiret, & doceret (quidquid Petavius Theol. Dogmat. lib. XV. cap. XVI. opponat) imagines in amore ac reverentia, non despectû esse habendas, ita ut amor ille à nobis externum in picturas & statuas sacras honorem deposcat, quanto magis cultum S. Crucis adstruxisse censendus est; cùm etiam illi Doctores, qui venerationem piis imaginibus denegabant, illum Dominicæ Cruci esse impendendam faterentur?*

Quid verò Otfridus? *quàm devotus ille erga lignum salutiferum extiterit, argumento esse potest imago S. Crucis, cui Christus non tribus, sed quatuor clavis affixus est, quam libro V.* Voluminis Evangeliorum ** *antiquis Rhytmis Theotiscis à se compositi præfixit, cujúsque accuratam delineationem exhibet V. C. Petrus Lambecius Commentar. De August. Biblioth Cæsar. Vindobon. lib. 2. cap. V. pag. 432.* Otfridus *verò capite 1. hujus libri quærit:* Cur Dominus ignominiam Crucis, & non aliam pro nobis mortem pertulerit? *id nostræ salutis gratia ab eo factum esse resolvit.*

Ist filu manno uuntar,	*Plurimis videtur mirum,*
thaz zell ih hiar nu suntar	*quod refero hîc jam seorsim;*
Zui Druhtin hiar in uuorolti	*Cur Dominus hic in mundo*
thes Kruzes tod iruueliti.	*Crucis mortem elegerit.*
Tho er unsih hiar so nerita	*Cùm nos hîc ita liberaret,*
fon fianton irretita	*ab hostibus eriperet.*

 Nam

** Extat in Schilteri Thesauro Antiquit. Teutonic. tom. 1. pag. 317.

Nam uzar herten banton
ſon fianto hanton.
Thaz ſines ſelben guati
thaz eina uuas gimnati

In ſulichem noti
er uns ginadoti
Uuir uuizun ana zuiual
taz er thes uuialt ubaral
Er bi unhih todt thulti
ſo uuio ſo er ſelbo uuolti.
Ob auur uuir iz ahton
ioh uuola iz al bitrahton
Thanne iſt uns ouh thaz uuuntar
ein ginada ſuntar
Mit fiuru ſie nan brantin
mit uuazaru ouh irqualtin
Odo ouh mit ſteinone
mit uuiu ſegenotis thu thih thane

Uns iſt fruma in thiu gizalt

Joh ſegnn filu managfalt
Salida zi libe
thaz ſcado uns hiar ni Klibe
Iſt uns thaz girufti
brunia ala feſti
Joh iſt uns helm ouh ubar thaz
joh uuafanan ala uuaſſaz
N'iſt uuiht in themo boume
(thaz friuntlich giloube
Thes mannilih giuuiſſi)
thaz thar ubbigaz ſi.

Raperet ex duris vinculis
ex hoſtium manibus.
Quod ſuæ bonitati
hoc unum (crucis ſupplicium) fuerit
acceptum (electum.)
In tali neceſſitate
(quo) nobis gratiam acquireret.
Scimus ſine ambiguitate
cum hoc elegerit præ omnibus.
Ipſe pro nobis mortem paſſurus,
quocunque modo ipſe vellet.
Si verò id attendimus
& bene id omne perpendimus.
Tunc mirum nobis & hoc videtur
& peculiaris gratia.
Igne ipſum (ſi) cremaſſent,
aquis etiam interfeciſſent
Aut etiam lapidibus :
quomodo (quo ſigno) benedixiſſet tibi
inde ?
Nobis eſt bonum in hoc (ſupplicii gene-
re reputatum
atque benedictio ad modum multiplex
Salus vitæ ,
ut damnum nobis hìc ne hæreat
Eſt nobis hæc (crux) armamentarium
thorax perfirmus ,
Atque & nobis galea præterea
& gladii præacuti
Non eſt quicquam in hac arbore
(quod amicè credat
Quod quilibet ſciat)
quod hic fruſtra ſit.

Capite II. Otfridus agit de utilitate S. Crucis.

Nu ſculun uuir unſih rigilon
mit thes Kruzes ſegonon.

Nunc debemus nos præſervare
crucis benedictione ,

Mit

Mit Kriſtes ſelben uuorton
uuidar fianton.
Thaz ſculun uuir zi uuaron
in unſen endin malon
In unſeme annuzze
taz uns iz uuola ſizze
Zi thin ouh in themo ende
thaz unſer muat ſih mende
Sulichera ruſti
ingegin akuſti
Uuir duemes thaz, ih ſagen thir, ein
mit unſen fingoron zuein
Sint zuene ouh, nim es gouma,
thes ſelben Kruzes bouma.
Drag thu, giloubi thu mir
then Gundſanon anan thir
In houbite inti in bruſtin
thines herzen luſtin
N'iſt fiant hiar in riche,
n'ub er hiarfora intuuiche
Ther diufal ſelbo thuruh not
ſo er tharana ſcouuot
Mit thui uuurtun uuir girochan
joh kraft ſin thuruh ſtochan
Mit thui uuard er al biredinot
thaz jamer er n'irko borot
Mit thui uuard ſilu harto
ſelb ther uuidaruuerto
Giuuuntot joh firdamnot
rumo in enuinigan not
Dua the'iz in thir ſcine
int iz dragen lidi thine.
Giloube mir in uuar min
harto ſcuiheit er thin.

Chriſti ipſius verbis
contra inimicos.
Hoc debemus revera
in noſtris progreſſibus ſignare.
In noſtra fronte
ut nobis id bene cedat.
Ideoque etiam in hunc finem
ut noſter animus gaudeat
De tali præparatione (præſervatione)
adversùs peccata
Hoc facimus (porro) dico tibi hoc
noſtris digitis duobus.
Sunt duo etiam, accipe ad notam
ipſius Crucis ligna.
Portato, crede mihi,
hoc vexillum in te,
In capite & in pectore
tui cordis delicias
Non eſt hoſtis hîc in terra
quin huic cedat
Diabolus ipſe neceſſario
ſimul ac eam conſpexit.
Per hanc defendimur
& vis ejus perforatur,
Per hanc iſte omnino convincitur,
ut nunquam redat.
Per hanc multum valde
iſte adverſarius
Vulneratur & condemnatur
procul in æternam ærumnam.
Fac ut ea in te appareat.
& eam ferant membra tua.
Crede mihi per fidem meam,
vehementer ab horret iſtam.

Capite tertio Otfridus ſignaculum S. Crucis commendat; exquo poſtremam ſtropham referre ſatis habeo.

Mit thui ſi ih io biſangan	*Cum hoc (ſigno Crucis) ſim ego circumdatus*
joh ſianton intgangan.	*& hoſtibus elapſus*
Biſolahan ſinen ſeganon	*Commendatus (tutus) ſuis benedictionibus*
joh allen Gottes theganon,	*& omnibus Dei miniſtris (angelis)*
Thaz mih mit ſinu nide	*Ut me ſua invidia*
ther ſiant io bimide.	*hoſtis fugiat*
Joh mir hiar zi libe	*Et mihi hic in vita*
gnatlih io klibe.	*benedictio inhæreat.*

Quæ cùm ita ſint, atque ex Fuldenſi Scholâ tanti támque illuſtres Crucis Dominicæ Cultores prodierint, quis credere in animum inducat, ſuſpicionem illam, in quam Browerus *&* Gretſerus *inciderunt, vero eſſe conſentaneam? Viri hi alioqui perdocti non ita firmis, ut mihi videtur, nixi argumentis, ſpiritum iconomachum in Fuldenſe Monaſterium ſe inſinuâſſe literis conſignare non dubitârunt. Quæ labes à tanti tamque celeberrimi nominis Aſceterio, orthodoxæ fidei præconum, qui populis Saxoniæ Chriſtum & hunc Crucifixum annuntiârunt, ſeminario, non indiligenter abſtergenda eſt. Sed utriuſque Scriptoris verba priùs audiamus, quàm cum illis congrediamur. Sic verò ſcribit* Gretſerus Horti S. Crucis Patre IV. „ *In ſupplici libello, quem Monachi Fuldenſes Carolo M. obtulerunt, cap. 19. ita habet*: Ut „ Crucis gloriatio in ſingulis diebus Dominicis fiat ante Miſſam, fratribus omnibus circa vicina quæque loca Monaſterii Crucem ſequentibus, Hymnos & Antiphonas cantantibus, ſicut apud Majores noſtros uſus erat, in diebus Dominicis, Paſſionis, & Reſurrectionis Dominicis, Paſſionis, & Reſurrectionis Domini gloriam celebrari. Et quòd

„ in

„ in diebus jejuniorum ab Episcopo decretis, Crucem porta-
„ re, & Litanias facere liceat. *Non immeritò suspicatur R.*
„ *P. Christophorus Browerus noster lib. 3. Antiquitatum Fulden-*
„ *sium cap. 12. spiritum Iconomachum sese in Fuldense Monaste-*
„ *rium insinuasse, & propterea Sanctæ Cruci debitum cultum sub-*
„ *tractum, quem restitui à Carolo petierint. Quod clariùs elucet*
„ *ex capitulo tertio ejusdem supplicis libelli; ubi supplices ist-*
„ *hæc:* Ut Sanctorum honor & festivitas non detestetur, sed
„ in Vigiliis & Missis eorum digna commemoratio fiat, &
„ quod in his festivitatibus, quibus major veneratio compe-
„ tit, fratribus ab opere ad lectiones & psalmodias vacare
„ liceat, sicut apud majores nostros licitum est. *Vides ma-*
„ *nifestè exsertas ungulas Spiritûs iconoclastici, qui Sanctorum*
„ *venerationem, sive per dies festos, sive aliis modis delatam non*
„ *tantùm ferre nequit, sed etiam detestatur & abominatur. Ha-*
ctenus Gretserus. Ego verò, quod pace Viri, cujus doctrinam & eruditionem veneror, dixero, non ita oculatus sum, ut quæ Spiritus iconomachi vestigia in Fuldensi Monasterio ipse & Browerus vident, intueri valeam. Video Monachorum Fuldensium ardentem erga Crucem Christi devotionem, cujus gloriationem seu circumgestationem diebus fieri solitam Dominicis fuisse abrogatam, iniquo ferunt animo. Non absimiles sunt eorum querimoniæ de abrogatione solitarum precum pro defunctis, frequentationis Missarum, & dierum festorum non minimo numero. Quis hæc omnia abrogavit? Abbas Ratgarius. Ergo erat Misoliturgus, contemptor suffragiorum pro mortuis, vilipensor cultûs Sanctorum, atque inimicus Crucis Christi. At enim hisce opprobriis nemo unus unquam usquam Ratgarium onerare sustinuit. Nempe alia longè erat causa, cur hæc omnia sustulerit. Quæ illa? Ratgarius erat multus, atque adeò totus in construendis multis & magnificis ædificiis. Quâ re fiebat, ut Monachos suos multas fundere preces, celebrare missas, dies agere festos, atque processiones instituere nullatenus ferret, sed eosdem plus æquo laborare, sudare, fabri-

care,

care, atque ædificare compelleret. Quod si igitur Ratgarius à dæmonio vexatus fuerat, illud certè non erat Spiritus iconomachus, sed architectonicus. Paucis: ut Germanicè loquar. Er hatte den Bau-Teuffel. *Postquam verò Monachi ad Carolum M. Imperatorem confugerunt, Ratgarius non de contemptû Ligni salutiferi, quem Augustus erga Crucem Dominicam devotissimus minimè tulisset, sed de immodica erga suos austeritate increpitus fuit. Eam emendare jussus, at erat vir cerebrosus, ac sui capitis, parùm obedivit. Igitur Carolo è vivis sublato, jussû Ludovici Pii in ordinem redactus, atque Monasterio pulsus est. Tum verò mores & ritus veteres Ecclesiæ Fuldensi restituti fuerunt. Quid? quòd Ratgarius in Cœnobium denuo receptus cum cæteris Monachis* gloriationem Crucis *denuo celebravit, haud secus, atque eo tempore fecit, quo nondum erat Abbas. Lectoris judicium jam appello, quid Spiritûs iconoclastici hîc intervenit, aut quo jure is in Monasterium Fuldense se insinuasse perhibetur? Nolim Browerum & Gretserum, viros aliàs doctos, in hanc incidisse suspicionem, minùs ad omnem posteritatis memoriam literis consigâsse.*

Eodem ævo, quo Ratgarius *ætatem Fuldæ in Germania agebat, claruit, sed paulò seriùs in Gallia* Hincmarus Senior, *ex Monacho San-Dionysiano Archiepiscopus Remensis. Is teste Frodoardo Hist. Rem. lib. 3. c. 29.* flagitantibus Chorepiscopis fratribus suis scripsit, qualiter imagines Salvatoris nostri vel Sanctorum ipsius venerandæ sint. *In isthoc opere quin venerationem & adorationem Dominicæ Crucis asseruerit minimè dubitandum est. Non magis verò superstes est, quàm vel Theodemiri Episcopi, vel Eginhardi Abbatis libri, quos de Adoranda Cruce scripserunt, qui quòd exciderint, sanè dolendum est.*

Supersunt verò Petri Venerabilis, *Abbatis Cluniacensis Opera, in quibus extat doctissima Epistola, seu potiùs integer Tractatus bene longus, quem contra Petrobrusianos edidit Iconoclastas. Hi à Petro Bruis & Henrico hæresiarchis infausto sidere circa an. MCXXX.*

MCXXX. prognati, Crucem Domini non modò nec adorandam, nec venerandam, sed magis confringendam & conculcandam esse contendebant. Ut re etiam ipsâ quascunque Crucis Dominicæ imagines reperire potuerunt, in unum congestas cumulum flammis absumpserunt. Hunc esse errorem omnium perniciosissimum sanctus Præsul demonstravit. Nam sublato de medio Crucis nomine, ubi Crucifixi mentio remanebit? subtracto Crucifixi vocabulo ubi mortis vel passionis recordatio permanebit? Ablata mortis vel passionis memoria, quæ redemptis spes salutis, evacuato redemptionis pretio supererit? *Quid ergo Petrobrusiani heretici devastandâ S. Cruce moliebantur, quàm ut omnis Christiana pietas, & devotio erga JESUM & hunc Crucifixum ex cordibus hominum evelleretur, totiúsque religionis Christianæ subreperet oblivio?*

Hos à Venerabili Petro *debellatos Wicleffistæ in Anglia à Joanne Wicleffo hæresiarcha sic dicti, infensissimi Crucis osores exceperunt. Theologi verò Benedictini ejusdem Regni id negotii sibi datum esse crediderunt, ut eosdem hæreticos strenuè refellerent. Fecerunt id non segniter* Guillelmus Binghamus, Utredus Boltonus, Simon Southraius, Joannes Wellius, *& maximè* Nicolaus Radeliffus *in edito libro pro Cultu Imaginum; quem Wicleffus adeò molestè tulit, ut in furias actus* Radeliffum *in dialogis suis non alio nomine,* quàm canis nigri *indigitare consueverit.*

Prostratis in Anglia Wicleffistis, eorum non pauci in Bohemiam concessere, junctóque cum Picarditis & Hussitis fœdere, ut trophæum sacrilegæ suæ erga Crucem Christi impietatis statuerent, Anno 1419. mense Augusto Crucem pulcherimam in ponte Pragensi stantem, ceu loco omnium maximè conspicuo dejecerunt. Et hoc quidem fecerunt authore & impulsore Hieronymo Pragensi, *Hussi Achate, Wiclephi discipulo, & infami iconoclastâ. Etsi enim id temporis* Hieronymus *non ampliùs fuerit in vivis, flammis in Concilio Constantiensi aliquot ante annis absumptus,*

 exem-

exemplum tamen detestandæ iconomachiæ S. Crucis Hussi asseclis præivit, quod altè eorum animis insedit. Crucifixi siquidem effigiem, Pragæ stantem è regione domûs, Kreisse *dictæ, quæ populo magnæ erat venerationi, humi dejicere, pedibus conculcare, stercoréque humano, proh scelus! commaculare non perhorruit, qui tamen Wicleffi hæresiarchæ imaginem, quam & domi habebat, & secum ferebat, ardenti cultû prosequebatur. Hoc iconomachiæ exemplum in Hussitarum, Taboritarum, & Orphanorum mente defixum faces iisdem ardentes ad confringendas S. Crucis imagines subjecit. Igitur agmine facto omne genus impietatis in easdem exercuerunt. Loquar solùm de illis, quæ in templis Benedinis collocatæ visebantur. Brevnovii extra Pragæ pomoeria in media Basilicæ navi exantiquo sacri Ordinis more Crux bene alta & spectabilis prostabat. Quo verò tempore (annus erat supra vigesimum quadringentesimus millesimus) antiquissimum hoc Regni Bohemiæ Monasterium ab impiissimis Picarditis & Hussitis unà cum elegantissima ecclesia terræ datum, excisum & eversum est, tum verò non Divorum modò lipsana conculcata, icones destructæ, simulachra deturbata, sed nec ipsi sacræ Crucis imagini parsum. Cùm verò Cœnobitæ impiissimis iconoclastis exprobrarent:* Hæccine gratia est, quam Sanctæ Cruci, in quâ ex captivitate diaboli redempti fuistis, ingrati & scelesti teponitis? *eorum tres supra decem ab Hussitis comprehensi, in vincula conjecti, ac Pragæ odio orthodoxæ doctrinæ, maximè de sumptione Eucharistiæ sub unâ specie, publico in foro exusti fuerunt. Hoc erat Divinæ Crucis cultum non atramento, sed sanguine propugnare.*

Post Picarditas Hussitas & Taboritas Calvini & Zwinglii asseclæ, ut de Lutheranis minùs aliquantum infestis, nihil dicam, quas non injurias & contumelias Dominicæ Cruci irrogârunt? Charta & pagina me deficiant, si omnes enumerare instituam. Aliquid, minimè omnia dicit Joannes Reuchlinus, (***) *Phorcensis, cùm ita de hisce cecinit hæreticis:*

Quin

(***) Carmen præfixum est B. Rabani Mauri libro de S. Cruce.

Quin etiam violant, temerant modo, commaculántque
Contemnunt, horrent, dilacerántque Crucem.
Insuper & pedibus calcant venerabile signum:
Et Cruce signatos turpiter interimunt.

Quia verò magnoperè confert, omniúmque in JESUM & hunc Crucifixum credentium interest, suos Sanctæ Cruci, ejúsque cultui & adorationi non deesse vindices, ut suam de illa fidem apertè testentur, aliósque moneant, ac doceant, qui Crucem Christi nec colunt, nec venerantur, eos in Judæorum, Mahometanorum, ac Paganorum potiùs, quàm Christianorum numero esse habendos, Benedictini Scriptores suarum esse partium existimàrunt, ut & scripta inimicis Crucis Christi opponerent, quibus si eos, ut saniora saperent, adducere non possent, doctrinam tamen Ecclesiæ de S. Cruce corroborarent, firmiorem redderent, ac fortasse etiam facerent dilucidiorem. Præstiterunt id præ cæteris Alphonsus de Virues, Joachimus Perionius, Gilbertus Genebrardus, Ninianus Winzetus, Leonardus Rubenus, Augustinus Redingus, *& alii complures. Novissimè D. Nonnosus, Attilensis in Bavaria Monasterii Amplissimus juxtà ac doctissimus Abbas Missionarios Danicos in Trangebar, civitate parva & fortalitio Regis Daniæ ad litus Cormandelinum in India, veterum Crucis Christi inimicorum nepotes in perdoctâ suâ Psalterii Davidis expositione non uno loco fortiter oppugnat, atque eorum levitatem, petulantiam, ac convitiandi libidinem strenuè revincit.*

Quantopere igitur Benedictinorum fides, Zelus, ac religio desudarint, ut cultum Dominicæ Crucis à falsis, impiis, & pestiferis Sectariorum dogmatibus vindicarent, ex hactenus dictis perspectum satis exploratúmque haberi posse existimanus. At parùm Majoribus nostris videbatur, si eos tantùm scriptis impeterent, qui à Divinæ Crucis veneratione alios abstrahere connitenterentur, nisi etiam sermones vel è sacro haberent suggestû, vel certè quidem literis consignarent, quibus fidelium animos ad eandem devenerandam quanto maximo possent fervore accenderent. Præ

 cate-

cæteris nominandi veniunt Venerabilis Beda, qui præter laudum encomia, quibus salutiferum lignum suis in Operibus extulit, duos etiam sermones reliquit. S. Odilo Abbas Cluniacensis plures habuit Sermones, inter quos numero XIVtus est de S. Cruce, de quo tamen initium duntaxat superest, quod ex Bibliotheca Cluniacensi Bibliotheca Veterum Patrum editionis Lugdunensis Tomo XVII. insertum fuit. B. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis Sermones suos uno atque altero de S. Cruce locupletavit; præclaros esse nemo prudens, qui legerit, inficias iturus est; ita copiosè, facundè, elaboratéque laudes ejusdem deprædicat. Primus est de Inventione, secundus de Exaltatione. Quidquid verò, *inquit*, de Crucis laude disserimus, in ejus non ambigitur redundare præconium, qui Crucis illustravit propriâ morte vexillum. *Insignem etiam Oratorem, atque Dominicæ Crucis encomiastem se ostendit Venerabilis Hildebertus ex Monacho Cluniacensi Episcopus primò Cenomanensis, deinde Archiepiscopus Turonensis in duobus Sermonibus, quorum unum habuit in festo Exaltationis, alterum alia die de laudibus S. Crucis. Venerabilis Eckberti Abbatis Schönaugiensis, ac fratris Germani S. Elisabethæ Abbatissæ Schönaugiensis Sermonem seu Opusculum de laude S. Crucis V. C. Bernardus Pezius Tomo VII. Bibliothecæ Asceticæ juris publici fecit.*

Quid jam dicam de illis, qui tametsi nullos vel habuerint vel ediderint Sermones, in Operibus tamen, Scriptis, ac libris suis, nullam prætermiserunt occasionem, quâ in laudibus S. Crucis versari, ceu in immensa quodam Oceano vela facere possent. „ Crux Christi, *exclamat S. Petrus Mauritius*, fulgebit in cœlo, ut discant terrigenæ non posse sibi conscensum esse ad cœlos, nisi per ipsam: & agnoscant filii hominum, non nisi per ipsam se posse fieri socios angelorum. Non est igitur honoranda ab hominibus, quæ Angelicum eis honorem præparat? Non est glorificanda à mortalibus, quæ immortalem eis gloriam præstat? Non est ut vitalis & salutifera adoranda, quæ vitam mortuis beatam, quæ salutem perditis confert æternam?

nam? Et planè, velint, nolint hæretici, vitalis, quia vitam: falutifera, quia falutem: honorabilis, quia honorem: amabilis, quia amorem; admirabilis, quia admirationem: felix, quia felicitatem: nobilis, quia nobilitatem, beata, quia beatitudinem: gloriofa, quia gloriam præftat æternam.

Venerabilis Rupertus Abbas Tuitienfis ut dignitatem S. Crucis nobis commendaret, illam effe Aram dicit, in quâ Dei Filius pro falute humana ineffabili amore ac mifericordia fe immolavit. Unde illa Prophetæ Amos verba: Vidi Dominum ftantem fuper altare, *ita explanat:* Magna verè vifio, & magnæ rei fignificatio extitit. Prophetico deinde fpiritû vidit, & revera futurum erat, quod illi talis vifio præoftendit. Quærimus ergo, ubi vel quando factum fit tale quid, cujus in fignum ftans Dominus fuper altare videri debuerit. Quærentibus autem in toto Chrifti Evangelio, vel in omni Evangelicæ gratiæ Sacramento, nihil tam magnum, nihil tam evidens fecundùm hujus vifionis proprietatem nobis occurrit, quàm fchema vel habitus Domini noftri JEfu Chrifti Crucifixi. Crucifixus namque & facrificium pro nobis factus, fuper altare Crucis ftetit ftatione difficili, ftatione laboriofa fibi. Diligenter animadvertendum, nec unquam oculis mentis noftræ debet abeffe ftationis illius fpectaculum. Pendebat & ftabat manibus ad Crucis cornua confixis, pedibus ligno fuppedaneo per clavorum fixuram cohærentibus in modum ftantis. Taliter ftans ipfe hoftia; Crux verò altare erat.

Dolendum verò, quòd quem Librum de Laudibus S. Crucis *Venerabilis Adelboldus, ex Monacho Lobienfi Ultrajectenus Epifcopus confcripfit, exciderit; certè quidem à nemine hactenus, quod fciam, è tenebris erutus fuit. Infigne fuiffe opus, ex eo exiftimare licet, quod Author integritate vitæ, prudentiæ fama, atque doctrinæ laude excelluerit: unde etiam in aula S. Henrici Imperatoris præcipuum gratiæ & authoritatis locum eft confequutus. Ætate fuperior fuit Milo Elnonenfis cœnobita ævi fui, id eft, Jacu-*

sæculi noni non ignobilis Vates. Is eloquentia numeris ligata in laudes S. Crucis ingressus Carmen duplex hexametrum in modum sphæræ composuit, quod Foppenius in Bibliotheca sua Belgica à miro ingenii acumine commendat.

Nescio, an hic etiam mentionem facere debeam Berengosi, *Treviris ad S. Maximinum Abbatis, sæculo XII. clari, qui tres libros* de laude & inventione S. Crucis *elucubravit, quorum medio, ut Hagiographi Antwerpienses* (****) *loquuntur*, aliud non egit, quàm dilatare & exornare de Juda Crucis revelatore fabellam, hoc cautior quàm Florus & Notkerus, quòd anni designationem omiserit, neque de Hierosolymitano illius Episcopatû verbum fecerit aliquod, soli argumento de Cruce inhærens. *Hac igitur lucubratione prætermissa, in quâ rem acû non tetigit, sed à fabulosis actis sibi fucum fieri est passus, memoratû dignior est ejus libellus* de Mysteriis Ligni Dominici, & de Luce visibili & invisibili, per quam antiqui Patres olim meruerunt illustrari. *In hoc insigni libello rectè docet, à viris pariter & fœminis S. Crucis præconia esse celebranda; quia justum est, ut lex æterna testimonium habeat à virili sexû & fœmineo, quæ in mysterio crucis utrumque à diabolico voluit liberare dominio.*

Sed quousque B. Rabanum Maurum *differo, quem primo forsan loco nominare debuissem, cùm non alios tantùm plerosque ætate præcedat, sed in efferendis S. Crucis laudibus palmam omnibus præripuisse videatur? Cui enim ignotum est mirificum illud, atque artificii plenum opus, quod in laudem S. Crucis laboriosissimo carmine composuit? Jacobus Wimphelingius, Vir multarum literarum, qui primus typis vulgavit, præclarum & omni veneratione dignum appellat opus, quo non immeritò Germania (quæ talem virum peperit) illustris redditur. Sed ne Germanus Germano palpum obtrudere videatur, S. Odilonis Abbatis Cluniacensis, gente Galli, testimonium proferamus:* Rhabanus sæculari scien-

(****) Maij tom. 1. d. 3. p. 363. col. 2.

ſcientia ad plenum edoctus, tale de laude S. Crucis texuit opus, & texendo perfecit, quo pretioſius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, laborioſius ad ſcribendum non poteſt inveniri.

Quô autem fine, quâve animi intentione B. Rabanus ad hoc Opus metro primùm, deinde etiam proſâ contexendum acceſſerit, ex ipſius præfatione ad Lectorem audire præſtat: „ *Nec* „ *enim arbitror, inquit, me poſſe aliquid Sanctæ Cruci decoris con-* „ *ferre, quæ claritate ſua cuncta clarificat: ſed claritatem ejus* „ *& majeſtatem perpetuam laudibus quibuscunque poſſum conſer-* „ *vis meis prædico: ut ſæpiùs eam legentes ac ſedulò conſpicien-* „ *tes, noſtram in eâ redemptionem aſſiduè cogitemus, redemptori-* „ *que noſtro inceſſanter gratias agamus. Qui cùm nullius ege-* „ *ret, ſempiternúmque regnum una cum Patre & Spiritu Sancto* „ *haberet: ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, factus* „ *obediens patri uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Semel quo-* „ *que pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis: ut nos* „ *offerret Deo, faceréque nos regnum & Sacerdotes Deo Patri. Hic finis, hæc intentio beati Scriptoris erat, in quam omnis ejus labor & induſtria incumbebat.*

Nec alius nobis in præſenti hoc Opere de Cultû S. Crucis in Ordine D. Benedicti *ſcopus eſt præſtitutus, quàm ut quicunque in Familia vivimus Benedictina, ad amorem Crucis & Crucifixi magis magisque accendamur; ut nobis penitus ſit fixus in corde, qui pro nobis fixus eſt in Cruce; ut nosmetipſos in hac dulci arbore oblectemus, in quâ mundi ſalus pependit, in quâ eſt omnis ſpes noſtra, refugium noſtrum, medicina noſtra per quam ſalvati & liberati ſumus.*

Ut verò conſilii ac inſtituti noſtri rationem magis aperiamus, atque hinc rectiùs de præſenti Opere judicari poſſit, illud in ſex partes ſeu Capita diſtribuimus. Et primo *quidem* Capite *Monaſteria, Templa, Oratoria & Altaria enumeramus, quæ à Regibus, Imperatoribus, Epiſcopis, Pontificibus, aliiſque Viris Princi-*

 pibus

pibus cum Ecclesiasticis tum secularibus in S. Crucis honorem sumptuosè posita, munificè constructa, liberaliter dotata, variisque ornamentis, privilegiis, immunitatibus tam præclarè cohonestata fuerunt, ut Lectores sanè hanc in Ordine Benedictino Monasteriorum, Ecclesiarum &c. copiam, stabilitatem, atque elegantiam non injuriâ demirari possint. Altero Capite *à nobis Monasteria & Ecclesiæ recensentur, in quibus insigniores particulæ de Cruce prima, quam Christus sanguine suo consecravit, religiosè asservantur. Et verò, absit jactantia verbo, tam multæ, tantæq; sunt magnitudinis, quæ hîc cum primis attenditur, ut haud alius Ordo Religiosus vel plures, vel majores in suo possideat sacrario. Unde etiam celeberrimæ Stationes ad S. Crucem in Benedictinis per Galliam, Hispaniam, Germaniam, Poloniam &c. Monasteriis, in quibus virtute S. Crucis non pauca edita fuerunt prodigia.* Capite III. *narratio instituitur de S. Crucis imaginibus & figuris, quæ suam etiam venerationem jure ac merito sibi deposcunt. Ejusmodi verò imagines præ cæteris celebres sunt Crux S. Andreæ, S. Latronis Crucifixi, S. P. Benedicti, S. Udalrici Episcopi, quas, aliásque plures Familia Benedictina venerabundè custodit.* Caput IV. *Apparitiones S. Crucis illustrant. Sæpiùs enim nec sine prodigio factum, ut Ligni salutiferi imago Majoribus nostris vita integritate præstantibus se conspiciendam præbuerit.* Capitis V. *argumentum sunt res à Sanctis Benedictinis per signum Dominicæ Crucis prodigiosè gestæ. Denique* Capite VI. *exhibentur Obsequia Benedictinæ Devotionis erga Sanctam Crucem; quæ certè tanta támque illustria sunt, quanta eidem vix in alio ullo (absit jactantia verbo) Religioso Ordine exhibentur.*



CUL-





FULGET CRUCIS MYSTERIUM

Suosque illustrat Cultores



CULTUS SANCTÆ CRUCIS
In Ordine S. Benedicti.

CAPUT I.
MONASTERIA, TEMPLA, ORATORIA, ET ALTARIA

In honorem S. Crucis condita & dedicata.



QUi prioribus ſæculis pii Chriſtiani JESUM & hunc Crucifixum præcipuis in amoribus habuerunt, ſummam quoque ſibi neceſſitudinem cum ſacrâ ejuſdem Cruce habendam jure & merito exiſtimârunt. Quis enim Redemptorem ſuum ex animo diligat, & Crucem, in quâ incredibili amore ab eo redemptus, atque æternis ereptus

ptus fuit fuppliciis, non eâ etiam, quâ par eft veneratione profequatur? Ut verò conftaret orbi, quàm fummoperè falutiferum ac vivificum hoc lignum colerent, atque venerarentur, multi eorum hujus fuæ venerationis ac cultûs publicos effe teftes voluerunt Monafteria, Templa, Oratoria, & Altaria, quæ non fine magnis fumptibus & impenfis fub Titulo Sanctæ Crucis conftruenda & dedicanda curârunt. Cùm verò non nefcirent, nullibi fincerum magis cultum Sanctæ Cruci adhiberi, quàm ubi affidua crucifigendi carnem cum concupifcentiis ejus contentio vigeret, in Monafteriis à fe excitatis homines religiofos collocarunt, quibus nihil potius effet, quàm ut conjunctis animis cum Crucis hoftibus, carne & fanguine continenter bellum gererent. Atque ejufcemodi Afceteria, non fingula quidem, fed quæ tantùm funt Ordinis noftri; neque ex his ipfis ad unum omnia, fed quæ præ cæteris memoriam fui depofcunt, recenfere hoc loco nobis propofitum eft.

§. I.

Monafterium Sanctæ Crucis Parifienfe.

QUod celeberrimum Galliæ Afceterium nunc dicitur *S. Germani à Pratis*, Gallicè, *S. Germain des Prez*, primis & antiquiffimis temporibus nomen *S. Crucis* ferebat. Hoc verò ei inditum erat ab ecclefiâ in honorem *S. Crucis* conditâ & dedicatâ, cui adjunctum fuerat. Res fic contigit. Childebertus Francorum Rex hujus nominis primus ab expeditione, quam in Hifpaniam fufceperat, in Galliam redux multas fecum facras attulerat Reliquias. Præcipuæ erant portio *S. Crucis*, & Tunica S. Vincentii. (*a*) Et lignum quidem falutiferæ Crucis ab urbe Toletana, Tunicam verò San-

(*a*) S. Greg. Turon. Hift. Franc. lib. 3. c. 29.

Sancti Martyris à civitate Cæsaraugustana dono acceperat. Ut verò sacras hasce Reliquias loco deponeret decenti, ecclesiæ in earum honorem construendæ iniit consilium. Dum moras nectit, gravi decumbit morbo. A Sancto Germano Episcopo Parisiensi in pristinam restitutus sanitatem monitus est, ut pium animi propositum exequeretur. Aures Rex munificus præbuit, ac post annum DXLII. *gratiâ vivificæ Crucis ecclesiam sanctissimi Martyris, ubi ipsam cum aliis pretiosissimis ornamentis delegavit, in modum Crucis ædificare disposuit.* Ita Gislemarus (*b*) Author vitæ S. Droctovei, qui primus monachis inibi ab exordio collocatis præfuisse memoratur. Quantæ autem magnificentiæ fuerit, docet nos idem Gislemarus his verbis. „ Cujus Basilicæ opus mirificum describere nobis videtur superfluum, qualiter scilicet distincta „ fenestris, quibus pretiosissimis marmorum fulta columnis, „ quóve modo crispante camera compta auratis laqueariis: „ nec non parietes, ut Christi decebat aulam, quo decore „ nitebant picturâ aurei coloris, strato inferiùs pulchro emblemmate pavimenti. Tectum verò ipsius Basilicæ coopertum adprimè deaurato cupro ære (i. e. *Cyprio*) repercussum „ solis jubare sic flammigero rutilabat fulgore, quatenus intuentium aciem reverberaret nimia claritudine. Unde „ præ nimio decore non immeritò olim ipsa domus per metaphoram *Inaurati Germani aula* vocabatur vulgi ore. Hæc Gislemarus, qui scribebat sæculo nono; cùm scilicet jam quidem semel & iterum hæc Basilica Nortmannorum furore violata fuisset, sed nondum destructa; quare eam, sicuti primitùs extructa fuerat, ab eo descriptam fuisse, non immeritò Theodericus Ruinartus (*c*) affirmat. Post annum igitur DXLII. incœpta, anno DLXI. qui Childeberto Regi supremus fuit, ab ipso Germano Parisiorum Antistite consecrata

(*b*) Vitam S. Droctovei exhibet Mabill. Act. Sanct. O. S. B. sec. 1. p. 254. vide ejusdem Annal. Ben. tom. 1. p. 134. (*c*) In append. Opp. S. Greg. Turon. col. 1369.

crata est *in honore* (sunt denuo verba laudati Gislemari) *vivificæ Crucis, almique Vincentii Levitæ & Martyris.* Hujus dedicationis etiam meminit Usuardus in suo Martyrologio his verbis: *Decimo Kal. Januarii Parisius dedicatio Basilicæ in honore S. Crucis & Vincentii Martyris.* In nova igitur Basilica *egregia Crux*, cujus mentionem facit Carolus M. in historia Translationis S. Germani Episcopi Parisiensis, *& Tunica S. Vincentii* à Rege Childeberto repositæ fuerunt. Quo factum, utmodò *Sanctæ Crucis* modò *S. Vincentii* Ecclesia compendio diceretur, in vetustissimis passim instrumentis Sanctæ Crucis & Domni Vincentii. Hinc idem utrumque nomen Monasterio adhæsit, quod ab eodem piissimo Rege ecclesiæ adjunctum fuerat. Hodie hæc Basilica cum suo Monasterio *S. Germani à Pratis* nomine celebris est. Et quidem S. Germani nomen sortitum est à sacris ipsius exuviis, quæ in theca ex auro argentóque fabricata isthic asservantur: *à Pratis* verò dicitur, quod in Pratis suburbanis propè Sequanam infra urbem Lutetiæ situm sit. Etsi verò nomen mutaverit, verè tamen in hodiernam usque diem Monasterium est *S. Crucis*, in quo complures hactenus vixerunt, hodieque vivunt religiosissimi Cœnobitæ, quibus, licèt doctrinæ ac eruditionis laude per totum orbem literarium celeberrimi habeantur, tamen *abest gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JEsu Christi, per quem ipsis mundus Crucifixus est, & ipsi mundo.*

Cæterùm habuit Parisiense *S. Crucis* Monasterium sibi subjectum Parthenonem (*d*) quem anno sexcentesimo nonagesimo septimo nobiles duo conjuges, Gammo & Adalgudis sub titulo etiam *S. Crucis* construere cœperunt, cui filiam suam Bertham abbatissam præfecerunt.

§. II.

(*d*) Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 614.

§ II.

Monasterium Sanctæ Crucis Meldense.

S. Faro Meldorum Episcopus, & vitæ sanctimoniâ & miraculorum gloriâ illustris, in Meldensi suburbio Monasterium sub titulo *S. Crucis* condidit. In hoc sæpiùs secessit, ut à sæculi curis, atque episcopalis officii oneribus, quibus assiduò premebatur, non nihil levationis ac quietis sub arbore Sanctæ Crucis capere posset. Voluit verò etiam, ut illud peregrinis, præcipuè Anglis & Scotis asylum esset ac diversorium. Hîc inter alios ab eo exceptus fuit S. Fiacrius nobilis Scotus, qui per annos complures in hoc Monasterio vitam religiosam, austeram, ac sacrâ Cruce dignam duxit. S. Faro autem cùm humana absolvisset, in Basilica Sanctæ Crucis terræ mandatus est. Conservantur ejus membra, inquit Auctor vitæ manuscriptus, (e) *in speciosissima Basilica, quam ipse miro opere in fundo proprietatis suæ fundavit in honore salutiferæ ac vivificæ Crucis.*

Sucessorem habuit Hildevertum, qui ex invidia volebat ædificare ingentis pompæ & magnitudinis Basilicam *in honore Sancti Christi* contra fidem sanam juxtà Basilicam S. Crucis à Sancto Farone exstructam. Verùm illa Basilica divino nutû corruit, ejúsque auctor in synodo ab episcopali officio suspensus fuit, dum tandem resipuisset. (f) Et re quidem vera ita resipuit, ut sanctorum numero adscribi meruerit. Cæterùm hoc Monasterium â S. Farone constructum in antiquissimo S. Galli necrologio, quod annis adhinc octingentis & pluribus scriptum fuit, *Crux Sancta* nominatur. Tanta jam tunc temporis erat celebritate, ut ejus fama remotissimas pervaserit provincias. Hoc Monasterium, inquit Carolus Cointius, nomen *S. Crucis*, in cujus honorem conditum

 est,

(e) Apud Carol. Coint. Annal. Eccles. Francor. ad an. 161. (f) Mabill. Annal. tom. 1. pag. 509.

eſt, à primo conditu geſſit, nomen poſtea S. Faronis accepit, à quo conditum eſt.

In hoc Aſceterio Crucem de manû Domini ſuſcepit Otgerius, vir illuſtriſſimæ proſapiæ, bello clariſſimus ac inter heroes Caroli Magni facilè præcipuus. Interfuerat is plurimis, iiſque maximis ac cruentiſſimis præliis, in quibus ea bellicæ fortitudinis edidit ſpecimina, ut maximam nominis celebritatem ſibi comparârit, ita, ut qui Otgerium neſciret, nullum omnino virum fortem ſcire videretur. Paſſim *præliator & pugnator fortis* audiebat; quo nomine ipſi etiam præliatores eum indigitare conſueverant: ſed cùm mundanæ gloriæ ac rerum humanarum caducitatem attentiùs animo ſecum perpendiſſet, nuntium iis mittere conſtituit. Carolum igitur adiit, ab eóque in Monaſterium S. Crucis ſecedendi facultatem petiit. Cujus ægrè compos factus *Benedictum* virum etiam militarem, fortem, ac ſtrenuum ſecum ex caſtris abduxit, ut quem in Martis campo commilitonem habuerat, in Monaſterio Sanctæ Crucis ſocium haberet. Hîc igitur ambo ſimul anteactæ vitæ expiare noxas, manúsque multorum hominum ſanguine cruentatas lacrymis abluere ſtuduerunt. Præcipuè Otgerius (*g*) multos annos ſub abbatis imperio in eodem S. Crucis Monaſterio vitam mirè auſteram traduxiſſe perhibetur: aſſidua ferè erant ipſius jejunia, vigiliæ, & orationes, quibus ſua redimere peccata nullo ferè tempore intermittebat. Quæ vera morum converſio, vitæque ſanctimonia Chriſto Domino tantoperè placuiſſe fertur, ut multis eam prodigiis fecerit teſtatam.

Fulcoius, Subdiaconus Meldenſis, in epitaphio Otgerii & Benedicti utrumque ſic alloquitur:

Crux ſimul accipitur, Crucis & locus iſte ſubitur,
Cæſar & exuitur, Chriſtus & induitur.

Ite

(*g*) Vide Otgerii elogium hiſtoricum, ſeu converſionis hiſtoriam ex mſſ. Codd. erutam cum obſervationibus Mabilonii ſec. Ben. IV. part. 1. p. 656.

Ite pares animæ per qualibet agmina primæ
Fortes Cæsarei, fortia membra DEI.
Fortes athletæ, per sæcula cuncta valete:
Par Crucis est species, par erit & requies.

Atque sic Otgerius & Benedictus ex Monasterio S. Crucis *transierunt in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum DEI*, Psal. 41. v. 5. ubi data fuit *lugentibus corona pro cinere, oleum gaudii pro luctu; pallium laudis pro spiritû mæroris.* Isa. 61. v. 3. Qui verò eorum aliquando frui societate in regno gloriæ desiderat, nunc in Monasterio Crucis consortio utriusque jungatur.

§. III.

Monasterium Madriacense vulgò CRUX S. LEUFREDI.

S. Leufredus fuit illustri prosapia conspicuus, parentibus piissimis in Gallia natus, Ebroicensis pagi indigena. Cùm arma ferre posset, militasse dicitur sub regibus Francorum, Childeberto, Dagoberto, & Chilperico. Militiæ pertæsus vestem Benedictinam accepit à S. Sidonio Abbate Caletensis Monasterii, quod ab urbe Rotomago quatuor leucis Gallicis dissitum est. „ In diebus illis, inquit auctor vitæ, „ (*b*) domnus Ansbertus in Rotomagensi urbe Pontificatum „ gerebat. Hic frequenter egregium virum Sidonium & S. „ Leufredum ad familiare colloquium invitans, de acqui„ rendis Deo animabus cum eis tractabat. Factum est inte„ rea, ut hortatû Præsulis & B. Sidonii ad natale solum vir „ Domini reverteretur, ut in patriâ suâ homines in viâ erro„ ris ambulantes ad lumen veritatis reduceret, cui ipse ma„ gis, quàm alius sufficiens esset. Egressúsque urbem Spiri„ tû

(*b*) Extat in Act. SS. Ord. S. B. sec. 3. part. 1. p. 586.

„ tû Sancto duce devenit in fines Madriacensis pagi, ad lo-
„ cum virtutibus quidem insignem, nullis tamen habitacu-
„ lis adornatum. Dudum namque cùm vir Domini Audœ-
„ nus Rotomagensium Antistes Spiritû Sancto repletus, di-
„ versas provincias peragrans verbum DEI disseminare non
„ cessaret, jámque gravi senio confectus equitare non vale-
„ ret, usus est vehiculo, in quo jacentem eum duo muli ve-
„ hebant. Quodam igitur tempore cùm sic incederet, acci-
„ dit, ut transiret per vallem illustrem juxtà fluvium Actu-
„ ram, (i) ubi via erat ab occasû in orientem, porrò alia
„ via ducebatur à meridie in septentrionem. Dúmque su-
„ per ipsum locum, ubi viæ in similitudinem Crucis junge-
„ bantur, vehiculum sancti viri pervenisset, illicò terrore
„ divino animalia substiterunt, nec à loco moveri potuerunt.
„ Tunc vir Domini non absque mysterio rem tantam fieri
„ sentiens, familiare cum Domino secretum iniit; & ecce
„ respiciens cœlum, vidit *signum Crucis* miro fulgore radians:
„ statímque animadvertit vir Deo plenus resplendente cœlo
„ ad terram, & terra ad cœlum, quòd *locus ille futuris tem-*
„ *poribus Crucifixi Domini JEsu Christi veros cultores habitu-*
„ *rus esset, qui Crucis mortificationem & in corde & in corpore*
„ *suo evidenter gestaturi essent.* Tali igitur visione gloriosus
„ Domini Pontifex lætificatus, jussit sibi adferri lignum, unde
„ signum vivificæ Crucis effigiare posset. Sed cùm minister
„ non inveniret, à rustico quodam in eodem loco terram
„ exarante partem stimuli pretio comparavit, de quâ vexil-
„ lum Crucis figuravit, & cespite congesto desuper illud
„ composuit, Sanctorúmque Reliquias ibidem colligavit.
„ Quo facto, iter quod cœperat profecutus est, ipsóque iti-
„ nere perductus est ad prædium, quod vocatur Clipiacus,
„ (k) in quo finem vitæ accepit, & ad aulam regni cœlestis
„ translatus vitam æternam inde adeptus est. Locus autem
„ supra-

(i) Al Acturam l'Evre. (k) Chipily prope Parisios.

„ ſupradictus crebris miraculis reſplendebat, ita ut adven-
„ tantium illuc miſerorum multitudo priſtinæ ſanitati reſti-
„ tueretur; quin etiam continuis noctibus nubes ſplendidiſ-
„ ſima ſuper locum ipſum videbatur pertingens à cœlo uſque
„ ad terram. Vicinis ergo in circuitu commanentibus tan-
„ tæ rei novitate ſtupefactis, quidam eorum caſulam horrei
„ ſui ſuper pignora ſanctorum, quæ præfati ſumus ſtabilire
„ curavit. Hunc denique locum vir Dei Leutfredus poſt ali-
„ quot annos deceſſionis S. Audœni Epiſcopi inviſere tenta-
„ vit, viſóque loco, amœnitate ejus, eo quòd eſſet aqua-
„ rum nemorúmque & vinearum fertilitate jocundus, mira-
„ culorum quoque prodigiis, quæ ibi fiebant plurimùm læ-
„ tificatus, domum ſacram Domino Deo conſtruere accele-
„ ravit, in honore ſcilicet *vivificæ Crucis* & Sanctorum Apo-
„ ſtolorum, ac præcipuè Confeſſoris Chriſti Audœni, atque
„ in eo loco altare ſtatuit, ubi Crux ſemitarum apparuerat.
„ Sed & poſt modicum tempus congruentibus habitaculis
„ eandem cellam cinxit, atque Monachorum converſatione
„ nobilitavit. Siquidem ex diverſis partibus ad eum con-
„ fluebant, qui poſſeſſiones agrorum ſuorum vendentes, pre-
„ tia ante pedes ejus ſecundùm morem primitivæ Eccleſiæ
„ deferebant, ut diſtribueretur omnibus, prout cuique opus
„ erat. Alii autem de facultatibus ſuis eundem locum dita-
„ re certabant, ut de redditibus rerum ſuarum per futura
„ tempora ſervi Dei inibi habitantes neceſſaria acciperent.
„ Dici non poteſt, quantâ celeritate Dominus locum ſuum
„ exaltaverit, ita ut brevi ſpatio multi pompa ſæculari ab-
„ dicata converſi ſint ad Dominum.

Nec illud tacendum exiſtimo, quòd, cùm ſtygius Alaſtor in novo S. Crucis Monaſterio Monachis ludos dare vellet, à S. Leutfredo Abbate lepidè luſus & illuſus fuerit. Rem auctor vitæ his verbis narrat. „ Aliquando cùm intempeſtâ
„ nocte aliqui è Fratribus ardentioris deſiderii ante tempus

 „ vigi-

„ vigiliarum ſurrexiſſent, ut ſecretiùs orationi vacarent, adeſt
„ immundus ſedens in loco, ubi vir Dei ſedere conſueverat,
„ adſumta ejus effigie. Nec mirum, cùm ipſe Satanas trans-
„ figurat ſe in Angelum lucis. Cúmque à tranſeuntibus
„ adoraretur, quia æſtimabant ſecundùm morem virum Dei
„ illic conſediſſe; unus eorum non oblitus, ubi virum Dei
„ dimiſiſſet, citiùs venit ad eum: Similis tibi, ô Pater homo
„ ſedet in Baſilica, ubi ſedere conſueſti, & illudit modò
„ Fratribus, qui per errorem illi reverentiam exhibent. Au-
„ diens hæc vir Deo dilectus, præſtigium diaboli mox reco-
„ gnovit, & eadem hora ſurgens, oſtia & feneſtras Eccleſiæ
„ vexillo Sanctæ Crucis depinxit, ac impetum in eum fecit,
„ & flagellis vexare cœpit. Ille verò per diverſa fugiens
„ non inveniebat aditum, quà exiret. Tandem verò unum
„ invenit locum, ubi vir Dei ſignum Crucis non direxerat,
„ foramen ſcilicet cameræ, ubi funis dependebat, per quem
„ ſignum per horas canonicas pulſabatur: & velociter funi-
„ culo illi innixus, faſtigium templi conſcendit: ſed illo
„ aſcendente chorda poſt eum quaſi ab igne combuſta eſt.
Hoc Sanctæ Cruci ludibrium ille debuit, de quo ſcriptum eſt: *Draco iſte, quem formâſti ad illudendum ei.* Pſalm. 103. v. 28.

§. IV.

Monaſterium Sanctæ Crucis Pictavienſe.

Sancta Crux in urbe Pictavienſi antiquiſſimum, & celeberrimi nominis Monaſterium à Veſtalibus Benedictinæ Familiæ hodie inhabitatur. Exordia ſua S. Radegundi Francorum Reginæ in acceptis refert. Hæc Bertharii Thuringiæ quondam Regis filia à Clothario Francorum Rege adhuc parvula in Galliam captiva eſt abducta. Ejus juſſû in agro Viroman-

romandensi apud Atheias (*l*) educata, atque literis instituta fuit. Ubi ad nubiles pervenit annos, mirâ cum formæ, tum morum elegantiâ Clotharii rapuit oculos, à quo in legitimam ducta est uxorem. Exactis in conjugio compluribus annis, aulam, annuente Rege marito, deseruit, ac Pictavis Monasterium construxit. *Quam fabricam*, inquit Baudonivia monialis & discipula in ejus vitâ, *vir Apostolicus Pientius & Austrapius Dux per ordinationem Dei celeriter fecerunt. In quo Monasterio Sancta Regina mundi falsa blandimenta respuens gaudens ingressa est, ubi perfectionis ornamenta conquireret, & magnam congregationem puellarum Christo nunquam morituro sponso aggregaret.* Hujus ardentissimo amore cùm flagraret, haud priùs acquiescendum sibi putavit, quàm Reliquias de sacra ejusdem Cruce nancisceretur. Igitur, conscio Clothario Rege, Clericos Constantinopolim transmisit, qui ab Imperatore Justino vivificæ Crucis, fragmentum efflagitarent. Voti damnata salutiferum illud lignum magna pompa ac celebritate in Basilicam inferri curavit; quod deinceps Monasterio nomen dedit, ita ut ab eo tempore *S. Crucis* nuncupari cœperit. Quò Christi verò, divini sui sponsi, qui Patri obediens factus est usque ad mortem Crucis, vestigiis presliùs insisteret, abbatissam instituit, cui ipsa magna obedivit humilitate. De Sanctâ hac Regina videor mihi rectè dicturus, quod anno MDCXXI. Gregorius XV. Pont. Max. ad Venerab. Margaritam à Cruce, Maximiliani II. Imp. filiam, sanctimonialem Ordinis S. Claræ perscripsit: *Latiùs planè & feliciùs regnas arctis Monasterii finibus conclusa Christo inserviens, quàm si amplissimas regnatricis Domûs tuæ provincias ditione teneres. Principibus enim homines quidem plerumque coacti obtemperant; iis, qui Crucem sceptris prætulerunt, cælum ultrò favet, & Angelici cætus famulantur,*

(*l*) Athiecs,

Vivebant in Pictavienſi S. Crucis Monaſterio, teſte Gregorio Turonenſi (*m*) *Sanctimoniales ad numerum circiter ducentarum, quæ per illius* (Radegundis) *prædicationem converſæ vitam ſanctam agebant, quæ ſecundùm ſæculi-dignitatem non modò de ſenatoribus, verùm etiam nonnullæ de ipſa regali ſtirpe hac religionis forma florebant.* Miro ac incredibili eas amore complexa ſæpius monebat, in Monaſterio *S. Crucis* haud mollem, ſuavem, atque delicatam vitam, ſed Cruci Chriſti conformem, duram, rigidam, & auſteram eſſe ducendam. Fieri non poſſe, ut à vitâ monaſticâ bajulatio Crucis ſeparetur. Quæcunque ſe ipſam abnegare, tollere Crucem ſuam, & ſequi Chriſtum nolit, illam debere non modò monacham ſe non putare, ſed ne Chriſtianam exiſtimare. Contra verò quæcunque nunc ſublatâ Cruce Chriſti præeuntis preſſura ſit veſtigia, eam etiam certo certius ſecuturam eſſe Agnum, quocunque ierit. Conjuncta eſſe Monaſterium S. Crucis, & regnum gloriæ; ab illo in iſthoc tranſiri.

Inſignis hic Partheno Regibus Franciæ ſpeciali ſemper curæ fuit, uti indicio eſt Ludovici Pii capitulare circa an. 822. apud Stephanum Baluzium, quod totum eſt de hoc Monaſterio. Erat ex Monaſteriis, quæ ab omni militia, & dono immunia, ſolas preces & orationes Imperatori debebant, ut ex notitia ea de re facta in conventû Aquiſgranenſi perſpicuum ſit. A Pipino Rege Aquitaniæ, Ludovici Pii filio, in præcepto, (*n*) quod Kalendis Aprilis anno Imperii Ludoviciani duodecimo, Regni verò ſui undecimo pro Pictavenſi Parthenone emiſit, *Monaſterium Sanctæ Crucis* vocatur; hodie *Sainte Croix de Poitiers.* Cœnobium igitur à S. Radegunde Regina conditum etiam nunc ſub *S. Crucis* titulo illuſtre perſeverat, Ordini Benedictino addictum.

Mona-

(*m*) Lib. de Glor. Confeſſ. cap. 106. (*n*) Vide illud apud Coint. Annal. Eccl. Franc. tom. 8. ad an. 825. n. 2. p. 717.

§. V.

Monasterium Sanctæ Crucis Burdigalense.

SAncta Crux, Gallicè *Sainte Croix de Bordeaux*, olim extra, nunc intra muros Burdigalæ, primò condita à Rege Clodovæo II. traditur, qui anno 650. Gallis & Aquitanis imperabat; Carolus Magnus Monasterii à Saracenis anno 729. direpti primus reparator creditur, cujus notitia habetur in indiculo Abbatiarum, quæ in conventû Aquensi anno 817. Ludovico Augusto dona, vel solas orationes debebant. Secundus porrò restaurator extitit Guillelmus II. cognomento *Bonus* Comes Burdegalensis, Guillelmi ex Endregothâ filius; is petente Frencardo, & assentiente Adelberto Pontifice Abbatiam S. Crucis Burdegalensis renovavit, ut his membranis constat, quæ in tabulario regio civitatis asservantur, quarum tenorem ex originali etiam archivi Monasterii exscriptam, & in Analectis lib. 3. Historiæ Beneamensis cap. 4. editam, doctissimi Fratres Sammarthani Galliæ Christianæ tomo IV. pag. 313. inseruerunt.

Regnante Guilelmo Comite, qui vocatur Bonus in civitate Burdegalensi, convocavit majores domûs suæ quodam die, & ait ad illos: Date mihi consilium de hoc quod vobis loqui volo. Audio, quòd per multas regiones construuntur Monasteria ad servitium Dei faciendum in ordine Monachali, & volo, ut cogitetis & dicatis, in quo loco mihi dederitis consilium, ut pro redemptione animæ meæ, vel omnibus adjutorium facientibus, construatur unum Monasterium intus civitatem aut foras. Erat autem juvenis eloquentissimus de nobili genere, literis eruditus, cujus nomen vocabatur Trencardus, loquutus est coram omnibus dicens; non est convenientia, ut tam perfecta provincia, sicut ista est, sit extranea à consortio monachorum. Audivimus à multis senibus dicere, quod foras civitate in Oratorio, quod est in ho-

 nore

nore Sanctæ Crucis ædificatum, ab antiquis temporibus fuisset habitatio monachorum non parva, sed à paganis est destructa; & est in meâ hæreditate, & fuit antecessoribus parentibus meis. Et si tibi & omnibus placet, ut readificare velis, hoc quod ad me pertinet, ad servitium DEI faciendum ego derelinquam. Placuit hoc consilium Comiti, & omnibus, qui ibi aderant, scientes quòd per voluntatem Dei evenisset. Venit Comes Guilelmus & cœpit ædificare & perseveravit. Cùm completa esset ædificatio Monasterii, constituit XIII. Monachos & Abbatem XIV. cui nomen Helis in servitio Dei perseverantes; & congregans omnes Principes Burdigalensium, vocavit matrem suam nomine Entregodis, & uxorem suam Arenburgis, & venerunt ante altare, quod est in honore S. Crucis ædificatum, & dixit coram omnibus, Guillelmus Comes: In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis ego Guillelmus filius Raimundi Comitis do istas terras cum ista vinea, & Ecclesia Sancti Hilarii de Ortellano cum omni ei pertinente & villâ quæ vocatur Solaco, cum oratorio Sanctæ Dei genitricis Mariæ, cum aquis dulcis, de mare Salissæ usque ad mare dulcia, cum montanis, cum pineta, cum piscatione, cum cuncta prata Salnicina, capiente cum servis & ancillis. Cuncta hæc do Deo, & hoc altare in honore S. Crucis ædificato, à constitutione hunc locum, & Dei servitio adimplendum. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, voluntati nostræ, vel quislibet adinventionibus, aut aliquis de heredibus nostris cupiditas · --- vel quælibet persona obvius vel repetitor extiterit, à conventû omnium Christianorum, vel liminibus Ecclesiarum extraneus habeatur. Et Judæ traditoris Domini nostri JEsu Christi perfruatur consortio, insuper etiam partibus ipsius Monasterii, vel fratrum ibidem consistentium, sociato quoque cum exactione sacratissimo fisco aurì libras centum, ac argenti mille, coactus exolvat, & quod repetit, nullatenus valeat vindicare. Sed præsens donatio, quæ à nobis pro amore Dei Ecclesia Sanctæ Crucis conscripta est firma & illibata omni tempore valeat permanere, cum stipulatione subnixa.

Actum

Actum ibi, signum Guillelmi Comitis, signum Adelberti Archiepiscopi.

§. VI.

Talmontense Sanctæ Crucis Monasterium.


TAlmundum oppidum cum castro in Britanniâ Minori situm est. Principatûs titulo insigne illustrissimam Tremoliam gentem veneratur. Hîc anno MXLVI. sub invocatione Sanctæ Crucis Monasterium Ordinis Benedictini conditum fuit. Fundator erat Wilhelmus I. cognomento Calvus, Tallemontensis castri princeps ac dominus. Ejus insignem in S. Crucem pietatem diploma fundationis testatur, dignum sanè, ut ab iis, qui Monasteria ejectis Monachis hodie occupant, quíque eorum bona, quibus ex fundatione competunt, injustè usurpant, attentâ mente perlegatur. Sic verò incipit: *Quisquis Domino domum pro posse dignam præparat in terris, par est, ut ei Dominus domum non manufactam conderet in cœlis. Ipsi autem nusquam melius ædificatur domus, quàm in piis mentibus, Christúmque sincerè diligentibus. Sed hanc ædificare non nisi paucorum est, & Regi cœlorum violentiam irrogantium. Multi namque huic mundo dediti, quanto actionibus hujus sæculi promptiori student animo, tanto pigriores ab hoc torpent ædificio. Unde factum est, quia dum animadverterem quo poteram intellectu ego Willielmus Talemontis Castri Princeps, & Dominus me parùm ab illis distare, quibus dicitur, vos estis templum Dei, utpote hujus sæculi curis impeditus, mecum deliberavi Ecclesiam ex proprio facere, quatenus inter filios computari merear Ecclesiæ, ut qui videlicet vacare non possem, quo Domino digna facerem, illi saltem per me domus haberent, in quibus Dominus habitaret. Hanc prope denominatum meum castellum construi placuit in honorem Dominicæ Crucis; ut cùm in ultimo die examinis ipsa Crux sacrosancta apparuerit, magnum fiat præsidium tam mihi quàm*


quàm liberis meis, & omnibus propinquitate conjunctis. In hac igitur monachos sub normâ Sancti Benedicti Christo militaturos aggregavi, quorum assidua pro nobis apud DEum oratio fiat efficax intercessio. His ad victum vel vestitum, vel aliquem alium usum de propriis rebus aliqua largitus sum: scilicet (Hîc bona, quibus Monasterium dotatum est, longo ordine recensentur: tum Fundator subjungit) *Ubi verò ego Willelmus persensi adesse diem mortis meæ, suscepi monachilem habitum in hoc eodem Monasterio, quod construxeram in honorem Sanctæ Crucis, & convocans omnes Barones meos, quos de diversis regionibus adduxeram, quósque in isto meo honore placitaveram, eos multùm rogavi, ut secundùm suum posse Ecclesiam, quam ædificavèram, de rebus, quas eis dederam, augmentarent ---- Hujus donationis tot fermè testes existunt, quot Talemontis pagi accolæ inveniri possunt. Verùm ne posteritas neglectrix nostræ, suæq; salutis, quasi præteritorum ignara, cupiditate ducta, hac quandoque infringere præsumat, idcirco stylo memoriæq; commendo, meâque authoritate & filiorum meorum Willelmi atque Pipini, unà cum filia mea Ascelina, voluntariâ stipulatione per hanc chartulam roboro, sancio, atque confirmo, sub testimonio legitimorum virorum, quorum hæc sunt nomina, videlicet Ramnulfus de Bullo, & filii ejus Petrus & Ramnulfus Arbertus, Bastardus, Ascelinus senex, Aimericus Rufus, Stephanus Vinderiam, Abel Barbatus, Annonius Pincerna, Mathurinus, Camerarius, Joannes & Isembertus frater ejus, Cochteas Marescallus. De Clericis verò Ademarus, Garinus Thecardus, Bartholomæus, Gauterius, Hilarius, & alii multi.* Ita Wilhelmus Senior ac Fundator, in suo instrumento; qui in hoc eodem S. Crucis Monasterio habitum Benedictinum suscepit. Wilhelmus verò junior, Senioris filius, & Talemontis castri dominus, à pietate patris erga S. Crucem non alienus, votum ejus adimplevit. Primus Abbas fuit Vitalis, vir vitæ ac morum sanctimonia Venerabilis, quem ex Monasterio Ruyensi evocatum Wilhelmus junior huic S. Crucis cænobio præfecit. §. VII.

§. VII.

Cella Begonis Monasterium S. Crucis.

COmmune illud ac vulgare, quàm plurimas sacri Ordinis nostri Ecclesias in formam Crucis esse exædificatas; sed illud penitus peculiare ac minimè frequens, quina Monasteria eô sitû ac collocatione fuisse constructa & disposita, ut schema Crucis efformarent. In monte Vosago, qui Lotharingiam ab Alsatiâ dirimit, cùm multa essent Monasteria, potiora quinque erant in modum Crucis disposita. Bodonis Monasterium virginum à Bodone Tullensi Episcopo, Sanctæ Salabergæ fratre, quasi in capite conditum ad septentrionem, cui Thietbergam filiam præfecerat; Senoniense ad Orientem à Gundelberto Senoniensi Præsule; Stivagium ad Occidentem incerto auctore; Juncturæ ad Meridiem quasi in pede Crucis, à Deodato Nivernensi Episcopo, ac Medianum Monasterium in meditullio positum, quod Hildulfus Trevirensis antistes ædificavit. Et hinc est, inquit Humbertus Belhomme in Historia Mediani Monasterii pag. 39. quòd prædicta quinque Monasteria, positionis illorum habitâ ratione à quibusdam authoribus repræsentantur in modum Crucis, ut sequitur.




Meridies
Junctura
Oriens
Senonia
Medianum
Monasterium
Occidens
Stivagium
Bodonis
Monasterium
Septentrio.

Ab hoc ipſo S. Epiſcopo, poſtquam abdicata dignitate in Voſagum ſecedens Monachus & Abbas Medianenſis Monaſterii factus eſt, in loco, qui olim à donatore viro nobili, Beggonis cella, nunc S. Blaſii dicitur, Monaſterium S. Crucis ædificatum fuit, ad quod S. Spinulum transmiſit, cum multis ſui cænobii monachis, quibus eum Abbatem præſtituit.

In vitâ S. Hildulphi fundatio Monaſterii S. Crucis his verbis deſcribitur: „ Quidam vir Bego dictus nomine, ſancti „ viri neceſſitati communicans, rerum ſuarum aliquid uſibus „ fratrum, ſub beato viro Deo militantium, delegare ſtu„ duit, atque locum, qui hodie uſque Begonis cella dicitur, „ & partem Voſagi, quæ Fulchodi rupes appellatur, deſti„ navit. Denique vir Dei Hildulfus in cella jam dicta ho„ nori ſanctæ ſcilicet Cruci dicata, virum ſummæ humilita„ tis & obedientiæ, Spinulum nomine conſtituit, in quâ „ idem homo fideliter Deo ſerviens; poſt multiplices in „ Chriſti agone labores, ac numeroſa miraculorum inſignia, „ vitæ æternæ conſecutus eſt prœmium. Sepultum verò „ terris, ut apud ſe vivere Deus demonſtraret in cœlis, om„ nibus infirmantibus ad ſancti viri tumulum venientibus „ voluit ſubvenire. Quanti ibi paralitici, venis redintegra„ tis, ſolidati ſunt, verbo aut ſcripto non facilè explicabitur. „ Omnis cœcitas clarificata lumine diem micata obſtupuit. „ Univerſa debilitas, ibi recuperatis uſibus, robur amiſſum „ perſenſit. Unde turbis irruentibus reperta eſt aqua ſalſiſ„ ſima. Cupiditate igitur ſalutis, habilitate loci, aquarum „ abundantia populi confluenres, forum ibi ſtatuere tenta„ verunt. Quam inquietudinem vir Dei Hidulfus ſentiens „ indoluit, & baculo artus regente, Eccleſiam, ut ei moris „ erat, oraturus intravit. Deinde oratione expleta; ſurre„ xit, & ad tumulum S. Spinuli venit, atque ut erat piæ „ mentis, ora perfuſus lacrymis inquit; Gratias, frater Spi-

 nule,

„ nule, Deo agimus, quod te in pacis regione quiescere cre-
„ dimus, & apud omnipotentem Deum posse plurimum con-
„ fidimus. Nosse te etiam scimus, quomodo & quare nos
„ (scilicet desiderio liberiùs vacandi orationibus ac deser-
„ viendi Deo) tumultu populorum relicto in hanc solitudi-
„ nem devenimus. Tu igitur tranquillitate potitus, nostri,
„ qui in viâ mortis sumus & interejus pericula fluctuamus,
„ miserere oramus: (quin etiam fifas est, exigimus illa ipsa
„ virtute præclaræ maximæque obedientiæ, quæ in te re-
„ fulsit dum temporaliter viveres, cujúsque merito æterna-
„ liter, ut evidentibus & quotidianis signis liquet, gaudes,
„ ne popularibus negotiis religionis monasticæ indicibilis
„ periclitationis procellam suscites.) Si enim hac populo-
„ rum confluentia pressi fuerimus, non parùm à proposito
„ declinabimus (quoniam paulatim secularium jurgiis &
„ causis, ac sic nimio pulvere infecti atque fœdati, omnium
„ mundissimo minimè inhærebimus creatori; quodque absit,
„ ordo monasticus, hîc jam Deo propitio stabilitus, pessum
„ dabitur funditus) Licet enim, Deo cooperante, subsidia
„ corporum nostro conferantur loco, tamen animarum ti-
„ memus pericula. Unde concurrentium comprime turbas,
„ & hilarem affluentémque datorem Deum pro nobis implo-
„ ra, ut benedictionis ejus sentiamus gratiam; quatenus (pe-
„ nuria necessarii victus ac vestitus expulsa, occasionéque la-
„ queos deceptionis aptandi invidissimo diabolo sublatâ)
„ impleamus nostræ professionis vota. Tunc verò videres
„ spiritum carne solutum & vitâ potitum, obedire mortali,
„ ac si idem teneretur adhuc vinculo carnis. Nam signis
„ cessantibus, venisque cohibitis salinarum, frequentia quo-
„ que desinit populorum (ad confutandam tamen impru-
„ dentem garrulitatem invidorum & incredulorum, datur
„ ibidem usque hodie prospici evidentissima indicia trium
„ quondam puteorum. Denique sanctus finita prece, ac
„ que-

„ querimonia, alacer ac fidens ſe jam conſecutum optata,
„ ad fratres regreſſus, ſolicitos vigiléſque orationi inſiſtere
„ hortatur, quo repreſſa concurſante turba ab Omnipotente
„ conſolatio voluntariæ paupertatis aliunde eorum dirigere-
„ tur) Hæc acta fuerunt in Monaſterio *Sanctæ Crucis*, quæ
„ uti Monachos etiam poſt mortem obedire docet, ita obe-
„ dientes exaltat, eíſque nominis confert immortalitatem.

§. VIII.

Kemperlegienſe S. Crucis Monaſterium.

ARmoricæ inferioris civitas Kemperlegium, inter duos amnes, Elegium ſcilicet & Idol, conſtructa; ab antiquis ejuſdem regionis colonis, Avantot nuncupata: in quâ Monaſterium Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Conſopitenſis olim quidem à Karadoco, ſive Guerek cognomento Brechbras, Venetenſi comite, in honore Sanctiſſimæ Crucis fundatum, anno circiter DL. Verùm bellorum incendio conflagratum, & dirutum ab Alano Cornubiæ Comite, cognomento Caignart reſtauratum, & dotatum tempore Alani hujus nominis tertii Britonum Ducis: Cujus reſtaurationis hæc præcipua extitit cauſa, infirma ſcilicet valetudo Comitis, qui graviſſimo languore detentus, cùm multa in medicos inſumpſiſſet, nec ſanitatis fructum inde perciperet, fuſis lacrymis nocte ac die, Deum precatus eſt; & ecce, ut tradunt, aurea Crux, coruſco lumine ſplendens, in os ſuum deſcendere viſa eſt; ſtatímque priſtinæ ſanitati redditur. In tanti beneficii gratiarum actionem de reſtaurando Kemperlegienſi Monaſterio cogitavit, quod & fecit de conſensû conjugis ſuæ Judith, Judicaelis Nannetenſium Comitis filiæ: cum conſilio Oriſcandi Coriſopitenſis Præſulis, ſupradicti Comitis Alani fratris. Pro hujus autem Monaſterii ſtabilitate, ad uſum Monachorum

 ibi-

ibidem Deo servientium, quos è sacro Rotonensi cœnobio, Catualano ipsius Monasterii Abbate, & fratribus assentientibus adduxit, dedit ipsemet, Oriscando Episcopo, & Optimatibus Cornugalliæ præsentibus, totam Insulam Guedel, vulgò Belle Isle, cum omnibus redditibus suis, liberam ab omni calumnia, & exactione census in Abbatia sempiterna. Acta hæc sunt die festo exaltationis Sanctæ Crucis, quo die S. Gurlœsius, Rotonensis primùm Monachus, deinde Prior, vir summæ honestatis & disciplinæ Abbas ab Oriscando benedictus est. *Vide Fratrum Sammarthanorum Galliæ Christianæ tomum IV. pag. 1551.* Adde Mabill. Sec. Ben. VI. part. 2.

§. IX.

Monasterium S. Crucis Busendorffense.

MOnasterium Busendorffense, Gallicè *Bouzonville*, Latinè *Bosonisvilla*, illustrissimos habuit conditores, Adalbertum Comitem Alsatiæ, fratrem Gerardi Comitis Metensis, Serenissimæ Domûs Lotharingicæ propagatorem, atque ejus conjugem Juditham, quæ fuit soror Sigefridi primi Comitis Lucemburgensis & Godefridi Comitis Virdunensis. Discimus hoc ex fundationis instrumento, (o) cujus initium afferre liceat: *Anno ab Incarnatione Dominica MXXXIII. Indictione I. epacta 16. concurrente 7. pridie Kal. Februarii, regnante Imperatore Conrado, rogante glorioso Comite Adalberto unà cum optima ac Christianissimâ conjuge sua Judstha, dedicatum est Oratorium à sancto ac venerabili Metensi Episcopo Deoderico II. in honorem victoriosissimæ Sanctæ Crucis, & Sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, ac S. Petri, ac multorum Sanctorum Dei, Comes præfatus eodem die de foro Tullensi, centum solidos & viginti denarios*

(o) Vide integrum apud Calmet Histor. Lothar. tom. 1. probat. pag. 543.

rios tradidit, pro dote dedicata Ecclesiæ &c. Florente adhuc copia mundi Adalbertus Comes Marchio, & uxor ejus Juditha, omnem spem salvandæ animæ ponentes in Domino, ipse perrexit Hierosolymam propter Sancti sepulchri amorem. Ipsa interim domi residens Monasterium BOSOMSVILLÆ construxit reverendæ Crucis in honorem. Comes autem dum Hierosolymam pervenisset, studium uxoris suæ non celavit auribus Domini Patriarchæ, qui sibi cum aliis reliquiis dederat partem non modicam Dominicæ Crucis. Unde nimium gavisus, ut est in patriam reversus, mox Theodericum Metensem invitavit Episcopum, ut in honorem S. Crucis præfatum benedixisset locum, quem priùs allodiis & mancipiis utriusque sexus liberalissimè dotavit, rebúsque Ecclesiasticis auro vel argento exornavit, congregans illic Monachos, qui Deo & Sanctis ejus servirent studiosè, datis eis victus ac vestitus necessariis copiosè. His ita ritè dispositis, Comes supradictus post annum moriens in choro S. Crucis est sepultus, & uxor ejus Juditha in medio Monasterii sepulta.

Novum *S. Crucis* Monasterium Divo Popponi Abbati Stabulensi, ac celeberrimo Monasteriorum Ordinis Benedictini Reformatori moderandum commissum fuit, qui Cunonem eidem primum præfecit Abbatem. Ita Everhelmus Abbas Altimontensis in vita S. Popponis his verbis testatur: *In Busendorff, quod largiente sibi Adalberto Comite in manus venerat, sub Cunone, quem Rectorem illic subrogaverat, Monachorum gregem aggregaverat.* Hujus consilio Gerardus Comes & Marchio cum uxore Gisila invitavit Leonem IX. Romanum Pontificem, (*p*) qui altare *S. Crucis* Pontificalibus decoravit donis. Ita enim in Fundationis instrumento post allata verba de morte & sepulturâ Adalberti & Judithæ immediatè subjicitur: *Successitque eis Gerhardus Comes Marchio filius, qui cum*

(*p*) Seu potiùs Brunonem, tunc Tullensem Episcopum, qui post mortem Gerardi Comitis factus est Papa Leo IX. anno 1049. Ita in notis ad hoc Instrumentum Abbas Calmet in Probat. ad Tom. 1. Histor. Lothar. col. 543.

cum uxore suâ Gisila locum præfatum omni custodiens diligentia Monachis præposuit Cunonem, cujus consilio invitavit Romanum Pontificem domnum Leonem, qui altare Sanctæ Crucis Pontificalibus decoravit donis &c.

Crucis Sanctæ portio, quam Adalbertus Alsatiæ Comes ex Palæstina secum attulit, usque ad hodiernam diem Bosonisvillæ ostenditur; quæ uti toti provinciæ permagnæ venerationi, ita non minori est solatio.

§. X.

Monasterium S. Crucis apud Firmanos.

THeodosius, sive Hedosius Firmanæ Ecclesiæ in Italia Episcopus ordine XV. ad quem Papa Joannes VIII. literas dedisse legitur, floruit circa annum octingentesimum octogesimum. Cùm erga sacram Christi Redemptoris Crucem admodùm esset devotus, in ejus honorem Ecclesiam cum Monasterio construere decrevit. Fecit hoc in quadam suæ diœcesis Insula, fluminibus Etha & Clento circumdata. Dotem assignavit ex bonis Firmanæ Ecclesiæ, quæ ab ipso magnis accessionibus aucta fuerant. Non parùm etiam Carolus III. Imperator contribuit, qui hanc institutionem cum Canonicis ejusdem Ecclesiæ ratam esse jussit. Postquam Ecclesia *S. Crucis* cum Monasterio ad fastigium perducta fuit, eam Theodosius anno 887. die 14. Mensis Septembris consecravit. Cui solemnitati præter magnam Episcoporum ac Principum frequentiam ipse Carolus Imperator interfuit, uti liquet ex regia donatione ejusdem Augusti in favorem Monasterii S. Crucis factæ. Cujus originarium diploma asservatur in Archiepiscopali Archivio. Nobis sufficiat ex instrumento fundationis à Theodosio factæ initium attulisse.

In

In nomie Patris, & Filij, & Spiritûs S. Dominis venerabilibus, sanctissimisque successoribus nostris Episcopis, seu Christicolis omnibus, qui DEum metuere ac venerari penitus noscuntur. Notum facimus, quoniam consensu, consilióque omnium venerabilium Episcoporum in Ducatû Spoletano degentium, ego Theodosius divina gratia S. Firmianæ Ecclesiæ Episcopus in rebus S. Maronis Martyris Christi, in quadam insula, à Domno meo Carolo invictissimo Imperat. Augusto, & à me ipso olim inventa fluminibus circumdata, Etha videlicet & Clentho, plena vepribus atque fruticis solita ante Domini gratia ob amorem D. N. JEsu Christi & ejus vivificæ Crucis, Basilicam ibidem à fundamento construi præcepi & ædificari, & per me primum & alios Episcopos consecrari volui, & Monasterium in ea fieri decrevi. Accersitis itaque consacerdotibus meis communi consilio, Sancto Spiritû inspirante, eam in honorem divini Salvatoris, sanctæq; ejus vivificæ Crucis consecrare curavi, & quoniam olim tenebrarum habitatio, cavernáque vulpium, nunc autem videtur Domini adminiculante gratia domus Dei, & habitatio sanctorum, fervore Dei succensus Monasterium ibidem ordinavi. - - - Actum est hoc apud dictum Monasterium in consecratione ejusdem D. Carolo Serenissimo Imperatore præsente cum multis principibus, clericis, & laicis, Mense Septemb. die 14. intrante anno Domini Incarnat. 887. Indict. 5. anno Imperii D. Caroli in Italia 6. Vid. Ughell. Ital. Sac. tom. 2. c. 746.

Plura alia in honorem S. Crucis vel erecta, vel sub ejus titulo dedicata Monasteria Benedictini in Italiâ possident. Atque ut de Monasterio S. Crucis in Jerusalem Romæ quod S. LEO IX. P. M. Benedictinis inhabitandum dedit, illi verò cum Cœnobio S. Mariæ in Palladio commutarunt, nihil dicam, Cœnobium S. Crucis apud Iserniam Rodulfus de Molisio Bovianensis Comes Casinatibus donavit. Monachus etiam Casinas fuit Mainardus, quem Ughellius Ital. Sac. Tom. 1. *sanctissimum* vocat. Hic celebre S. Crucis ædificavit Cœnobium

bium in territorio Fulginatense, quod hoc tempore Saxovivi Cœnobium vocitatur ab omnibus. Vide Gattol. in Hist. Casin.

§. XI.

Monasterium Sanctæ Crucis HELNESTOU.

KIntwino in Anglia regnante, circa annum 675. Cissa, virgo nobilissima, ac soror Heani, viri sancti, ac conditoris Monasterii Abendoniensis, ex portione hæreditatis suæ, consentiente Cissa subregulo, patruo an avunculo suo? construxit Monasterium Sanctimonialium juxtà Tamisiam in loco, qui *Helnestou* vocabatur, in quo plurimas congregavit Sanctimoniales, quarum ipsa mater & abbatissa extitit. Ipsa etiam amicorum suorum auxilio parvulam punctam de clavis Domini adquisivit, quam cum alio ferro inserere jussit, & inde Crucem præparare, & post terminum vitæ suæ super pectus suum ponere, & propter reverentiam Crucis illius, Monasterium illud in honore S. Crucis & S. Helenæ fecit dedicari.

Post mortem verò Cissæ translatæ sunt Sanctimoniales illæ usque ad Wittcham, & iterum de loco illo propter bellum, quod erat inter Offam regem Merciorum & Kenewifum regem Westsaxonum, dispersæ sunt, & usque in hodiernum diem, quò devenerint, ignoratur. Succedentibus multorum annorum curriculis cùm susciperet Sanctus Adelwoldus curam Monasterii Abbendoniæ, fecit ductum aquæ, qui est sub Monasterio, & molendinum sub curia. Cùm verò fossores foderent circa Monasterium *Sanctæ Helenæ*, invenerunt in sabulo Crucem ferream, quam Cissa abbatissa fecit ponere super pectus suum in sepulchro suo. Tunc translata est Crux illa in Monasterium Monachorum, & ibidem cum maximo hono-

honore & reverentia, usque in hodiernum diem conservatur & adoratur. Hæc est illa Crux gloriosa, quæ *Nigra* appellatur. *Vid. Monasticon Anglicanum Tom. 1. pag. 97.*

§. XII.

Monasterium Sanctæ Crucis Warwellense.

ALfritha, Edgari Angliæ Regis conjux privignum suum Eduardum, cui pater regnum reliquerat, operâ sicarii è medio sustulit, ut filio suo Ethelredo regium imponeret diadema. Rem crudeliter gestam Henricus de Knygton Canonicus Leycestrensis lib. 1. de Eventibus Angliæ ita narrat: (q) „ *Edwardus* filius Edgari juvenis auxilio Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi, cæterorúmque Episcoporum in regem sublimatur contra voluntatem quorundam optimatum, & potissimum novercæ suæ *Elfrithæ*, quæ filium suum Egelredum septennem in regem erigere conabatur, ut sic ipsa potiùs sub nomine ejus imperaret. Iste *Edwardus* regnavit tribus annis & dimidio in sublimitate. Cúmque *Edwardus* adhuc juvenis quâdam die pergeret venatum, dispersis commilitonibus suis in sylva accidit, ut solus lassus rediret per hospitium *Elfrithæ* novercæ suæ, quæ læta quod opportunitatem nocendi nacta esset, vultum quàm hilarem ei prætendebat, & gaudifluo honore eum recipiebat, & osculabatur eum fervidè, & dum ipse biberet, percussit eum una sica; ac ille percussus sic equum urgebat, redire ad socios suos, agitato equo uno pede lapsus. Alteróque per devia tractus undante cruore apud *Corinsgate* signa mortis dedit suis militibus, monstrando causam suæ interfectionis. Tunc ipsa ignobiliter apud *Warram* per triennium habitante, sepulto arriserunt divina miracula;

 „ nam

(q) Scriptor. X. Rer. Anglic. pag. 2313.

„ nam cælesti luce de summis emissa claudus recepit gressum,
„ mutus, surdus, cœcus, organum cupitum, omnis denique
„ invaletudo sospitatis sumpsit statum. Quo rumore atto-
„ nita interfectrix ipsius dirigit se tumbam ipsius visitare, &
„ in jumentum vecta, quod quidem nec flagris, nec clamo-
„ ribus minari potuit, mutatóque sæpiùs jumento in idem
„ attemptavit, nec proficere valuit. Unde quod per ipsum non
„ potuit, per alium effecit; nam *Elfredus* minister ejus cor-
„ pus *Edwardi* apud Septoniam, quæ modò *Schaftisbury*, so-
„ lenniter tumulavit. Succedente tempore pars corporis
„ ejus apud *Leot* Monasterium juxtà Herford, pars apud
„ *Abendon* translata est, locus verò apud *Septoniam*, ubi pul-
„ vis ejus adhuc integra viriditate palpitat, *Edwardstove* nun-
„ cupatur. Pro hac autem interfectione *Elfritha* constru-
„ xit duo Monasteria fœminarum, & ipsa deposita terrena
„ pompa diu & dirè pœnituit jugi cilicio, & jejunio cor-
„ pus frangens, Cruces quas potuit insuper fronti & pectori
„ imprimens, nec tamen omnino vindictam evasit. Hacte-
nus Knygtonius; cui Joannes Bromton, Abbas Jornalensis, his verbis (*r*) astipulatur. „ Pro interfectione autem istius
„ Sancti Regis Edwardi prædicta Alfrida noverca sua duo
„ construxit Monasteria fæminarum, unum videlicet apud
„ *Werewelle*, ubi & ipsa requiescit, & aliud apud Amresbury
„ juxtà *Sarum*. Et quidem Warewellense Monasterium Alfrida in honorem S. Crucis ædificavit, ut ex Monacho Wigorniensi, qui Florentii Wigorniensis Chronicon continuavit, non obscurè intelligimus. (*s*) *Hoc Monasterium regnante glorioso Anglorum rege Eadgaro Alfrida uxor ejus (compuncta privigni sui nece) ædificavit in honorem Sanctæ Crucis.* Bello autem flagrante, quo Stephanus Angliæ Rex captus est, & ipsum miserè conflagravit. Nam milites Henrici Episcopi Wintoniensis dum nescio quem Joannem ex hostium numero ad Mona-

(*r*) l. c. pag. 875. (*s*) pag. 678.

Monasterium Warwellense fugientem persequuntur, nec inde ullo modo expellere valuissent, *in ipsa die festivitatis Exaltationis Sanctæ Crucis, immisso igne ipsam Ecclesiam Sanctæ Crucis cum Sanctimonialium rebus & domibus cremaverunt, indumentis eorum & libris cum ornamentis inclementer ablatis, sanguine quoque plurimo coram sancto Altari horribiliter effuso.* Et hæc quidem fecerunt milites Henrici Episcopi Wintoniensis in Monasterium & Ecclesiam S. Crucis; de ipsius verò impietate erga Crucem à S. Canuto Rege in Ecclesia Monasterii S. Grimbaldi erectam Capite III. dicturi sumus.

§. XIII.

Monasterium Sanctæ Crucis Donawerdanum.

QUod Werdeæ Suevicæ, seu Donawerdæ, Danubianæ Peninsulæ, inclytum hodie est Virorum Monasterium, primitùs annis abhinc propemodùm mille Parthenium Ordinis S. Benedicti fuit. Annus agebatur circiter septingentesimus septuagesimus, cùm Thassilo celeberrimus ille ac potentissimus Boiorum Princeps ac Dux pro sacris Benedictinæ Familiæ Vestalibus hîc loci Cœnobium excitavit. Stetit illud, quoad eandem experiri fortunam debuit, quam tot aliæ Ecclesiæ, Monasteria, ac oppida in Germania, ab effera Hunnorum gente funditùs eversa subierunt. Tum verò Partheno, Sanctimonialibus aut cæsis, aut in fugam actis, igne absumptus, dirutus, solóque ferè æquatus incolis tamdiu caruit, donec illum Mangoldus Senior, Comes Werdensis, multarum ditionum Dynasta cum Tutta conjuge sua circa annum 1030. restaurare cœpit. Ut verò sacrum hoc ædificium moliretur, præprimis impulsus fuit ab insigni Sacrosanctæ Crucis portione, quam, dum nomine Imperatoris Conradi Salici legatione Constantinopoli fungeretur, secum

ex Græcia attulerat. Hanc enim ut decenti reponeret loco, Ecclesiam cum Virginum Monasterio recondidit, dignus sanè, quàm Vestales Werdenses, alterum à Thasilone Fundatorem venerarentur. Prima instaurati Patthenonis Abbatissa fuit Gunderada, ipsius Mangoldi & Tuttæ Comitum ac Fundatorum filia, quam S. Leo IX. Pont. Max. cùm à Moguntina synodo Romam versùs rediret, itérque per Sueviam ac Bavariam haberet, instituit ac benedixit. Adhæc Ecclesiam sub titulo *S. Crucis* tertio nonas Decembris consecravit, ejúsque honoribus Monasterium esse sacrum voluit.

Lapsû temporum disciplina regularis, ut fit, non remissa solùm, sed, quod ferendum non erat, collapsa fuit. Unde fragiliori sexû amoto sacratior virorum colonia subrogata fuit. Hanc Asceterium S. Blasii in sylva Hercynia, celebre postulatorum Abbatum & Monachorùm Seminarium, submisit. Factum id Anno Christi MCI. ut ex Bullâ Innocentii II. specialiter in id impertita diductiùs fit perspicuum: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Dietrico Abbati Monasterii S. Crucis de Werd ejúsque successoribus regulariter substituendis: Quemadmodum ex gestis prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Leonis IX. Papæ didicimus; nobilis quondam vir Mangoldus de Werde devotionis intuitû Monasterium in castro suo construxit, quod B. Petro Apostolorum Principi offerens fecit in honorem Sanctæ & vivificæ Crucis per manus ejusdem Pontificis consecrari, & Sanctimoniales fœminas ibidem Deo servituras instituit. Factum est autem, ut eodem Cœnobio per operam pravorum hominum diruto, atque devastato alter Manegoldus jam dicti nobilis viri filius ab Apostolica sede obtinuit, ut sibi licentia præberetur, idem Monasterium ad alia loca transferre, ac per hoc juxtà ipsum castrum in planitie terræ fundavit Ecclesiam, & Sanctimoniales ibi ad Dei servitium deputavit. Quibus utique tam religione quam numero decrescentibus tertius Manegoldus prædecessorem nostrum egregiæ recordationis Paschalem Papam humili-*

militer adiit, & ut amotis Sanctimonialibus in eodem loco Monachi ponerentur, expetiit. Cujus petitioni Romanus Pontifex benignè consensit, & Gebehardo quondam Constantiensi Episcopo, tunc Apostolicæ sedis Legato per sua scripta mandavit, ut videlicet de cella S. Blasii Monachi assumerentur, & in eodem Monasterio ponerentur. Quòd cùm præfatus Episcopus implevisset, idem locus tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, Deo gratiæ sint, plurimùm augmentatus est.

Bullam Leonis IX. cujus Innocentius hîc meminit, Capite sequenti daturi sumus, ubi de insigni particulâ S. Crucis quæ in Donawerdano Monasterio asservatur, narratio nobis instituenda est.

§ XIV.

Monasterium Sanctæ Crucis Wolffenheimense.

S. Leonis IX. Romani Pontificis Majores erant præpotentes in Alsatia Comites, qui post egregia armorum facinora *circa senium, abjecta omni superbia generis & luxu mundi, induerunt humilitatem & paupertatem Christi, patrimonia sua dando Ecclesiis, Cœnobia construendo in suis, & ex suis prædiis: sicque tandem perfectè secuti Christum seipsos etiam abnegarunt; stultáque sapientia seculi omnino posthabita sapienti stultitiæ Dei, atque Monastico habitui tota cordis contritione submiserunt laudabilique per cuncta fine decesserunt.* A tantæ pietatis ac virtutis Majoribus Leo traxit genus & originem. Parentes fuerunt Hugo & Helvidis, piissimi conjuges. Editus verò est in lucem Anno MII. toto córpore Crucis signis insignito. In juventute cùm nocte quadam somnum caperet, à stygio bufone graviter in facie sauciatus fuit. Nec mortem evasisset, nisi S. P. Benedictus attactu sacræ Crucis ei opem tulisset, prout capite V. uberiùs dicturi sumus.

Quæ

Quæ ratio forsan erat, quâ ejus parentes permoti fuerunt, ut Wolfenhemii propè Engesheimum castrum suum conderent in honorem S. Crucis Monasterium. *Hugo Comes præcipuus*, inquit Wibertus in vita S. Leonis, auctor coævus, *& ejus devotissima conjux, parentes utique præfati Domini Brunonis* (hoc enim nomen Leo è sacro fonte tulerat) *Cœnobium remotæ vitæ aptissimum construxerunt, Wolffenheim, penes nobile castrum suum Eginisheim dictum, ex prædiorum suorum decimis, in quo ad præsens sanctimonialium congregatio consistit, ad venerationem & gloriam almæ & victoriosissimæ Crucis.* Situm erat (hodie enim ejus tantùm rudera extant) in Alsatia superiori haud procul à Columbariâ urbe, *Colmar.* Porrò statuerat beatus Pontifex, ut qui ex generis sui posteritate major natu in castro Eginisheim moraretur, advocatiam Monasterii haberet, ut discimus ex Epistola 14. lib. 2. Gregorii Papæ VII. Exemit etiam illud à jurisdictione Episcopi diœcesani. Cujus exemptionis privilegium affert Abbas Calmet in Codice probationum Tom. 1. Historiæ Eccles. & Civil. Lotharingicæ. Tenerrimæ verò sunt devotionis verba quibus idem Sanctus Pontifex salutiferam Crucem in hoc suo privilegio alloquitur. Ita statim initium ab exclamatione facit: *O Sancta & admirabilis Crux, in quâ JEsus Christus Dominus noster pependit. --- Sancta ac vivifica Crux -- memoranda gloriosissima Crux. -- O Crux ipso sole nitidior, cunctisque creatis pretiosior. Quicunque contra memoriale istius libertatis qnid tentaverit incurrat à te O Crux metuenda maledictionem.*

Cæterùm S. Leo Pont. Max. alias plures cùm Ecclesias tum aras in honorem S. Crucis, quandoque non sine ingenti prodigio, consecrâsse legitur; de quibus instituendi narrationem alio loco commodior erit occasio.

§. XV.

§. XV.

Monasterium Sanctæ Crucis Wiblinganum.

EMinebant inter Sueviæ Proceres Hartmannus & Otho, germani fratres, illustres ac opulenti Comites de Kirchberg. Quâ vero tempestate Godefridus Boullionius, aliique Christiani Principes expeditionem sacram in Orientem susceperunt, ut Palæstinam à Saracenis occupatam recuperarent, & ipsi contra hostes Crucis arma in Orientem ferre constituerunt. (*t*) Adeò verò incaluêre fide generosi pugiles, ut ejusdem terræ sanctæ restituendæ gratiâ, nihil expensarum omiserint, editô priùs votô, ut si salvi forent ac reduces, in honorem Sanctæ Crucis, sub cujus præsidio expeditionem susciperent, atque perpetuum S. Martini, militum Patroni, cultum, cujus patrocinio fulti tanta auderent, Monasterium sint conditurı, prout Felix Fabri Civis Ulmensis è sacrâ Prædicatorum Familia in Chronico Ulmensi attestatur. (*u*) Ejus verba hæc sunt: *Hartmannus & Otho Fratres, devotione fidei accensi Crucem cum cæteris Principibus, Comitibus, Baronibus & Nobilibus sumpserunt armati, & Cruce signati ad pugnâ contra Infideles. pro civitate Sanctâ Jerusalem. Sed ut Sancta Crux, sub quâ pugnare volebant, & cujus signum vestibus suis assutum habebant, eos protegeret & defenderet, in perpetuum Crucis honorem & suæ signationis memoriam, præter expensas in passagio habituras, pecuniam copiosam elargiti sunt, conductis architectis pro fundatione; ut sic unico talento Crucis suscepto non tum dupla, quàm tripla talenta redderent, scilicet animas pro orthodoxa fide, corpora pro Jerusalem sancta civitate, quatenus in transmarinis partibus Crucis blasphematores gladio enecarentur, & cum hâc in suis partibus Crucis adoratores, in ampliorem ejus amorem inducerentur.*

(*t*) Vide Templum Honoris Wibling. pag. 5. (*u*) Ibid.

Jerofolymâ expugnatâ, generofi juxtà ac pii fratres de reditû cogitarunt. Romam verò delati, ut limina Sanctorum Apoftolorum falutarent, à Romano Pontifice infigni Sanctæ Crucis particula donati fuerunt. Quô autem decentiori loco hanc reponerent, atque in Monafterio, quod in honorem ejufdem falutiferi ligni extruere cœperant? Eft igitur Wiblinga propè Ulmam, celeberrimi nominis Urbem Imperialem, fita, Monafterium Sanctæ Crucis, in quo ejufdem veri adoratores non pauci ab annis hinc fexcentis vixerunt: Monachi, inquam, qui crucifixerunt carnem fuam cum concupifcentiis ejus. Unde fub Udalrico III. hujus nominis abbate Wiblinganum Monafterium paffim *Sanctum* vocari meruit. Electus fuit an. 1432. & tefte (x) laudato Felice Fabri, *grandi & multa folicitudine Conventum fuum ad tantam perfectionem redegit, ut exemplum omnium Allemanniæ Conventûum fieret, aliáque ex eo Monafteria reformarentur, quia plures Zelofos & maturos viros habebat.* Quod nunquam futurum fuiffet, nifi difciplina S. Crucis, id eft, regularis difciplinæ obfervantia Wiblingæ præprimis floruiffet, ipsáque verè Monafterium S. Crucis extitiffet. Quâ eximiâ laude illam nec iftâ ætate fpoliare aufim.

§. XVI.
Monafterium Sanctæ Crucis Limpurgenfe.

CONradus Imperator cognomento Salicus, non ab infigni tantùm belli peritia, fed ab eximia etiam pietate ac virtutum ftudio commendari meretur. Erat antea Dux Franciæ Orientalis, ac inter cæteras hæreditarias ditiones etiam caftrum poffidebat Limpurgenfe, tribus à Spira, totidémque à Wormatia diffitum milliaribus. Divino aflatus numine arcem

(x) L. c. pag. 45.

cem conſpicuam & perquàm elegantem in longè majoris elegantiæ eccleſiam convertere ſtatuit. Annus agebatur à partû Virginis ſupra milleſimum triceſimus, cùm Conradus die 12. Menſis Julii, aurora vix cælum purpurante è lecto ſe corripit, ac hora quarta ſummo mane primum lapidem pro Eccleſia ac Monaſterio ponit. Patris pietatem ſummè approbavit, ac promovit filius Henricus III. Imperator, qui ædificio poſt annos duodecim faſtigium impoſuit. Ubi verò Eccleſia numeris ſuis abſoluta ſtetit, in honorem S. Crucis magna pompa ac ſolennitate conſecrata fuit. Non contenti pater & filius, Conradus & Henricus, Imperatores Benedictinis Aſcetis Monaſterium addixiſſe, ampliſſimis illud redditibus ornârunt. Cunegundis verò, Conradi filia, Henrici Soror regios ſuos cineres eidem transmiſit, dum hoc loco ſepulturâ condi voluit. Hoc pacto arx hæreditaria Conradi Imperatoris abiit in Benedictinum *S. Crucis* aſceterium, præ multis aliis in Germania religioſæ diſciplinæ ſtudio inclytum.

Ejus poſt aliquot ſæcula impiiſſimam everſionem Abbas Trithemius in Chronico Hirſaugienſi his verbis deplorat: „ Stetit hoc inſigne Cœnobium abhinc annis 470. & multi „ ſanctiſſimi viri per ſucceſſum temporis in eo claruerunt. „ Tandem evolutis annorum circulis, quos diximus, noſtris „ proh dolor! diebus, anno videlicet Dominicæ Nativitatis „ 1504. bello Imperii contra Philippum Bavariæ Ducem „ Rhenìque Palatinum Comitem, ac Principem Electorem „ nimis crudeliter ſæviente, datam ſibi occaſionem gaudentes æmuli Monachorum, Chriſtianæ Religionis deſertores, „ inimici Dei, quidam latrunculi ſervitores conductitii Co„ mitis Emichonis ex Lynigen de Duroburgio caſtello vicino „ cum furore & impetu exeuntes triceſima die Menſis Augu„ ſti cum Eccleſia & univerſis ædificiis igne ſuppoſito fun„ ditùs deſtruxerunt. Tantæ autem majeſtatis fuit Baſilica,

ut omnium oculos impleret, explerétque. Ut enim idem Abbas Trithemius, qui ſtantem, atque eximiæ molis fultam columnis, tanquam cælum Atlantibus vidit, in Chronico ſuo teſtatur: „ Monaſterii Limpurgenſis Eccleſia magna fuit at„ que pulcherrima, pedes in longitudine excedens quinqua„ ginta & ducentos, in latitudine verò centum quadragin„ ta. In qua fuerunt Altaria viginti & revera non memini „ me noſtri Ordinis Eccleſiam vidiſſe majorem ac pulchrio„ rem. Columnis ex ſolido lapide ab introitu uſque ad cho„ rum viginti magnis fuit ſubnixa: quarum unaquæque in „ longitudine pedes habebat viginti, & in circumferentia „ latitudinis cubitos geometrales binos fermè continebat. „ Erectæ ſtabant ſuper baſes magnas & quadratas, capitella ſi„ milis formæ & magnitudinis habentes, ſuper quibus muri „ ab ultraque parte in modum ſemicirculi uſque ad tectum „ extendebantur. „ - - Per duodecim dies & noctes conti„ nuas duravit incendium, cùm Baſilica per integros duode„ cim annos à duobus Imperatoribus Conrado II. & Henrico III. patre & filio maximis ſumptibus exædificata fuiſſet.

Atque hunc in modum Limpurgenſe Monaſterium unà cum elegantiſſima Eccleſia, tanto Zelo & fervore fidei in honorem *S. Crucis* à duobus Imperatoribus conſtructum, ab impiiſſimis Comitis de Lynigen ſatellitibus miſerè devaſtatum fuit, de quibus illud Regii Prophetæ Pſalmo 73. verè dici poteſt: *Quaſi in ſylva lignorum ſecuribus exciderunt januas ejus in id ipſum: in ſecuri & aſcia dejecerunt eam. Incenderunt igni ſanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Quemadmodum verò Conradus & Henricus Impp. immortalem ſuæ erga Deum-Hominem ejúſque Sanctam Crucem pietatis memoriam reliquerunt, ita ex adverſo Comes Emicho perpetuam deteſtabilis ſacrilegii notam nomini ſuo inuſſit, ſuæque erga *S. Crucem*, in qua redemptus fuit, execrandæ impietatis exemplum conſignavit. Quàm di-

difpar igitur longéque diverfa erit retributio, quam tum Conradus & Henricus Impp. tum Emicho Comes cum latrunculis fuis accepturi funt in die illa magna & amara valde, quando Dominus ad judicandum venerit, & fignum Crucis in cælo fulgebit!

§. XVII.

Monafterium Sanctæ Crucis Wahlftadtenfe.

IN Silefia Jaurovium inter & Lignicium pofitum, ab utraque civitate uno tantùm milliario removetur. Locum hunc admodùm celebrem reddidit atrociffimum prælium Chriftianos inter & Tartaros anno 1241. commiffum, in quo cùm plura Chriftianorum millia ad internecionem fuiffent deleta, factum eft, ut campus ille Martius patrio vocabulo *Wahlftadt* Germanis diceretur. Occifos inter & ipfe Dux Silefiæ Henricus, cognomento Pius, filius Henrici Barbati, & Sanctæ Hedwigis, Poloniæ & Silefiæ Ducum, numeratus fuit. Pientiffima Mater, ut filio, quem maternè diligebat, fupremum honorem, quem poffet maximum, perfolveret, eodem in loco, ubi ejus caput à cervicibus avulfum erat repertum, Ecclefiam in honorem S. Crucis excitare conftituit; quam fubinde Monachis Ord. S. B. ex Oppatovicenfi, celeberrimo Regni Bohemiæ Monafterio accitis regendam conceffit. Floruit Regulari hac in Ecclefia, fubinde in Præpofituram erecta plurimùm Ordo Benedictinus ad annum ufque 1535. quo tempore cùm tota ferè Silefia & Dux ipfe Lignicenfis à Romanis facris ad Lutheri fectam defciviffet, Monachi loco pulfi exulatum abire juffi fuerunt. Et quoniam ex alieno liberalem effe, cuivis facile eft, Præpofitura cum omnibus bonis, ac dominiis à Duce cuidam fuorum miniftrorum in feudum conceffa fuit: quo titulo plures ejus ufurpatores Lutherani

 ad

ad annum usque 1703. extiterunt. Eo enim labente cùm occasio locum hunc sacro Ordini Benedictino postliminio recuperandi, se commodùm obtulisset, eam Reverendissimus Dominus Othmarus b. m. Abbas Regii, Liberi, Exempti, ac in Regno Bohemiæ primarii Monasterii Brevnoviensis minimè negligendam duxit. Nec res ei malè successit: obtento enim, qui supererat Cæsareo annutu Wahlstadium emptionis contractu Familiæ Benedictinæ denuo asseruit, ea quidem conditione & lege, ut quo jure ad Oppatovicense Monasterium olim quondam pertinebat, eodem nunc Brzevnovium veneretur. Rebus ita constitutis, Amplissimo Præsuli nihil antiquius fuit, quàm ut Wahlstadium rursus in Religiosum domicilium redigeret. Id quod ne continuo factum fuerit, tum inopia redditûum, tum Suecici militis in Silesiam anno 1706. & 1707. irruptio in causa fuerunt. Qua tempestate Ecclesia Wahlstadii Lutheranæ sectæ vix erepta eidem denuo restitui debuit, juxtà pactiones Imperatorem inter & Regem Sueciæ per id tempus sancitas. Regitur illa hodiedum ab ejusdem verbi Lutherani præcone, salvo tamen jure patronatûs, quod hac in parte ad Reverendissimum D. Abbatem, velut loci Dominum pertinet. Secundùm hæc Amplissimus Præsul fabricam novæ Ecclesiæ sanè quàm magnificam auspicatus est. Hac verò uti ex adverso fani acatholici statuit, ita nullis sumptibus in ea perficienda & condecoranda pepercit. Artis quà architectonicæ quà pictoriæ excellens, ac in quævis sæcula illustre exemplum videri potest. Dies solennis Consecrationis ab Illust. & Reverendiss. Domino Elia de Sommersfeldt Episcopo Suffraganeo Wratislaviensi peractæ erat septima Octobris Anno 1731. Consecrata verò fuit in honorem S Crucis & *S. Hedwigis.* Annis proximè consecutis elegantissimæ structuræ Monasterium surrexit, in quod è Braunensi Prioratû Brevnovii filia duodecim Religiosi an. 1738. traducti fuerunt, quos hodie numero auctos sacra Crux sibi ha-

habet devotos. *Vid. Epitome Hist. Monasterii Breinoviensis pag. 191.*

§. XVIII.
Monasterium S. Crucis Calvo-montanum.

CAlvus mons, etiam *Calvaria* dictus, excelsus in Palatinatu Sandomiriensi, ubi Monasterium Benedictinorum à Boleslao primo Poloniæ Rege erectum ac fundatum est, rogante B. Emerico, S. Stephani Hungariæ regis filio, qui illud reliquiis Sanctæ Crucis, quas Constantinopoli pater ejus acceperat, ditavit. Ad eas ob miraculorum frequentiam undequaque ab indigenis exterisque concurritur. Ita eruditi Socii Bollandiani in notis ad vitam B. Kingæ seu Cunegundis Ducissæ Poloniæ Ord. S. Claræ d. 24. Julii pag. 733. col. 1. Sed hæc tamen diductiùs audire ex Dlugossi Historia Polonica lib. 2. ad an. 1006. neminem pæniteat.

Boleslaus Polonorum Rex singulari Ducem Emericum nepotem suum prosequebatur charitate & amore, cùm non solùm nexus sanguinis, sed & ipsa virtutum clara probitas faciebat illum, tam Regi, quàm suis militibus amabilem & gratiosum. Quodam itaque tempore, *Boleslao* venationibus, in silvis circa oppidum *Kielce* sitis, insistente, & secum Ducem *Emericum* in societate habente, contigit illis in jugum *Alpium*, quæ *Calvariæ* vocantur, & quibus Poloniæ Regnum altiores non habet, cervum insequentes venando devenire. Ubi cervo omisso, ruinas veterum habitationum, quæ & diluvio universali, & temporum antiquitate in saxorum molem qualem & hodie cernimus defluxerant, cœperunt mirari; locum enim illum ferunt commodam habitationem, & arcem Gigantum seu Cyclopum, & virorum fortium fuisse, & illic incolatum aliquanto tempore tenuisse. Vir Dei itaque *Emericus* Spiritu Divino instinctus, & ut aliquorum habet credu-

duli-

dulitas & assertio, visione noctis præcedentis ductus admonitione, loci singularitate & vetustate delectatus, convenientissimum locum illum, pro servis Dei, solitariam vitam professis, astruit, & indignum, ut sine hominum incolatu debeat patens esse. Rogat deinde patruum & affinem suum *Boleslaum* Regem, quatenus pro Dei honore, & fidei Sanctæ augmento, animarúmque remedio, & salute, Cœnobium illic Monachorum, & Monasterium erigat, & constituat, stabilius, feliciúsque Regnum, postquam illum à terreno solvi contingeret in cælestibus pro ejusmodi Sancto opere habiturus. Cúmque ad id *Boleslaus* Polonorum Rex facilem & ultraneum liberali & regio animo præbuisset consensum, Dux *Emericus* sua se petitione & desiderio videns potitum, in magnam exultationem erumpit, & primum Deo, deinde *Boleslao* Regi gratias agens, mox Crucem bifùrcatam, portionem notabilem, Dominici ligni continentem, modico argento obductam, parenti suo *Stephano* Hungarorum Regi à Græcorum Cæsare ex Constantinopoli pro magno munere transmissam, quam vir Dei in pectore ex patris largitione gestare consueverat, exemit, illíque loco (ita enim in visione monitus fertur fuisse) donat. *Hoc*, inquit, *pretiosissimum lignum Salvatoris nostri cruore pollutum, & quo charius nihil habui, sed nec sum habiturus, huic loco dono propitia divinitate, virtute sua, omnibus in necessitatibus, pressuris, angustiis, & gravaminibus constitutis, plurima beneficia largiturum. Boleslaus* itaque Rex sponsioni suæ satisfaciens, anno eodem Monasterium *S. Benedicti* illic erexit, & regali munificentia, dotem illi benignam & sufficientem consignavit, fratres Deo sub habitu & regula *S. Benedicti* militaturos inducit. Ecclesiam quoque sub honore & titulo S. Crucis ex fundamentis initians, Græcorum more ex lapidibus construit, & consummat, locans & recondens lignum pretiosissimum Dominicum, per B. Virum *Emericum* largitum in eadem Ecclesia. Cujus condito & qua-

litas

litas in hanc diem perdurans longævam ejus testatur annositatem.

De hoc Benedictinæ Familiæ in Regno Poloniæ antiquissimo Monasterio nonnulla etiam memoratu digna memoriæ prodit Erasmus Gattola in Historia Casinensi Sec. 6. pag. 204. quæ commodum hîc locum sortientur.

In Polonia Monasterium *S. Crucis* in Calvo monte Dioecesis Cracoviensis *Boleslaus* dictus *Ettabri* Rex primus coronatus, ad instantiam *S. Emerici*, qui erat filius *S. Stephani* Hungarorum regis, extruxit, & fundavit in anno Domini MVI. ad quod Monasterium à principio Monachi duodecim de Monasterio Cassinensi missi fuerunt, quos idem Rex ab Abbate Cassinensi, missis legatis, impetravit; & per aliquot centena annorum in locum decedentium, alii, atque alii Monachi de dicto Monasterio Cassinensi mittebantur in Poloniam, sícque illud Monasterium in Polonia erat membrum Monasterii Cassinensis. Et hinc fortissimè creditur, quòd omnia jura, erectiones, fundationes, & privilegia per revertentes Monachos deferebantur ad dictum Monasterium Cassinense pro conservatione. Quoniam verò ad præsens pro defensione contra certos suos adversarios hujusmodi juribus, fundationibus, & privilegiis illud Monasterium plurimum indiget, ideo petiit, ut in Archivo præfati Sacri Monasterii querantur, sive in libris antiquis, sive in membranis atque inter alia privilegia, quæ ibi asservantur etiam, imo præcipuè ipsius sacri Monasterii, & si fortè inveniantur, aut saltem eorum aliqua nota, & memoria, „ ut in forma authentica extrahantur, pluri-
„ mùm enim ex illis relevaretur Monasterium illud in Polo-
„ nia; Similiter etiam in Bibliotheca ejusdem sacri Mona-
„ sterii in libris antiquis, aut aliis quibuscunque, ut videa-
„ tur, & queratur aliqua memoria an extet suprascripti
„ Monasterii S. Crucis in Calvo Monte fundati, & erecti, ac
„ supradictorum jurium, & privilegiorum: quod si verò ali-

 „ quod

„ quod horum inveniatur, ut deſcribatur, & ſi fieri poteſt
„ per notarium Sedis Apoſtolicæ in forma authentica, ut
„ extrahatur.

Hæc ex literis, quas Patres Poloni Monaſterii S. Crucis in Monte Calvo ad Abbatem Caſſinenſem paucis ante annis ſcripſerunt. Idem certè ſentiebat ejuſdem Cœnobii Abbas, qui Anno 1671. inter alia hæc Abbati Caſſinenſi ſcripſit:
„ Quod reliquum eſt, me & Fratres meos in hoc clivo vivi-
„ ficæ Crucis Deo ſub regula Divi Patris militantes
„ gratiæ, amori, ac patrocinio illuſtriſſimæ, & reverendiſſi-
„ mæ Dominationis veſtræ, & ſanctiſſimi cætus Caſſinenſis
„ addico, à quibus enim Originem nobis fluxiſſe gloriamur,
„ quorum merita comitiorum generalium decretum voluit
„ nobis eſſe communia; quorum denique privilegia libera-
„ litate Pii IV. nobis ſunt communicata, eorum amorem, ac
„ benevolentiam pia præſumptione ambire non erubeſcimus.
„ Dat. in Polonia in Monaſterio S. Crucis Ordinis S. Benedi-
„ cti die 15. Septembris an. Domini 1671. Illuſtriſſimæ Reve-
„ rendiſſimæ Dominationis Veſtræ: Promptiſſimus Servitor
„ *Nicolaus Goski* Abbas Monaſterii S. Crucis, S. R. M. Polo-
„ niæ Secretarius.

Cœnobium iſtud S. Crucis in Monte Calvo modò caput eſt Congregationis Benedictino-Polonicæ, quam bulla ſua anno 1709. die 22. Maij erexit Sanctiſſimæ memoriæ Pontifex Clemens XI.

Membrum verò illuſtre hujus Congregationis eſt *Monaſterium S. Crucis ad Neſvivium*, quod ſæculi proximè prætetiti anno ſexageſimo ſeptimo in Polonia conditum fuit. Fundator erat vir nobiliſſimus D. Michael Caſimirus Radziwil S. R. I. Princeps, Dux in Ollia, Comes in Mir &c. Procancellarius & Generalis Magni Ducâtûs Lithuaniæ Ampliſſima ſunt Latifundia, quibus illud dotavit.

§. XIX.

§. XIX.

Parthenones Sanctæ Crucis.

MOnafterium Virginum fub Regula S. P. B. in Ordine Ciftercienfi militantium, *S. Crucis* dictum, extra muros urbis Brunfvicenfis ante Portam Petrinam fitum eft. Fundationi occafionem dedit fomnium hominis, qui in famulitio erat *Balduini de Campo* militis, ut hîc pluribus narratur. Ab antiquo tamen ibi jam fuit *parva Clufa, in quâ morabantur tres virgines facræ, candidis indumentis veftitæ, Deo fervientes nocte & die.* Eáque Ecclefia fortaffe à Marchione Ecberto fundata eft anno Domini 1068. ut *Buntingii Chron.* habet part. 1. p. 55. editionis prioris. Dedicatio deinde novæ Ecclefiæ facta eft anno Domini 1230. per *Conradum* Epifcopum Hildeshemenfem, affuítque *Arnoldus Abbas Riddageshufanus* Ciftercienfis & ipfe Ordinis, ut notavit *Meibomius in Chronico Riddageshufano.* Cùm Henricus Senior Anno 1492. urbem obfidione premeret, Moniales in curiam grifeorum Monachorum (vulgo *Grauenhof*) in urbe fitam fe contulere. Et cùm anno 1606. urbi rurfus ab *Henrico Julio* obfideretur, cives Monafterium combuffere, ne urbi detrimento effet. Itaque cum loco non tuto fitum fit, de translatione ejus in urbem agi accepimus. Plura de hoc Monafterio habet Dn. *Philippus Julius Rehtmejerus*, Vir doctus, in antiquitatibus urbis patriæ, Germanico fermone nuper editis part. 1. c. 5. qui nobis etiam hanc narratiunculam fuppeditavit, inquit Illuft. Leibnitius in Introduct. Collection. fcriptor. Hiftor. Brunfvic. infervientium, cujus eft hæc prævia obfervatio Tom. II. N. XXXVII. p. 38. Nunc fequitur ipfa narratiuncula de Fundatione Cœnobii *S. Crucis* apud Brunfvic.

„ Fuit quidam miles reverendus, nomine *Baldewinus de* „ *Campo* dictus, cui de Brunswigk Burgenfes fuerunt adver- „ farii. Qui verò legatum fuum mittens ad memoratam ci-

 „ vita-

„ vitatem, arduum negotium ei committens. Legatus au-
„ tem cùm in itinere eſſet, occurrebant ſibi adverſarii Do-
„ mini ſui, qui exagitabant eum, volentes comprehendere
„ ipſum. Servus verò videns, & audiens prædicti militis
„ inſidiatores, fugam iniit, & ſub quadam arbore, quæ in
„ modum Crucis creverat, ſe abſcondit, ubi præ nimio ter-
„ rore & anxietate obdormivit. Et in ipſa requie ſub præ-
„ dicta arbore in figurâ avium audivit voces animarum ibi
„ interfectorum, dulciter cantantium, & dicentium: Benè,
„ benè nobis, quia advenit tempus redemptionis, in quo de-
„ bemus ſalvari, & ab omnibus pœnis & miſeriis noſtris li-
„ berari. Quo audito evigilans, & intra ſemetipſum nimium
„ admirans, & iterum atque iterum obdormiens, & uſque
„ tertiò eam vocem audiens, & ſic præ nimio gaudio evigi-
„ lans, ſuſpiciens arborem, vidit in ſummitate ejus angelum
„ Dei ſedentem, voce magna clamantem, & dicentem: Be-
„ nedictus ſit omnipotens Deus & locus iſte ſacratus, quia
„ omnes, quorum corpora in hoc loco requieſcunt, & qui
„ Deum in eo loco jugiter laudabunt, atque omnes, qui
„ propter indulgentiam hic adveniunt, & gratiam quærunt,
„ nunquam à regno Dei ſeparabuntur. Cliens igitur celeri-
„ ter iter arripiens, & ad Dominum ſuum rediens. Qui
„ eum intuens, & ipſum dirè arguens, inquiénque, ex quâ
„ re tantam moram feciſſet in itinere. At ille reſpondit, &
„ dixit: Tanta & talia miracula acciderunt mihi dum eram
„ in via, quæ non ſum auſus intimare vobis, ut mihi per
„ revelationem apparuerunt in ſomniis. Reſpondit miles:
„ ſi quid boni noſti, loquere, ſin autem mali, ſile. Tunc
„ ſervus præfato militi cuncta intimavit, & omnia, quæ ei
„ acciderunt narravit. Miles cùm hæc audivit, reſpondit,
„ & dixit: Hæc omnia mihi à te inſinuata, & per te mihi
„ nunciata, non veraciter credam, niſi oculis propriis vi-
„ deam, & auribus meis audiam. Deinde ſimul arripiunt

„ iter,

„ iter, & ad præfatum locum perveniunt, ubi miles ex Dei
„ providentia, cuncta ei à servo indicata pleniter cognovit,
„ & fideliter credidit. Et sic ex divina revelatione commu-
„ nitus, ad pacem rediit cum Burgensibus. In prælibato
„ loco parva Clusa erat, in quâ morabantur tres virgines
„ sacræ, candidis indumentis vestitæ, Deo viventi servien-
„ tes die & nocte. Carbonarii quidam qui morabantur pe-
„ nes Clusam illam, succidebant arborem prædictam, quam
„ in ignem projiciebant, carbones ex ea facere volentes. Sed
„ Deo cooperante illud lignum salutiferum & nobile ternis
„ vicibus de igne saltavit, & in eodem loco statim refloruit,
„ & ustio in eâ nullatenus apparuit, sed omnes ramunculi
„ prædictæ arboris iterum in modum Crucis creverunt. Viso
„ hoc miraculo, stupefacti sunt carbonarii terrore nimio,
„ convocantes omnem populum, & demonstrantes ei hoc in-
„ signe miraculum. Sic ergo ex revelatione divina, operan-
„ te Dei gratia, hujus Monasterii structura est facta. In
„ structurâ cœnobii hujus mira opera suæ magnificentiæ pe-
„ regit Deus, ita quod serotino tempore, cùm operarii ces-
„ sassent ædificare, Sancti Angeli ascendentes & descenden-
„ tes, & nocte opus unius diei complentes. Manè autem
„ facto operarii venientes, virtutes Dei in hoc opere cogno-
„ scentes, & nimium admirantes; qui invenerunt structuram
„ magis & magis ædificatam majori & latiori spatio, quam
„ exstiterat de hesterno. Nec tamen poterant considerare,
„ aut aliquem defectum perpendere in lignis & lapidibus, &
„ in omnibus ad ædificium pertinentibus. Eodem tempore,
„ Deo disponente, *Jordanus Miles de Campo*, migravit de hoc
„ seculo, qui primitus in hoc loco est sepultus: juxta cujus
„ feretrum ponebatur dolium unum ut omnes, qui ad exe-
„ quias illas venirent, eleemosynas offerrent. Et ex illis
„ eleemosynis est ædificatum Monasterium in honorem *S.*
„ *Crucis*, & beatæ Mariæ Virginis.

 Quia

Quia verò Partheno hic Brunſvicenſis non tam propriè Inſtituti eſt Benedictini, quàm Ciſtercienſis, quanquàm ſub Regula etiam S. P. N. Benedicti militantis, juvat alios tres quatuor Benedictinos ſubjicere Parthenones. Ut verò Lectoris forſan ſatietati occurramus, compendio dicemus.

Nidroburgenſe Virginum Cœnobium (*y*) Sanctæ Crucis ab Odilone Bajoariæ Duce conditum urbe Patavia clauſum eſt; quod Otto II. Imperator Patavienſi Eccleſiæ tribuit ob conſtantem in ipſum fidem Piligrini ejus urbis Epiſcopi.

Hunefeldenſe Monaſterium Virginum (*z*) à Carolo M. ſub titulo S. Crucis originem habuiſſe, & in collegialem vertiſſe Eccleſiam ex Browero intelligimus, qui collegiales Eccleſias Fuldenſi olim Monaſterio ſubjectas recenſens (*Antiquit. Fuld. p. 147.*) primo loco meminit Sanctæ Crucis *Hunfeldiæ ex parthenone Virginum à Carolo M.* at ſitum non indicat.

Bergenſem (*aa*) in Diœceſi Eichſtadienſi Parthenonem an. 976. fundavit Wiltrudis, filia Gisleberti Lotharienſis Ducis, uxor Bertholdi Ducis Bajoariorum, poſt mariti obitum liberorum expers inter Neoburgum & Eichſtettum oppida excitavit in honorem Sanctæ Crucis, & ſub Cruce ſtantium Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Sancti Joannis, & dotalibus bonis locupletavit: ubi cœtum piarum Virginum ſub S. Benedicti regula inſtituit, probante Ottone II. Imperatore favente quoque Theophania ejus conjuge, & Reginoldo Eiſtettenſi Epiſcopo confirmante. Ibidem etiam Wiltrudis ipſa velum Monaſticum accepiſſe traditur. Floruit eo loci ſæculo duodecimo Relindis abbatiſſa, permagnæ pietatis, quæ prolapſos S. Odiliæ in Alſatia puellarum mores ad diſciplinam Sanctæ Crucis, id eſt, ſtrictiorem Benedictinæ regulæ obſervantiam emendavit.

Par-

(*y*) Mabill. Annal. tom. 2. lib. 21. n. 59. p. 113. (*z*) l. c. lib. 29. n. 73. p. 496. (*aa*) Mabill. l. c. tom. 3. p. 640.

Partheno Lignicenſis in Sileſia. (*bb*) Eccleſia S. Crucis cum toto Cœnobio & ædificiis ſuis fundata eſt per Dominos terræ, ab antiquo videlicet per Boleslaum dictum Calvum, Patrem Henrici Lignicenſis pinguis ſive ventricoſi dicti, Balconis Suidnicenſis, & Bernhardi, agilis cognominati. Fuit verò hoc Monaſterium primitùs fundatum pro religioſa Familia Patrum Prædicatorum. Subinde Veſtalibus ceſſit Benedictinis; cùm enim earum Cœnobium ante portam urbis Lignicenſis metû Solymanni Turcarum Tyranni deſtructum eſſet, quò civitas novis munitionibus ad hoſti reſiſtendum fortior redderetur, prædictum Monaſterium à Friderico II. Sileſiæ Duce occupare juſſæ fuerunt, in quo ut officia divina ritè ac ſecurè peragerent, à Sileſiæ Ducibus ſemper defenſæ fuerunt. Quâ protectione ut hodie ſub Boruſſico dominio gaudeant & fruantur, ex animo precamur.

§. XX.

Eccleſia S. Crucis in Monaſterio Augiæ Divitis.

VEteris illius templi à Rege Salomone ædificati formam ita fuiſſe diſpoſitam, ut Crucifixi vivam quandam referret imaginem, Villalpandus, (*cc*) celeberrimus ejuſdem delineator, atteſtatur. Nam ſi in ipſo veſtibulo corpus extenſum, ut Chriſti in Cruce poſitum fuit, imagineris, dexteram manum ad portam Meridianam, ſiniſtram ad Aquilonarem, pedem utrumque ad Orientalem ſpectare portam aſpicies. Caput autem verget ad Sanctum Sanctorum, ubi ſedes erat Dei. *Caput* enim *Chriſti Deus.* Altare verò holocauſtorum in medio pectoris Chriſti ſitum erat, in quo oblatum eſt illud ſacrificium laudis, quo uno ſacrificiorum omnium lon-

(*bb*) Thebeſius in deſcript. Urbis Lignicenſis pag. 23. ex Bitſchio. (*cc*) Tom. 2. in Ezech. l. 4. & 5. variis locis apud Bened. Hæften. *Regiæ viæ* Crucis l. 3. c. 6. p. 337.

longè maximo omnia antiquæ legis ſunt ſacrificia conſummata. A latere altaris dextro mare æneum collocatum, ſanguinem & aquam à latere Chriſti manantem referebat.

Atque hæc antiqui illius templi idea majoribus noſtris potiſſima erat ratio, quâ impulſi fuerunt,ut quas Deo Eccleſias & Baſilicas extruebant, pæne omnes fieri cruciformes curarent. Longum foret, ſingula recenſere. De unâ Augienſi nobis ſermo erit, cujus decora eo triplici nomine potiſſimùm augeri exiſtimamus: Primùm quòd in formam Crucis conſtructa; deinde in honorem S. Crucis conſecrata, ac poſtremò particulâ S. Crucis, cui pretioſus Chriſti ſanguis incluſus eſt, locupletata fuerit. Hîc verò de ſecundo tantùm decore nobis agendum eſt.

Igitur Eccleſiam Augienſem in honore S. Crucis fuiſſe conſecratam, omnes facilè conſentiunt; ſed quis, & quô annô illam conſecraverit, dubio non vacat. Hermannus Contractus, Augienſis Cœnobita, de hac Dedicatione in Chronico ſuo ad annum MXLVIII. ita loquitur: *Imperator* (Henricus III.) *Ratispona, ubi Paſcha cum Ottone & Brecislao Ducibus, & multis Principibus egit, digreſſus Alamaniam repetit, & in Augiam noſtram ingreſſus 8. Calend. Maij novam Sancti Marci Evangeliſtæ Patroni noſtri Baſilicam à Domino Bern. Abbate conſtructam ſe præſente à Theoderico Conſtantienſi Epiſcopo dedicari fecit, & ejuſdem ſancti feſto in Litania majore apud nos acto, Aſcenſionem Domini Turego, Pentecoſtem autem Solodoro celebravit.* Hermanni narrationem de Dedicatione Augienſis Eccleſiæ Mabillonius Annalibus Benedictinis (*dd*) ad annum 1048. iiſdem ferè verbis inſeruit. *E Bajoaria in Alamanniam profectus Imperator, Augienſe adiit Monaſterium, cujus novam Baſilicam, à Bernardo Abbate conſtructam VIII. Kal. Maij ſe præſente à Theoderico Conſtantienſi Antiſtite dedicari fecit.* Sed quod oppidò mireris, ad annum imme-

(*dd*) Tom. 4. pag. 494.

mediatè sequentem MXLIX. hanc dedicationem Sancto Leoni IX. Romano Pontifici disertim adscribit: *Ex urbe Moguntiâ* (in quâ hoc anno concilium celebravit) *Leo Papa venit in Augiense Monasterium, ubi Ecclesiam Sanctæ Crucis dedicavit, & inter missarum solemnia dæmoniacum liberavit.* Cui consona sunt, vel prævia potiùs fuerunt, quæ Wibertus in vitâ S. Leonis IX. habet: *Demum* (post Concilium Moguntiæ celebratum) *domnus Papa apud Augiam in honore vivificæ Crucis Ecclesiam dedicavit, ubi divina pietas in proprio famulo suam gratiam mirificè ostendit. Nam inter sacra Missarum solemnia ibidem adducitur catenis nexus dæmoniacus, qui vix à multitudine poterat coartari, alienâque violentiâ possessus, horrendos emittens stridores, clamores, atque fremitus, hymnidicam totius cleri harmoniam suis diris evincebat vocibus. Itaque Christi servus sacrum incœpturus Canonem, non valens hujusmodi pati inquietudinem, utpote ad Deum totam directurus mentem à longè signo Crucis edito manû indixit silentium: & citiùs dicto obmutuit dæmonium, & homo vinculis solutus sospes cunctis admirantibus domum propriam repedavit.* Hactenus Wibertus auctor vitæ coævus.

At quis non videt, controversiam ipsi cum Hermanno Contracto oboriri? Si enim Augiensis Ecclesia, ut Hermannus, oculatus testis, perhibet, anno 1048. octavo Calend. Maij dedicata fuit, quî fieri potuit, ut hæc dedicatio per Leonem IX. Papam peracta fuerit, cùm is labente hoc anno nondum summus extiterit Pontifex? Nam S. Leo IX. post mortem Damasi II. anno 1048. die 17. Julii consecrati, sed post dies 23. morte sublati in Conventû Wormatiensi, tunc Episcopus Tullensis, & Bruno dictus, Papa designatus, dein Romam hyberno tempore adventans, anno 1049. die 2. Februarii electus, & die 12. ejusdem Mensis coronatus fuit. Italia relicta Germaniam primùm, tum Galliam adiit. Ex hac denuò in Germaniam reversus Moguntiæ concilium celebra-

vit, & poſtea, teſte Hermanno Contracto, Monacho Augienſi, qui præſens adfuit, & eodem demum anno, quo S. Leo Pontifex, ſcilicet 1054. extinctus eſt, *Alamanniam adiens Augiæ feſtum Sancti Clementis & Dominicam ante Adventum 6. Calend. Decembris egit.* Quæ ſi vera ſunt, quis autem vera eſſe inficiari audeat? falſum eſſe oportet, Eccleſiam Augienſem anno 1048. 8. Cal. Maij à S. Leone IX. fuiſſe dedicatam.

Cæterùm hæc *S. Crucis* Eccleſia, à quocùnque demum, ſive Theodorico Conſtantienſi Epiſcopo, ſeu S. Leone IX. Romano Pontifice conſecrata fuerit, ſepulchrum hodie præbet inſigni cuidam Staurophilo, id eſt, Carolo Craſſo Imperatori, cui jam anno 888. è vivis exempto, Crux graviſſima, ſed æquiſſimo animo & Chriſtiana prorſus fortitudine tolerata cælum reſeravit. Imperio enim atque regnis omnibus exutus deplorandam hanc metamorphoſim, teſte Reginone, *patientiſſimè toleravit, in adverſis, ſicut in proſperis gratiarum vota perſolvens.* Unde Deus tantam remuneraturus, patientiam Caroli mortem prodigio illuſtravit, diducto, & patente per plures ab obitu horas cœlo, ur fidem facit Hermannus Contractus his verbis: *Quibusdam videntibus cœlo aperto, & lumine ſuper eum apparente, Augiam delatus juxtà Altare S. Mariæ ſepultus eſt.* O quanta autem cum gloria Carolus ex S. Crucis Eccleſia reſurget, cùm Dominus ad judicandum venerit, & ſignum Crucis erit in cœlo!

§. XXI.

Heriforðenſis Parthenonis Eccleſia ad S. Crucem.

S. Adalhardus regio prognatus ſtemmate, Abbas Corbeiæ veteris præter Cœnobium Corbeiæ Novæ in Saxonia aliud etiam in eadem provincia condidit illuſtrium Sanctimonialium, quatenus utriuſque ſexûs ſaluti provideretur. Dictum

ctum est Parthenium istud Heriford, seu Herifordense: (ee) situm in comitatu Ravensbergico, sub ditione Electoris Brandeburgici, ejusdem nominis oppido nobilitatum. Hujus loci sanctimoniales sæculo XII. ad Canonicarum mores & habitum transierunt: at cùm anno MDXXXIII. Herifordenses oppidani Lutheri heresim admisissent, hæc labes brevì canonicas quoque infecit: exinde locus ille à puellis heterodoxis, nobili genere natis semper occupatus fuit. Hunc Parthenonem Romanis sacris sæculo XI. adhuc addictum celebrem reddidit *Ecclesia ad Crucem*, quam B. Virgo sibi construi imperavit. Author vitæ B. Meinwerci Episcopi Paderbornensis rem gestam his verbis in literas retulit:

„ Cuidam, inquit, fame & nuditate afflicto pauperi in
„ die natalis Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii ad
„ præfatum Herivordense Monasterium propter auditam inibi
„ Sanctimonialium munificentiam ire volenti, ipsissima virgo
„ Maria facie ad faciem apparens, abbatissæ & sororibus
„ ejusdem Monasterii nuntiare mandavit, ut mutata pristina
„ vita, tantum spirituali insisterent exercitio, quantum tem-
„ porali instabant ædificio, dicens se per hoc sedem suam
„ revisuram, & invocantes se perpetuâ tuitione custoditu-
„ ram. Adjiciens se locum, in quo ei apparuit, ad sui no-
„ minis venerationem & Christianorum præelegisse interces-
„ sionem, ut si quis eam ibi fideliter quæsierit, inveniat, &
„ quod justè petierit se adeptum gaudeat. Paupere autem
„ tantam visionem indicare trepidante, & ad suæ legationis
„ veritatem confirmandam signum aliquod suppliciter expe-
„ tente: Hoc erit tibi signum, ait Virgo piissima, quod nul-
„ lius illatæ pænæ, ne cicatricis quidem ullius aliqua te con-
„ tingat molestia. Quo ad majus veritatis indicium, aliud
„ adhuc expetente signum: Præcide, ait Dei-Genitrix, ba-
„ culum, & faciens inde Crucis signaculum, pone ubi meo-

 „ rum

(ee) Mabill. sæc. 4. Bened. part. 1. pag. 526.

„ rum ftatum cognoveris effe pedum, & fi non credunt verbo
„ figni prioris, credant oftenfioni fequentis: quia quocun-
„ que tempore ad locum hunc venient, me fuper eandem
„ quam facturus es Crucem, in columbæ fpecie fedentem vi-
„ debunt: Abbatiffa ergo, nomine Godefti, cum fororibus
„ hoc nuntio accepto, Epifcopus Meinwercus cum vicinis
„ proximorum Monafteriorum clericis accerfitur; confultu
„ omnium jejuniis & orationibus à Deo res inquiritur, nun-
„ tius judicio aquæ ferríque igniti examinatus fecurus decla-
„ ratur: columba in loco oftenfo inquifita fuper Crucem fe-
„ dere invenitur, & maxima omnium devotione & venera-
„ tione Bafilica fabricatur, & dedicatur, & nomen *ad Cru-
„ cem* fortitur. Tantam fuiffe miraculi hujus famam obfervat Browerus in notis ad hunc locum, ut ejus memoriam etiam nunc in ea regione perfeverare affirmet, etiam apud Lutheranos, qui hunc locum *Ad Vifionem* appellant. Prolixiorem verò ejufdem apparitionis hiftoriam haberi in mf. codice Bodecenfi teftis eft Adolphus Overhamus perdoctus cœnobita Benedictinus celeberrimæ abbatiæ Werthinenfis, qui vitam B. Meinwerci Epifcopi Paderbornenfis à fe editam notis & obfervationibus illuftravit; ubi laudat infcriptionem, quæ hactenus in æde Canonicarum vifitur, in quâ hæc Beatæ Mariæ apparitio anno MXI. facta fuiffe memoratur. Vid. Mabill. in Actis Sanctorum Ord. S. B. fæc. 6. part. 1. pag. 385.

§. XXII.

Oratorium feu Sacellum S. Crucis Hildefienfe.

S. Bernwardus potens non minùs quàm illuftris Comes de Somerfchenbourg in Saxonia inferiori, Epifcopus XIII. Hildefienfis, Coloniam Monachorum ex Monafterio Sancti Pantaleonis, quod eft Coloniæ Agrippinæ, Hildefiam anno 994. evoca-

evocavit. Abbatis munus Goderammum, ejusdem S. Pantaleonis Cœnobii Præpositum à literis & virtutibus apprimè ornatum gerere jussit. Locum pro Monasterio extruendo delegit solitarium, squallidum, incultum extra pomæria urbis Hildesiæ, tunc temporis admodùm parvæ, & modicis adhuc circumscriptæ finibus. Interea verò, donec major Ecclesia ad apicem deduceretur, sacellum excitavit, & in honorem S. Crucis dedicavit, quod postea prolatis urbis Hildesiæ limitibus, muróque circumdatis, reparavit, ampliavit, & sub titulo S. Lamberti dedicavit. Quæ omnia ex ipsius fundationis instrumento docemur, in quo S. Fundator ita loquitur: *Elegi & statui Christum hæredem mihi, qui est pars & hæreditas mea, & requies. Unde ad laudem ipsius & gloriam, ejusque piæ Matris Mariæ, & ad speciale patrocinium S. Michaelis Archangeli, & omnium cælestium virtutum cæpi summa cum devotione novum ædificare Monasterium foris murum Civitatis nostræ videlicet sedis ad Aquilonem. Verùm ego sortem naturæ cunctis incertam solicitè pertimescens, ac ne prolixitate tanti operis meâ spe in agendis Divinis fortè tardarer nimis aut negligerer, feci festinatò & consummavi sacellum quoddam valde splendidum propè ipsum Monasterium, jactis jam ex aliqua parte fundamentis ipsius Basilicæ, in honorem Domini & Salvatoris nostri, atque S. & vivificæ Crucis &c. coadunatis igitur quibusdam religiosis Christi Domino interim servituris, cuncta quæ habui, & S. Michaeli me daturum deliberavi, tam in auro & argento, & multiplici ornatû, quàm in prædiis & diversis utilitatibus adsignavi. Quo consummato - - ipsum Sacellum vivificæ Crucis, quod feci baptismale, inunctionis & sepulturæ, sicut dudum deliberaveram, consilio Ecclesiæ meæ in Monasterium ita transtuli, eique incorporavi cum personis, rebúsque omnibus, & cum omni jure suo, ut prædictus Abbas noster Goderammus omnésque successores ejus curam illam perpetuò habeant, & quos jusserunt de fratribus Divina ibi persolvant.*

 Quia

Quia verò S. Bernwardus Sacellum hoc S. Crucis ad dignitatem parochialis Ecclesiæ evectum sub patrocinio S. Lamberti dedicavit, ne quid honori ac venerationi S. Crucis decederet, majorem aram in nova Monasterii Basilica in honorem S. Crucis consecravit. Quid? quod ipsum Monasterium S. Cruci sacrum esse voluerit? Hoc diserta ejusdem verba in charta fundationis testantur. (*ff*) *Cui loco, Deo, Sanctæq; Cruci perpetuæq; Virgini Mariæ, Sanctóque Michaeli Arhangelo titulato, Monastici Ordinis indidi personas.* Etsi verò hodie Monasterium S. Michaelis audiat, verè tamen est Monasterium S. Crucis; præsertim ab anno 1521. & longè magis ab anno 1542. quando urbs Hildesia Lutheri dogmata venerari cœpit. Tum verò Abbates & Religiosi rebus ac bonis suis spoliati, injuriis ac contumeliis gravissimis affecti, in custodiam ac carcerem dati iniquissima quæque per ducentos jam annos perpessi fuerunt. Nec injustæ vexationis, persecutionis, ac malorum hodie finis est. Quæ cùm non sine detestatione hæreticæ perfidiæ, admiratione verò Monachorum in fide orthodoxa constantiæ (*gg*) legissem illa Ven. Petri Abbatis Cluniacensis ad Innocentium II. Pont. Max. verba in mentem venerunt: (*hh*) *Rogo, ut amore Crucis Christi, cujus nomine & vexillo, eadem Ecclesia singulariter gloriatur, ejus calamitatibus subvenire dignemini: ut quæ passionibus Christi per patientiam secundùm Apostolum communicans, duris & diutinis calamitatibus fatigatur, vestra tandem provisione relevetur.*



§. XXIII.

(*ff*) Extat in vita S. Bernwardi apud Mabill. sec. Ben. VI. part. 1. pag. 227.
(*gg*) Vide den Actenmässigen Bericht von der Stiftung des Closters S. Michaelis in Hildesheim, Gedruckt im Jahr 1733. fol. (*hh*) Epistolarum libro 1. Epistola XI.

§. XXIII.

Alia Oratoria, & Altaria Sanctæ Crucis.

Eò loci, ubi S. Benedictus adolescens habitum Religiosum à Romano Monacho fuit indutus, in Sublacensi eremo, Sacellum nunc est situm S. Cruci dedicatum, non nihil sursum versus â Monasterio remotum, quod hodie à S. Scholastica fert nomen. Yepes. Chron. Gener. O. S. B. Centur. 1. p. 12.

S. Suibertus, primus Episcopus Werdensis, Apostolus Frisiorum, Saxonum, Pruthenorum, aliarúmque nationum, qui anno à nativitate Domini sexcentesimo nonagesimo quinto exstruxit in honorem S. Crucis Oratorium Trajecti non procul ab Ecclesia, vel potiùs à ruinis Ecclesiæ S. Thomæ, quod Dagobertus Rex Francorum olim ibi ædificaverat. Ita Jacobus Gretserus lib. 1. de S. Cruce cap. 81. pag. mihi vet. edit. in 4to 243. testem laudans Marcellinum in vita S. Swiberti, qui, cùm non incongrua narret, personam suam hîc tueri potest, cujus aliàs fides & authoritas in rebus S. Swiberti enarrandis non parùm nutat ac vacillat.

Mons S. Romarici, vulgò *Remiremont* insigne quondam Benedictinarum Monialium Cœnobium fuit. Tanta enim principio apud eas fervebat, pietas, ac devotio, ut cùm virgines non exiguo numero ad eas sese aggregâssent, in septenas turmas distinctæ fuerint, quo dies juxta noctésque perenni psalmodia divinas concinerent laudes. Suum singulas turmas habuisse peculiare Oratorium, ex illis, quæ numero sex supersunt, abundè liquet. In illo autem, quod S. Crucis honoribus sacrum erat, B. Cœcilia, secunda Montis Romarici Abbatissa, magnæ sanctitatis, orationi & contemplationi multùm dedita, assiduas die noctéque preces fundebat. Postea tepescente religione, anno circiter MD. Moniales rejecto

jecto cum Monasticis vestibus nomine in sæculares Canonicas, nullis constrictas votis, conversæ sunt. Quid verò erat *Cruciforme* Benedictinum Scapulare abjicere, atque ad liberiorem anhelare vitam, quàm aures præbere animæ hostibus, carni ac sanguini, identidem clamantibus: *Descende de Cruce?*

Montis Majoris Monasterium, ab urbe Arelate sesqui milliario tantùm remotum, Oratorium seu sacellum habet, Sanctæ Crucis titulo insigne (*ii*) cujus fabricam quadratis ex lapidibus constantem, hemisphæria quatuor, totidem angulis commissa, Crucis in morem eleganter componunt. Circa sacellum quàm plures visuntur tumuli ad modum humani corporis in ipso excisi saxo, in quibus fabulatur vulgus conditos fuisse Caroli Magni milites, qui conserto cum Saracenis ad Arelate eo duce prælio, cœsi fuere. Illud pro magis explorato habendum, quod Carolus Magnus, recuperata à Saracenis Arelate, hoc Sacellum una cum Monasterio construxerit. Et Monasterium quidem in honorem S. Petri Apostolorum Principis, Sacellum verò in honorem S. Crucis consecrari voluit. Testatum hoc facit pervetusta inscriptio, quæ hodie etiam legitur in præfato Sacello, his concepta verbis: (*kk*) *Noverint universi, quòd cùm Serenissimus Princeps Carolus Magnus Francorum Rex, civitatem Arelatem, quæ ab infidelibus detinebatur, obsedisset, & ipsam vi armorum cœpisset, & Saraceni in eadem existentes pro majori parte aufugissent in Montana montis majoris, & ibidem se retraxissent, & in eadem se munissent, & idem Rex ibidem cum exercitu suo venisset pro ipsis debellandis, & ipsos debellando triumphum de ipsis obtinuisset. Et de ipso gratias Deo agendo, in signum hujusmodi victoriæ præsentem Ecclesiam in honorem S. Crucis dedicari fecit, & præsens Monasterium in honorem S. Petri Apostolorum Principis dedicatum,*

quod

(*ii*) Vid. Mabill. Annal. tom. 3. p. 993. (*kk*) Apud Baron. Annal. Eccl. tom. 9. an. Chr. 793.

quod ab ipsis infidelibus penitus destructum fuerat, & inhabitabile redactum, idem Rex ipsum reparavit, & readificavit, & Monachos ibidem pro serviendo Deo venire fecit, & ipsum dotavit, & plura bona eidem contulit. In quo quidem Monasterio multi nobiles de Francia, ibidem debellantes sepulti sunt. Ideo fratres orate pro eis.

S. Leo IX. Pont. Max. non solum fuit singularis Ordinis Benedictini fautor & benefactor, ut eruditi Socii Bollandiani eum vocant, sed re ipsa Monachus etiam Benedictinus, ut Mabillonius, prætermissis aliorum testimoniis, ex ipsius, Leonis verbis demonstrat, qui morti proximus se Monachum fuisse disertim professus est: *Cellam, quam Monachus incolui &c.* Hîc igitur Benedictinus Pontifex sub an. MLII. eminùs Sacellum S. Crucis Prugdorfense consecravit, ut Wiguleius Hundius lib. 1. Metropol. Salisburg. narrat: „ Cùm verò „ Leo Pontifex Ratisbonâ Normbergam proficisceretur, Co- „ mites de Schwarzenburg illi obviantes rogant, ut Sacel- „ lum quoddam in honorem Sanctæ Crucis, quod hodie Prug- „ dorffium appellatur, dedicet. Sanctus Pater Sacellum à „ longè visum consecrat. Cùm autem morosi interpellato- „ res hac longinqua consecratione sibi illudi existimarent, & „ ut præsens Sacellum consecraret, flagitarent. Ite, inquit „ Beatissimus Pater, & nisi omnia consecratæ Ecclesiæ indi- „ cia inveneritis, veniam, & præsens ædiculam consecrabo. „ Sed cùm illi omnia integra comperissent, laudantes Deum „ acquieverunt. Extant ejus eventûs monumenta adhuc „ hodierna die. Hactenus Wiguleius Hundius, quæ omnia Andreas Brunner & Adlzreiter Annalibus suis Boicis intexuerunt.

Hic idem Sanctissimus Pontifex altare majus in Ecclesiâ S. Adalberti E. M. in medio Augiensis Insulæ sita honori S. Crucis consecravit, prout patet ex hâc inscriptione: *Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadragesimo nono Regni verò*

III. Henrici Imperatoris anno undecimo; loci istius Abbatis (Udalrici Comitis de Lupfen ejus nominis II.) *anno quinto,* veriùs secundo, *indictione tertia die verò octavo Kalendas Decembris Dominus Leo Papa nonus in primo sui pontificatûs anno dedicavit hoc altare in honorem Domini nostri JEsu Christi, & Sanctissimæ Crucis.*

Etiam Capella in Mannenbach trans Rhenum in Turgovia, quam proprius Sacerdos sæcularis hodie providet, fundata & ædificata à quodam Abbate Augiensi, titulum habet *à S. Cruce*, in cujus venerationem ob insignem particulam de eâdem, consecrata est; quò verò progressû temporis ista particula devenerit, incertum est. Extiterat autem ibi Infirmaria Fratrum Augiensium, ex quibus aliqui eò loci sepulti jacent. Capellam hanc S. Crucis, quæ âmodò ad Augiam spectat, Religiosi Augienses plurimo tempore ipsi providebant, & Abbatis in arbitratû positum fuerat, sive Regularem, sive sæcularem Sacerdotem eidem præficere.

Salisburgi in antiquissimo & verè inclyto Asceterio S. Petri ædes S. Crucis juxtà montem in Cœmiterio sita est; ubi adhuc spelunca S. Ruperti D. Ægidio sacra visitur. Consecrata fuit an. 1170. V. Non. Maij sub Henrico Abbate ab Henrico Præsule Gurzensi, qui pariter ante Episcopales Infulas Abbas erat San-Petrensis. Hujus Sacelli ædificator fuerat Vir Deo devotus D. Siboto de Surberch, qui palàm astantibus Præsulibus Henricis, Episcopo & Abbate, prædio Lenzinsperg illud dotavit. *Mezger Histor Salisburg. lib. 4. cap. 17. pag. 408.*

Percelebri S. Pantaleonis Monasterio Coloniæ Agrippinæ Abbas A. C. CIↃ LXXXII. præfectus fuit Hermannus Comes Zutphaniæ. Hic construxit Oratorium S. Crucis, cujus inscriptio est: *Anno CIↃ XCIV. Indict. I. IV. Nonis Julii. Hoc Oratorium ab humili Hermanno fundatum dedicatum est à Ven. Hermanno III. Archiep. Coloniensi, qui Dives cognominatus est, in honore S. Crucis & duodecim Apostolorum.* Alta-

Altare S. Crucis in Monasterio Vindocinensi Urbanus II. A. 1096. die 4. Kal. Martias consecrasse dicitur, cunctisque, qui ad anniversariam ejusdem consecrationis diem illuc convenirent, septimam injunctæ sibi pænitentiæ partem relaxasse. Hoc altare dicebatur *Crucifixus Sanctæ Trinitatis*. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. p. 363.

Ara S. Crucis in Ecclesia Parthenonis Gandershemensis ad ascensum chori à sinistra ad columnam primordia accepit ex liberalitate Hermanni Welligis, Sacerdotis Gandershemensis an. 1488. ut singulis hebdomadibus ibi à presbytero tres prælegerentur Missæ, una de S. Cruce, pro vivis secunda, & pro defunctis tertia. *Jo. Christoph. Haremberg in Histor. Eccl. Gandersh. Dissert. 12. p. 1633.*

In Murensis apud Helvetos perantiqui, hodie Principalis Monasterii æde sacra stabat Ara S. Crucis, ante quam piissimi Fundatores Radeboto Comes de Habsburg, & Ita Conjux ex Domo Lotharingica terræ mandari voluerunt. *Vid. Origines Murenses pag. 38.*

Ara S. Crucis in Monasterio Sigebergensi. Hanc cùm S. Anno Archiepiscopus Coloniensis sanctificaret, & in eam Reliquias imponeret, lux igneo cælitus radians fulgore pariter introire visa est. *Surius in vit. S. Annonis d. 4. Dec. tom. 6. p. 710.*

In Ecclesia Monasterii Tegernseensis sunt permulta Altaria. Anno Domini 1476. altare decimum quartum consecratum est à Reverendissimo in Christo Patre, & Domino Sixto Episcopo Frisingensi in honore S. Crucis, & omnium Sanctorum Avorum Christi. *Vid. vet. monum. Tegerns. apud Pez. Tom. 3. Thes. Anecd. part. 3. col. 581.*


Hatwiga parthenonis ad Geronis saltum Abbatissa (*ll*) à Bernardo Halberstadiensi Episcopo in medio Ecclesiæ ante altare *S. Crucis* sepulta fuit: ubi contractus quidam ejus meritis sanitatem recepisse traditur.

(*ll*) Mabill. Annal. tom. 4. p. 235.

Sed quis omnia ejuſcemodi Altaria enumeret? cùm paucæ ſint Benedictinæ Eccleſiæ, quæ non aram Sanctæ Cruci dedicatam habeant. Ab artis verò ſtatuariæ mirâ elegantia, quæ quidem mihi viſa fuerunt, illud Altare, quod eſt Nereshemii, celebri Sueviæ Monaſterio, præ multis aliis laudari & commendari meretur; cui ego B. Alcuini noſtri carmen affigo:

Hæc eſt ara Crucis Sanctæ ſacrata triumphis
Mundi in quâ voluit vita ſalúſque pati.

Fuit verò Neresheimenſis Monaſterii Eccleſia Anno Dominicæ Incarnationis MCXIX. rogatû *Udalrici* Epiſcopi Conſtantienſis, *Hartmanni* Fundatoris filii ab *Azone*, Epiſcopo Aquenſi, (nonnullis etiam Aquilegienſi) Calliſti II. Papæ in Germaniam Legato in honore etiam victorioſiſſimæ Crucis conſecrata.



CAPUT II.

Reliquiæ S. Crucis religioſo cultû aſſervatæ in Monaſteriis & Eccleſiis Ord. S. B.

SI baculus Protei Stoici, propter ejus, cujus uſui deſerviebat, auctoritatem, & virtutis opinionem, tanta hominum excitavit ſtudia, ut ipſo mortuo cupidis emptoribus talento venditus fuerit; Numinis pietatem! quod pretium illi ſtatuemus baculo, quô amantiſſimus noſter Redemptor uſus fuit, & cum quo ceu alter & verus David ad ſingulare certamen contra totius generis humani hoſtem, infernalem Goliath, proceſſit? Hic verò baculus, ut nemo neſcit, ſacra Crux eſt, cujus vel minimas particulas quanto Majores noſtri deſiderio expetierint, quantóque in pretio habuerint, quis pro

pro dignitate explicet? Magnæ benedictionis loco habuit S. Legislator Benedictus, divinæ Crucis possedisse reliquias. Has pretiosissimis quibusque prætulit cimeliis, earúmque minutis particulis neminem, nisi S. Maurum, quem præ cæteris discipulis in oculis ferebat, donasse legitur. Quo enim tempore is in Gallias missus prima nocte in villa Monasterii quiescebat, à Divo Benedicto *tres portiunculas ligni salutiferæ Crucis* per Honoratum & Felicissimum, Casinates Monachos, submissas, ceu extremum summi amoris pignus accepit; quarum subinde attactû Harderadum, strenuissimum ac clarissimum virum, ex lapsû à præcelsa turri ita graviter læsum, ut omnes de ejusdem vitâ actum esse conclamarent, momentô non sine ingenti prodigio sanavit. Ex his verò tribus fragmentis seculo superiore unum Mediolani inventum fuit. Quò factum, ut eò loci primùm, mox per totam Italiam in S. Maurum brevi aucta veneratione, innumeri infirmi, Ischiade præsertim laborantes, aliqua S.S. Crucis particula, vel ejusdem Crucis imagine signati, recitatísque super eos consuetis precibus, miras ubique sanitates receperint, hodieque recipiant. Vid. Plac. Pucinell. in vit. S. Mauri cap. 41. pag. 155. Armell. Bibl. Bened. Casin. part. 2. p. 153.

Quod S. Fundatoris exemplum summo deinde incitamento Benedictinis fuit, ut quovis studio, labore, ac conatu S. Crucis Reliquias consequi studerent. Nec in iisdem adipiscendis infelices fuerunt. Præcipuas tamen, quibus eorum Sacraria piè, sit fas ita loqui, superbiunt, religiosæ cùm summorum Pontificum, cæterorúmque Ecclesiæ Antistitum, tum Principum, Regum, ac Imperatorum munificentiæ in acceptis referre debent. Lectori non ingratum fore speramus, si quæ præ cæteris magis insignes, ac cognitione dignæ habentur, earum ipsi notitiam suppeditemus.

§. I.

In Monasterio S. Germani à Pratis.

CHrotildem Childeberti I. Regis Francorum ſororem Amalricus Rex Viſigothorum in Hiſpania in matrimonio habebat, ſed Arianæ ſectæ addictus quotidianis ob fidem orthodoxam injuriis afficere non deſiſtebat. Quod cùm Childebertus iniquo ferret animo, Amalricum bello petiit, ac devicit. In Franciam redux ex urbe Toletana, ejuſdem Amalrici regia ſede Crucis Dominicæ inſignem portionem ſecum reportavit. Hanc ſubinde in Eccleſia, quam in ejuſdem honorem unà cum Monaſterio ab ipſo fuiſſe exſtructam ſuperiore capite narravimus, decenter repoſuit. Fuit verò hæc ſacra Crux Pariſienſibus non majori venerationi, quàm ipſa eiſdem præſidio. Cùm enim (*mm*) Normanni an. 886. Pariſios gravi premerent obſidione, ignem portæ turris injecerunt, ita ut brevì flagraret. Tum verò de urbe actum fuiſſet, niſi vir quidam ad Monaſterii Eccleſiam accurrens, S. Crucem corripuiſſet, eámque conſcensâ turri plenus pià fiducia flammis objeciſſet. Ut primùm enim id fecit, illicò ignis extinctus, hoſtis verò à civibus repreſſus fuit. Unde Abbo Cernuus, ſive humilis Monachus Pariſienſis S. Germani à Pratis, oculatus teſtis in deſcriptione obſidionis urbis Pariſiorum ita canit:

> *Hac virtute Crucis Sanctæ victoria noſtris*
> *Ceditur - - -*

Et licèt poſt hanc obſidionem annis & ſæculis inſequentibus, complura alia bella, ſeditiones atque obſidiones Lutetiæ Pariſiorum incubuerint, hæc tamen Crux, auro quamvis & gemmis pretioſis radiaret, rapaces prædonum atque hoſtium ma-

(*mm*) Bouillart in Hiſtoria Monaſterii S. Germani à Pratis Gallicè ſcripta p. 58.


manus usque ad annum millesimum sexagesimum evasit. Tum verò parùm abfuit, quin non Cœnobitæ San-Germanenses æmulorum malitiâ, eâdem fuerint spoliati. Rem in literas ac monumenta Autor anonymus & coævus his verbis retulit:
„ Philippus Magnus, Henrici Regis Filius, dignitatem re-
„ galis principatûs patre sepulto suscepit annis adhuc in
„ puerilibus. Prædictus itaque Rex adulatorum consiliis,
„ utpote juvenis, nimis credulus, Basilicam S. Germani, quæ
„ propè Parisius est, satis irreverenter ingressus est: quate-
„ nus de thesauris Ecclesiæ, quos ibi Childebertus Rex ad
„ decorem domus Dei multos congregaverat, cupiditatibus
„ & voluntatibus suis satisfaceret. Igitur Crucem auream,
„ quæ post altare beati Vincentii Martyris locata erat, deponi
„ mandavit, ut aurum & lapides pretiosos inde asportaret, suís-
„ que satellitibus asportata distribueret. Est enim ipsa Crux
„ operis ac ponderis incomparabilis, gemmísque exquisitis-
„ simis venustata, utpote quam dicunt de Hispaniis allatam,
„ & in præfatam Ecclesiam ex regalibus munificentiis illa-
„ tam. Cujus pretiosissimi donarii laudem res ipsa adhuc
„ testatur: & dum superstes erit, ipsum opus mirificum, &
„ auri pondus immensum testabitur. Imperante & præsente
„ rege deposita est, cui supererat Crux de columna, & su-
„ per tapetem unum in Ecclesiæ pavimento collocata. Ade-
„ rant artifices cum suo apparatu ex Regis edicto deletioni
„ Crucis instantes. Nec minùs intererant Ecclesiæ illius
„ Monachi condolentes, Sanctum Vincentium & beatissimum
„ Germanum præcipuè invocantes. Monachorum alii ca-
„ psulas, in quibus Sanctorum continebantur pignora, humi
„ deposuerunt, & voce flebili & corde suspirioso Dei miseri-
„ cordiam everberabant. Huic tam execrando spectaculo
„ aderat Stephanus urbis prædictæ præfectus, homo multùm
„ irreverens, & infrunitus, cujus instinctû nefario rem to-
„ tam aggressus erat Rex Philippus. Præsumtuosis autem
„ cona-

„ conatibus, Deo gratias, confeftim obftitit benigniffimus
„ Deus. Sicut enim relatum eft, his qui aftabant videnti-
„ bus, quædam nebula Sancta Sanctorum Ecclefiæ illius ob-
„ nubilare vifa eft. Rex autem à propofito fuo continuò
„ deftitit, & pavore quodam pertetritus ab his temerariis
„ aufibus de cætero fe cohibuit. Ut etiam divinæ vindictæ
„ non anceps, imò evidens daretur experimentum, Stepha-
„ nus præpofitus oculorum acie ftatim privatus eft: Et quo-
„ ufque vixit, tali condigna redargutione multatus eft. Com-
„ pulfus eft igitur mifer in feipfo recognofcere, quia confi-
„ liator adulativus pro terreni Regis amore confilium fuum
„ in cæleftem Regem non debuerat arroganter erigere. La-
„ mentum igitur Monachorum verfum eft in gaudium: Crux
„ quoque cum omni reverentia in ftatu priftino fublimata,
„ & plebs Parifienfis ex hac Domini vifione lætificata. Mi-
„ raculum fiquidem iftud celebre habitum eft, & inter mul-
„ tos folenniter divulgatum eft. Nos autem pofteris noftris
„ id fcriptum transmittimus, ad laudem & gloriam Dei, &
„ ad recenfendam memoriam Patroni noftri beatiffimi Ger-
„ mani, cujus precibus & meritis inceffanter adjuvemur,
„ Amen.

Hæc pretiofa Crux fubinde difparuit, ita ut quò devenerit, planè incompertum habeatur. Forfan bellorum tempeftate (quæ eft conjectura Patris *Bouillart* in Hiftoria Monafterii S. Germani à Pratis Gallicè fcripta) abfcondita fuit, atque ille, cujus fidei credita erat, inter mortales effe defiit, quin fecretum fuum cuiquam revelavit, prout fæpiùs fieri amat.

Jacturam hanc hodie refarcit alia Crux aurea, formam habens Crucis Hierofolymitanæ, ac pretiofis quaquaverfum gemmis collucens, qua portio ligni de verâ Cruce inclufa habetur, longitudine dimidii pedis. Duplex habet transverfum eodem vitali ditatum ligno, quorum majus tres uncias

&



Ἰησοῦς Χριστὸς
σταυρῷ παγεὶς ὑψώσας ἀνθρώπων φύσιν γράφει Κομνηνὸς Μανουὴλ στεφηφόρος.
Id est: Jesus Christus
Qui Cruci affixus exaltavit hominum naturam scribit Comnenus Manuel Imperator.

& femis, minus duas & dimidiam longum est. Præclarum hoc donum Monasterio S. Germani à Pratis Serenissima Princeps Anna de Gonzaga Dux Mantuæ & Montis Ferrati, Vidua Eduardi Electoris Palatini testamento suo legavit anno 1683. d. 8. Junii. Observatione digna est Græca inscriptio, quæ in postica ejus parte legitur. Eam componunt duo versus jambi, quorum prior, & dimidia pars secundi ligno erecto, altera verò dimidia pars majori transverso incisa est. In transverso minori ex uno latere Ιησȣ̃ς id est *JEsus*, ex altero Κριςὸς, id est, *Christus* comparent. Nomen Manuelis Comneni Imperatoris Constantinopoleos inscriptioni insertum indubio argumento est, hanc Crucem ab ipso fuisse profectam. Asseritur, quòd dictus Imperator hac Cruce nescio quem Poloniæ Principem aut Ducem donaverit; quâ re factum, ut in cimeliis regii thesauri cum curâ fuerit asservata. Ut curiositati Lectoris satis fiat, ejus figuram hîc exhibere, non à re alienum est visum. Haud difficulter judicium feret de antiquitate inscriptionis ex characterum forma.

Serenissima Princeps Palatina hanc Crucem muneris loco à Joanne Casimiro Poloniæ Rege accepit, qui regno se abdicans eam ex thesauro Coronæ Polonicæ depromptam secum in Gallias avexit. Perpaucas S. Crucis portiones mihi ostendas, qui hanc vel magnitudine vel certitudine exsuperent. Præter enim acta rei gestæ perscripta, aliásque tabulas, jussû Reverendissimi Harlæi, Archiepiscopi Parisiensis per D. Benjaminum Parisiensis Diœcesis magnum Vicarium lectas & examinatas literæ Græcæ antiquitatem Inscriptionis, & veritatem Reliquiarum satis extra dubium ponunt. Ulteriori probationi est manifestum & luculentum prodigium, cujus Serenissima Princeps in suo Testamento mentionem facit. Morti enim proxima asserere non dubitavit, se propriis vidisse oculis, quòd hæc Crux in ignem injecta longo satis tempore in eo jacuerit, quin vel minimùm læsa fuerit. Quod idem

I Du-

Ducissa Brunswicensis, filia Principis Palatinæ confirmavit, adjiciens, istud prodigium in præsentia multorum utriusque sexûs Principum, & aliarum quarundam non infimæ dignitatis personarum evenisse. Publica & maximè solemnis erat pompa, quâ salutiferum hoc Lignum per Reverendissimum D. Harlæum Archiepiscopum Parisiensem ex palatio Principis Palatinæ in Ecclesiam Monasterii S. Germani à Pratis illata fuit.

Sanctæ Cruci accesserunt aliæ sacræ Reliquiæ ex munificentia ejusdem Serenissimæ Principis; nempe fragmentum clavi, quo Christus Cruci affixus est; deinde linteum prodigioso Servatoris nostri cruore tinctum: *De calice perfuso, & in sanguinem visibiliter mutato.* Hierothecam eleganti opere confectam Sieur de Brun Regis Pictor ordinarius celeberrimi nominis delineavit. Nimirum duo cœlestes genii, nixi genibus, dextrâ sacram Crucem sustentant; sinistrâ verò alter fragmentum sacri clavi thecæ deauratæ inclusum; alter miraculosum sanguinem in parvo calice ex crystallo complectitur.

Quâ re admoneor carminis illius, quo Venantius Fortunatus (*nn*) olim quondam San-Germanensem Ecclesiam celebravit, eámque non modò cum templo Salomonis in comparatione conjunxit, sed illi etiam indubiè præposuit, propter Reliquias S. Crucis, quæ à Childeberto in eadem repositæ fuerunt.

Si Salmoniaci memoretur machina templi
Arte licèt par sit, pulchrior ista fide.
Nam quæcunque illic veteris velamine legis
Clausa fuere prius, hîc reserata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo
Claruit hæc Christi sanguine tincta nitens
Illam aurum, lapides, ornârunt cedrina ligna
Hîc venerabilior de Cruce fulget honor.

§. II.

(*nn*) Carm. lib. 12. c. 11.

§. II.

In S. Dionysii propè Parisios Monasterio.

PHilippus Augustus Rex Galliæ anno MCCV. inter alias sacras Reliquias de verâ ac vivificâ Cruce Christi non exiguæ magnitudinis fragmentum à Balduino Imperatore Orientis dono accepit. Salutiferum lignum aureâ & pretiosis ornatâ gemmis Cruce inclusum fuit. Cùm Rex Ecclesiam S. Dionysii singulari prosequeretur amore, illam præ cæteris hoc thesauro beandam statuit. Igitur sacras Reliquias in manus Henrici Abbatis deponit. Hic nihil cunctandum ratus, eâdem die (erat septima Junii) Parisiis ad suam Abbatiam easdem deportavit; in quâ, ut eâ, quâ par erat, reverentia & devotione exciperentur, nihil curæ prætermisit. Nec Monachi suæ erga Dominicam Crucem pietati defuerunt. Ad exaugendam solemnem pompam nudis pedibus, sed sericis induti Pluvialibus, ut vocant, è Monasterio egressi fuerunt. Ipsis universus civitatis clerus ac populus maximâ frequentiâ se adjunxit. Per aliquod progressi spatium Henrico Abbati obviàm facti fuerunt, qui impertiendo sacrâ Cruce benedictionem ipsos salutavit, quas subinde cum cæteris sacris Reliquiis in San-Dionysianæ Ecclesiæ intulit sacrarium.

Mense Septembri insequenti, die ipsa Exaltationis S. Crucis, Philippus Episcopus Belvacensis, Stephanus Noviomensis, Gaufridus Sylvanectensis, deditâ opera, atque ex composito, ad S. Dionysii Asceterium venerunt, ut sacras Reliquias jussû Regis ad eum locum paulo ante delatas venerarentur. Peractâ devotione chartam, posteritati futuram authenticum testimonium conscribi fecerunt. In hac fidem faciunt, quòd quas sacras Reliquias unà cum literis testimonialibus aureo sigillo munitis Balduinus Imperator ad Philippum Regem transmisit, & viderint, & deosculati fuerint.

Præterea de indulgentiis mentionem faciunt, quas illis suis Diœcesanis impertiuntur, qui ab Exaltatione S. Crucis anni præsentis usque ad futurum Pascha ad deveneradas sacras hasce Reliquias accessuri sint.

Charta Episcoporum, Belvacensis, Noviomensis, & Sylvanectensis.

,, Philippus Dei gratia Belvacensis, Stephanus Noviomen-
,, sis, Gaufridus Sylvanectensis Episcopi. Omnibus ad quos
,, literæ præsentes pervenerint, salutem in salutis auctore.
,, Universitati vestræ intimamus, & testificamur præsentibus,
,, nos in Exaltatione Sanctæ Crucis apud beatum Dionysium
,, convenisse, & Sanctas Reliquias Domino Regi Francorum
,, ab Imperatore Constantinopolitano transmissas, & penes
,, eundem locum à Domino Rege repositas, ad Dei gloriam
,, & honorem ac salutem Fidelium exaltâsse ac palàm fecisse.
,, Sunt autem hæ reliquiæ, quas prædictus Imperator per
,, fidelem nuntium cum literis suis patentibus aureo sigillo
,, signatis transmisit. De ligno Crucis Dominicæ longitudi-
,, ne unius pedis aut amplius ----- Reliquias istas, quas di-
,, ximus, propriis oculis inspicere, osculari, & adorare Do-
,, mino miserante meruimus. Vos omnes attentiùs commo-
,, nentes, ut eas requirere, ac venerari curetis, scituri, quod
,, nos potestate nobis à Deo commissa omnibus, qui ea re-
,, quisierint, septimam partem sibi injunctæ pænitentiæ re-
,, laxamus, peccata oblita remittimus, de fractis votis si ad
,, ea redierint, de parentum offensis, si tamen in eis manus
,, nequaquam injecerint, eos absolvimus, & ab exaltatione
,, Sanctæ Crucis usque ad octavas Paschæ durabit hæc nostra
,, remissio.

,, Actum apud beatum Dionysium anno Domini millesi-
,, mo ducentesimo quinto, Mense Septembri.

In Sacrario ejusdem San-Dionysianæ Ecclesiæ exhibetur effigies Crucifixi ex veræ Crucis ligno fabricata, & ut credi-

tur,

tur, à Clemente III. qui Philippum Auguſtum eâdem donavit, propriis manibus elaborata.

Item alia Crux argentea deaurata, in quâ fragmentum veræ Crucis incluſum eſt. Venit ex dono Hieronymi de Chambellan, Abbatiæ hujus Regiæ Magni Prioris, quô tempore annum vitæ ſuæ religioſæ quinquageſimum celebravit: id nos docet inſcriptio: *Hæc Crux in ſui Monaſtici gratiam jubilæi à F. Hieronymo de Chambellan hujus Cœnobii magno Priore 1509.*

Vide Hiſtoriam Abbatiæ S. Dionyſii in Francia Gallicè ſcriptam per D. Felibien ex Congr. S. Mauri lib. 4. pag. 215. & Cod. Probat. n. 154. p. 115.

§. III.
In Parthenone Pictavienſi.

QUod ſalutiferum ſacræ Crucis lignum Diva Radegundis Regina ab Imperatore Juſtino impetravit, in Parthenone Pictavis à ſe condito ſummâ veneratione repoſuit. Cujus rei hiſtoriam verbis Venantii Fortunati Epiſcopi Pictavienſis in vita (*oo*) ejuſdem S. Reginæ referre juvat.

„ Quia Dominus non privabit bonis eos qui ambulant
„ in innocentia, & qui eum ex toto corde, & ex tota ani-
„ ma, & ex tota mente quæſierit, ſicut hæc Beata fecit, Di-
„ vina clementia ſe benignam exhibuit, eíque in ſenſu po-
„ ſuit, in cujus pectore die noctúque requieſcebat, ut ſicut
„ Beata Helena, ſapientiâ imbuta, timore Dei plena, bonis
„ operibus glorioſa Lignum ſalutare, ubi pretium mundi
„ pro noſtrâ ſalute appenſum fuerat, ut nos de poteſtate dia-
„ boli eriperet, perquiſivit, ita ut invento ambabus mani-
„ bus plauderet, & in terra genu flexo Dominum adoraret,

I 3 „ ubi

(*oo*) Vide illam apud Mabill. Act. Sanctor. O. S. B. ſec. 1. pag. 331.

„ ubi ipſam in mortuo ſuſcitato Dominicam Crucem ſupra-
„ poſitam agnovit dicens: In veritate tu es Chriſtus filius
„ Dei, qui in hunc mundum veniſti, tuóſque captivos, quos
„ creaſti, pretioſo ſanguine redemiſti; Quod fecit illa in
„ Orientali patria, hoc fecit Beata Radegundis in Gallia.

„ Et quia ſine conſilio in mundo, dum vixit, nihil facere
„ voluit: transmiſit literas ad præcellentiſſimum Sigibertum
„ Regem, cujus Imperio patria iſta regebatur, ut ei permit-
„ teret pro totius patriæ ſalute, & ejus Regni ſtabilitate, Li-
„ gnum Crucis Domini ab Imperatore (*Juſtino*) expetere.
„ Quod ille benigniſſimè ad petitionem Sanctæ Reginæ aſ-
„ ſenſum præbuit. Illa devotione plena, deſiderio accenſa
„ ad Imperatorem non munera dirigit, quæ ſe propter Deum
„ pauperem fecit: ſed oratione obtinente cum comitatû
„ Sanctorum, quos inceſſabiliter invocabat, Miſſos ſuos di-
„ rexit. Sed quod ſua vota poſcebant, obtinuit, ut beatum
„ Lignum Crucis Domini auro & gemmis ornatum, & mul-
„ tas Sanctorum Reliquias, quas Oriens retinebat, uno reſi-
„ dens loco ſe habere gloriata eſt. Ad petitionem Sanctæ
„ transmiſit Imperator Legatarios cum Evangeliis auro &
„ gemmis ornatis.

„ At ubi lignum, ubi ſalus mundi pependerat, Pictavis
„ civitatem cum congregatione Sanctorum advenit, & Pon-
„ tifex loci cum omni populo devotè hoc vellet excipere;
„ inimicus humani generis per ſatellites ſuos egit, ut pre-
„ tium mundi repellerent, nec in civitate recipere vellent,
„ qualiter Beata Radegundis tribulationibus ſubjaceret, aliud
„ pro alio aſſerentes, Judaico ordine; quod noſtrum non
„ eſt diſſerere, ipſi viderint: Dominus novit, qui ſunt ejus.
„ Sed illa Spiritû fervente animo dimicante, iterum ad be-
„ nigniſſimum Regem dirigit, quia in civitatem ſalutem re-
„ cipere noluerunt. Interim quouſque Miſſi ſui de Domno
„ Rege reverterentur, in Turonico ſuo Monaſterio virorum
„ quod

„ quod condidit, ut ipſum ſalvaret ibi cum pſallentio Sa-
„ cerdotum Crucem Domini vel pignora Sanctorum com-
„ mendavit. Non minorem injuriam paſſa eſt Sancta Crux
„ per invidiam, quàm Dominus, qui percurſorem (pp) fi-
„ delem vocatus & revocatus ante Præſides & Judices om-
„ nem malitiam patienter ſuſtinuit, ut quod creaverat, non
„ periret. In quanto ſe cruciatu poſuit, in jejuniis, in vi-
„ giliis, in profuſione lacrymarum tota Congregatio ſua, in
„ luctu & fletu omnibus diebus, uſquequo reſpexit Dominus
„ humilitatem ancillæ ſuæ, qui dedit in corde Regis, ut
„ faceret judicium & juſtitiam in medio populi? Nam de-
„ votus Rex per fidelem ſuum virum illuſtrem Juſtinum Co-
„ mitem transmiſit ad virum Apoſtolicum Domnum Eufro-
„ nium, Turonicæ civitatis Epiſcopum, ut cum honore di-
„ gno glorioſam Crucem Domini, vel Sanctorum Reliquias
„ in Monaſterio Domnæ Radegundis introponeret, quod &
„ factum eſt. Exultavit in gaudio Beata cum omni Cella
„ ſua, ſicque hoc de cœlis donum bonum & datum perfectum
„ ſuæ Congregationi, quam ad Domini ſervitium congrega-
„ vit, contulit, in Spiritû ſentiens, quòd poſt ejus tranſitum
„ parum habere poſſet: hoc donum cæleſte provitrix opti-
„ ma, gubernatrix bona, ut oves non uſquequaque relin-
„ queret, pretium mundi de pignore Chriſti, quod de lon-
„ ginqua regione expetiit, ad honorem loci & ſalvationem
„ populi ſuo in Monaſterio dimiſit, ubi virtute Dei coope-
„ rante, potentiâ cœli miniſtrante, cæcorum oculi lumen
„ recipiunt, aures ſurdæ patefiunt, mutorum lingua ad ſuum
„ redit officium, claudi ambulant, dœmones effugantur.
„ Quid plura? quisquis à quacunque infirmitate detentus
„ ex fide venerit per virtutem Sanctæ Crucis ſanus redit.
„ Quis queat dicere, quantum & quale donum huic urbi
„ Beata contulit? unde quisquis ex fide vivit, ejus nomen
„ benedicit. Hacte-

(pp) al. percuſſorem.

Hactenus Venantius Fortunatus, qui eandem historiam versibus expressit, quos, si placet, legere poteris in Bibliotheca Patrum editionis Lugdunensis Tomo X. Ubi alia etiam carmina, quæ idem Fortunatus hac occasione cecinit, libro secundo habentur. Tertium carmen agit de Oratorio S. Crucis, quod S. Gregorius Turonensis, nondum tunc Episcopus construxit, occasione ligni S. Crucis Turonos delati, & aliquamdiu in Monasterio virorum à B. Radegunde ibi instituto religiosè asservati. Idem Gregorius lib. 1. de gloria Martyrum cap. 5. prodigia in Monasterio Pictaviensi eâdem S. Crucis particulâ edita commemorat, quibus his verbis finem imponit: *Energumeni, claudi, & alii quoque infirmi persæpe in hoc loco sanantur.*

§. IV.

In Monasterio Gellonensi.

S. Willelmus, seu Guilielmus regio Francorum Principum sanguine editus magnas in aula Caroli M. dignitates gessit. Dux Septimaniæ constitutus bella contra Saracenos fortiter gessit, à quibus sæpiùs devictis egregia reportavit trophæa. Ipso Carolus M. & Ludovicus Pius familiariter utebantur. Sed aulæ, militiæ, ac honorum pertæsus fugam sæculi meditari, ac in Monasterium Gellonense à se fundatum secedere decrevit. Est locus valde solitarius in Septimaniâ seu Occitaniâ in pago Lutevensi ad Araurim fluviolum medio ferè itinere inter Lutevam & Montem pessulanum urbes episcopales inter excelsa montium juga, quibus undique cingitur. Caroli licentia ægrè impetrata, dona regia, quibus eum cumulare volebat, accipere noluit, sed in hæc verba respondit. (qq) „ Quod autem gratia vestra de thesau-„ ris

(qq) Vide vitam apud Mabill. in Actis Sanctorum O. S. B. sec. 4. part. 1. p. 79.

„ ris veſtris dona mihi placita dignatur offerre, vos quidem
„ facitis veſtro regio & imperiali more. At verò ſi ego meis
„ omnibus pro Chriſto abrenuntio, quomodo veſtra tollo,
„ vel aliquid ab aliquo qualiter accipio? ſufficit enim re-
„ rum mearum copia, auri quoque & argenti ſatis ingens
„ pecunia. Tamen ſi multum vobis placet mihi dare, &
„ per me omnipotenti Deo aliquid præſentare; ſunt vobis
„ dona religioſa, ſunt munera pretioſa, quod veſtrum eſt
„ dare ſine reprehenſione, & meum ſuſcipere abſque offen-
„ ſione. Dico enim de glorioſo ligno Domini, quod me
„ præſente olim vobis miſſum eſt ab Hieroſolymis. Quo au-
„ dito Carolus primò quidem accepit durè: deinde ad ſe
„ rediens, & tanti amici devictus amore, Felicem me, inquit,
„ pro hac petitione, & hoc erit factum cum Dei benedi-
„ ctione. Denique cùm Rex ipſe venerabilis primo Imperii
„ ſui anno Romæ moraretur, & imperialem ad primam glo-
„ riam reſtauraret dignitatem; Patriarcha Hieroſolymitanus
„ deſiderans eum honorare, multúmque placere ei, miſerat
„ illi ab Hieroſolymis per Zachariam (*rr*) magni propoſiti
„ magníque teſtimonii Sacerdotem, pérque duos Monachos
„ Hieroſolymitanos magnæ religionis nec parvæ auctoritatis,
„ illud Dominicæ Crucis venerabile cunctíſque mortalibus
„ phylacterium adorandum, gemmarum ſplendoribus &
„ auro puriſſimo, quantum potuit humana devotio, decen-
„ tiſſimè perornatum, magníſque poſtea & crebris explora-

K „ tum

(*rr*) Nimirum anno DCCC. teſtante Monacho Ecoliſmenſi in vita Caroli M. in hæc verba: Eadem die, nempe VIII. Kal. Decemb. Zacharias quem anno præcedente Carolus cum Monacho Hieroſolymitano ad ſe miſſo direxerat, *cum duobus Monachis, uno de Monte Oliveti altero de Sancto Sabba, de Oriente reverſus Romam venit, quos Patriarcha ad Regem miſit, qui benedictionis cauſa claves ſepulchri Dominici, ac loci Calvariæ, claves etiam Civitatis & Montis Oliveti cum vexillo detulerunt.* Quæ eadem ferè verba leguntur in Annalibus Eginhardi. Ubi etſi nulla ligni dominicæ Crucis mentio fit, conſtat tamen tum portionem ejus, tum alia donaria Carolo fuiſſe conceſſa, quæ poſtea ipſe Aquiſgrani repoſuit. Certè pleræque donationes antiquitus factæ Monaſterio Gellonenſi hunc præferunt titulum: *Donamus Sancto Salvatori & venerabili ligno Crucis Sanctóque Willelmo.* Nota Mabillonis l. c.

„ tum atque probatum virtutibus: ut nulli ſit dubium, quin
„ ipſum verè de eo ipſo fuerit noſtræ redemptionis ligno.
„ Hoc donum Regi dignum miſit Carolo ab Hieroſolymis
„ venerabilis Patriarcha: quod Dei cultor ille mirabilis Im-
„ perator, ſuper omne quod offerri vel præſentari poterat,
„ gratum habuit & acceptum. Suſcepit enim Rex munus
„ ſacroſanctum, ſibi quidem prædeſtinatum. Igitur Rege
„ jubente mittitur ſine mora: defertur illud lignum mirabile
„ cum ſanctificata ac venerabili ara, nec non & ipſius aræ
„ pretioſus cultus & plurima ornamenta, Sanctorum etiam
„ pignora glorioſa, (*ss*) quæ Carolus propria manu dat
„ amico in hæc verba: Suſcipe nunc, dilectiſſime, hæc Do-
„ mini tui dona contra malignos ſpiritus, & contra adverſa
„ omnia, præclara atque fortiſſima arma, ſuſcipe Regis tui
„ munera, noviſſima militiæ tuæ prœmia. Hæc tibi ſemper
„ erunt noſtræ dilectionis vera & certiſſima ſigna, frequens
„ recordatio, memoria ſempiterna. Haud enim dubium,
„ quia quotiescunque hæc ſancta vel oculis aſpexeris, vel
„ manibus tenueris Domini tui Caroli obliviſci non poteris.

Hoc modo Dux Willelmus ligno Dominicæ Crucis potitus, illud ad Monaſterium Gellonenſe detulit, & non tam variis devotionis obſequiis, quàm vita mirè auſtera & ſanctiſſimè acta uſque ad mortem coluit, & honoravit.

„ Poſt tranſitum (*tt*) Sanctiſſimi Guillelmi placuit divi-
„ næ gratiæ ſuper Guillonenſe Monaſterium manifeſtiùs
„ oſtendere ſui amoris reſpectum, tam propter B. Guillelmi
„ merita, quàm propter lignum dominicum, quod vir Dei
„ Carolo donante illuc detulerat ſecum. Cœpit illud Chri-
„ ſti vexillum in eodem loco miraculis coruſcare, locum ir-
„ radia-

(*ss*) Id eſt, reliquiæ Sanctorum, quas hodie quoque poſſident Gelonenſes Benedictini, ſed arcæ permiſtim incluſas, ab anno MDLXVIII, quo in ſubſidium præſidii militaris adverſus Calviniſtas, diſſipata eſt ſacra ſupellex præter Crucem prædictam, brachium S. Willelmi, & alia quædam. Nota Mabillonii. (*tt*) Ex libello de Miraculis S. Willelmi, quem vide apud Mabill. ſec. IV. Ben. part. 2. p. 556.

„ radiare, ægros ſanare, afflictos liberare; dœmones verò „ fortiter effugare: è quibus aliquod dignum ducimus ad „ Sanctæ Crucis gloriam breviter ſcribere, utcunque magni- „ ficè prædicare. Eſt namque non longè ab eodem Mona- „ ſterio fluvius, vocabulo Auraris (*uu*) dictus, magno im- „ petu de montibus deſcendens, ubi navis erat, cum qua „ Monaſterium expetentes, flumen tranſiréque volentes ne- „ ceſſariò transvehi oportebat. Hunc itaque fluvium dœ- „ mon Deo permittente poſſidebat, multos ibidem demer- „ gens, demerſos atque perdens, modò ſingulos modò plu- „ res aquis imprimens, & abſorbens. Sæpe enim ipſam na- „ vem rebus perditis, hominibus ſuffocatis, repentè ſub- „ mergebat. Homines autem loci illius hoc ſcandalum non „ ferentes, Sanctum Guillelmum expetunt, & ſpecialiter po- „ ſtulant ligni dominici ſingulare præſidium, per quod ſciunt „ diabolum eſſe victum. Orant cum lacrymis, fortes in fide, „ fit petitio populi, ut lignum deferatur, defertur ad am- „ nem bajulante illud Abbate dicti Monaſterii, cum choris „ pſallentium Monachorum & Cleri. Conveniunt multi „ venerabiles viri, virtutem Domini contra fraudes diaboli „ videre cupientes. Mox namque ut lignum in litore appa- „ ruit, phantaſma diabolicum vim Sanctæ Crucis non ſu- „ ſtinens, relicto flumine, ſicut fumus evanuit, nec ibidem „ ulteriùs draco ille viſus, nec inventus fuit.

„ Monachi cujuſdam Monaſterii de Francia, Zelo ducti „ & avaritia, propter dona & oblationes, quæ fiebant in Mo- „ naſterio Guillonenſi ob reverentiam & devotionem illius „ pretioſiſſimi ligni; conſilium inierunt ut, ſi aliter non poſ- „ ſent, furto raperent, & ad ſuum Monaſterium transfer- „ rent, ſic quæſtus multiplicis oblationis ad eos conſequen- „ ter pervenirent. Eliguntur igitur duo de pluribus non „ Monachi, ſed dœmoniaci, non fratres, ſed fures, atque

(*uu*) l'Eraut.

„ ad Guillonense Monasterium diriguntur, dolis armati, compositis mendaciis multis. Juxtà templi vestibulum cujusdam subintrant hospitium, peregrinos se dicunt, ægritudinem simulant, causâ recuperandæ salutis ac veniæ, ad lignum dominicum, beatúmque Guillelmum se venisse mentiuntur, tamdiu se velle in illo loco manere, & in Ecclesia ante Sanctum altare excubare, quousque misericordiam promereantur, virtutem quoque Crucis per B. Guilelmi meritum in se experiantur. Itaque Prior Monasterii & Fratres verbis illorum nimium creduli circa eos exhibent humanitatem; concedunt claustrum, Ecclesiam frequentare, vigilare & orare ad eorum voluntatem. Illi verò econtra iniqua cogitatione edocti, Ecclesiam frequentant die, simulantes orationem sine devotione: nocte verò vigilantes, precémque multiplicantes sine compunctione, locum illum, in quo dominicum lignum custodiebatur, observant, notatóque loco ad artes diabolicas se committunt, præparant instrumenta ad invadendum sanctum Thesaurum. Sicque una nocte vigilias consuetas simulantes, cum cereis non paucis, Ecclesiam Sancti Guillelmi intrant; venerabili altari Dei, timore postposito, appropinquant; arcam, in qua thesaurum existimant, irreverenter invadunt, & arte pessimâ absque clavibus reserata, atque sine sonitu aperta, cum thesauro sanctissimo, nullo sentiente templum subitò egrediuntur, & fugere cupiunt: sed Dei virtute nullatenus effugere queunt. Nam de terminis Monasterii nulla unquam parte, nullóque conamine exire possunt, circumeuntes ut ebrii, & in sua eadem vestigia redeuntes. Jam verò incipiente aurora diei cùm pervenissent ad locum, qui dicitur *ad Crucem;* cognoscunt se per virtutem gloriosæ Crucis ligni Domini fixos immobilésque teneri, & ab apparitionibus B. Guillelmi nihilominus comprehendi, & ad suspendium trahi, viden-

„ tes

„ tes etiam sua vestigia impressa nivi, quæ nocte illa mira-
„ culosè per limum per Dei providentiam ceciderat: nec
„ locum habent fugiendi nec consilium evadendi. Perter-
„ riti atque desperati, & mirabiliter coacti lignum Domi-
„ nicum quod furati fuerant de perâ extrahunt, solóque de-
„ positum sub condensa nive altiùs abscondunt; móxque
„ virtutem ligni quam per vindictam incesserant, per Dei
„ clementiam sentiunt & recognoscunt. Nam gressu re-
„ pentè recuperato vires resumunt, Deo permittente, liberi
„ recedunt. Interea venit hora, quando vigiles Oratores
„ Beati Guilelmi, expleta Matutinali Missa, illo benedicto
„ ligno populus more solito à Sacerdote peteret benedictio-
„ nem. Cúmque Sacerdos cum ministris ad venerabilem
„ thecam processisset, ut inde ipsum lignum afferrent, & se-
„ ris reseratis apertísque illud non invenissent; quantus &
„ quantus clamor quantúsque dolor populum ac Monachos
„ subitò invasit, cogitari quidem potest, sed exprimi suffi-
„ cienter non potest. Quæsitis igitur illis Monachis pere-
„ grinis & minimè inventis, curritur post eos investigatione
„ nivis cælitùs emissæ, declarantis & vestigia fugientium cla-
„ riùs designantis. Nam cùm pervenissent ad locum, in
„ quo fures turbati, & subvernati substiterant, & lignum
„ reliquerant, videtur sub nive quasi columna fumi suaviter
„ vaporantis consurgere, atque conscendere in sublime. Ac-
„ cedunt omnes pariter ad columnam, lignum quod quæ-
„ runt, sub nive inveniunt cum magno gaudio, pro Abbate
„ mittunt, & ipsum inde reverenter tollunt atque ad Mona-
„ sterium Beati Guillelmi portare non differunt cum hymnis
„ & canticis, & gloria inenarrabili ad honorem & gloriam
„ nominis Christi, & laudem B. Guilelmi, & devotionem po-
„ puli Christiani.

Ea ligni Dominici portio insignis, argento deaurato inclu-
sa, hactenus adservatur in Monasterio Gellonensi.

§. V.

In Monasterio Carrofensi.

NObile hoc Monasterium situm est apud Pictones in pago Briofensi, Gallicè *de Briou* ad fluvium Carentonam. Conditores habuit Rotgerium Comitem, & Euphrasiam ejus uxorem. *Locus autem*, inquit Ademarus Monachus Engolismensis paginâ 172. in Chronico, quod edidit Labeus Tomo II. Novæ Bibliothecæ Mstorum Librorum, *antiquo sermone Gallorum Carrofus vocitabatur propter carrorum confinia, id est, vehiculorum publicorum, & deinceps pro reverentia Crucis Sanctum Carrofum appellari placuit. Hoc* verò *Crucis lignum de Cruce Dominica exstat, quam Hierosolymorum Patriarcha* (Thomas) per Gregorium Abbatem de Monte Oliveti & Felicem Monachum, *Regi magno Carolo* (cum Aquis grani anno 799. moraretur) *direxerat, & idem Imperator in eâdem Basilicâ quam condidit Rotgerius Comes Lemovicensis in honore Salvatoris reposuit*, non quidem per seipsum, sed per dictum Comitem Rotgerium, cui Dominicæ Crucis particulam tradidit, Carrofensi consignandum Monasterio.

Nec tacendum puto, quod idem Ademarus de hac Dominicæ Crucis particula loco citato refert: *Per idem tempus sepulchrum Sancti Eparchii*, Abbatis Egolismensis, *clarere innumeris cœpit miraculis plus solito, & Dei visio manifesta patefacta est Fulcherio Abbati Sancti Carofi & Monachis, ut Sanctum lignum Crucis ad tumulum deferrent B. Eparchii, quod conventu solenni peractum est, & Abbate Rainaldo Egolismensi procurante, exceptum est S. lignum in Basilica S. Eparchii, in die ejus festivitatis, die primo Mensis Julij. Porrò adimpletis, quæ ordinaverat divina pietas, Monachi S. Carrofi valedicentes fratribus Egolismensibus, cum S. ligno gloriosè remearunt.*

De

De hac ipſa S. Crucis portione, quæ in Monaſterio Carrofenſi aſſervatur, alia hiſtoria in fragmento hiſtoriæ Aquitanicæ, quod Pithœus juris publici fècit, his verbis recenſetur. *Cùm Nortmanni in fines Pictavorum irruerent, & omnia latè vaſtarent, Monachi S. Carrofi pretioſum Crucis lignum ad cuſtodiendum Engoliſmum detulerunt, cum diverſis ornamentis Ecclesiæ, & ceſſante infeſtatione Nortmannica, Alduinus in civitate ſua retinere tentavit omnibus diebus ſupra dictum ſanctum lignum, nolens commendatum reddere. Unde per annos ſeptem languore corporis mulctatus eſt ipſe, & in populo ſuo ita fames vehementiſſima graſſata eſt, ut quod hactenus incompertum fuit, de vulgo unus alterum ad devorandum requireret, & multi alios ferro perimentes, carnibus more luporum, humanis veſcerentur. Quibus actus neceſſitatibus, uno ante mortem ſuam anno remiſit Carroſum pretioſum lignum, per manus filii ſui Wilhelmi cognomine ſectoris ferri cum capſa aurea, quam ipſe cum gemmis conſtrui imperaverat, uti contulit Lubeliaco villam, & mox ceſſavit plaga. Et ipſe poſt annum defunctus VI. Kalend. Aprilis juxta patrem tumulatus eſt.*

Sunt verò, qui naſum corrugent, cùm hoc Monaſterium pro reverentia Crucis *Sanctum Carroſum* appellari audiunt; ac ſi verò ſancti encomium non niſi hominibus vitæ ſanctimonia præſtantibus tribuatur: cùm tamen v. g. Mons Andecenſis in Bavaria vulgò *Mons Sanctus* appelletur, per eam cauſam, quòd cineres Sanctorum, Beatorum exuviæ, aliáque ſanctitatis pignora ibi maximo numero cuſtodiantur, quo titulo etiam Aſceterium S. Martini în Pannonia *Mons Sanctus*, ſacra Eremus in Helvetia, Sancta Lerinus inſula in Galliâ, aliáque id genus ſanctuaria non parùm ſæpe inſigniuntur.



§. VI.

§. VI.

In Monasterio S. Facundi, vulgò Sahagun.

ANno Domini circiter MLXXXV. Alexius Comnenus Imperator Constantinopolitanus, famâ commotus Alphonsi Regis in Hispaniâ VI. qui Toletum expugnavit, & ab hostibus Christiani nominis Agarenis regiam illam urbem captam Imperio suo adjecerat, Crucem magnam ex ligno Sanctæ Crucis confectam munere ei donavit: quam ille Benedictinis Monachis Cœnobii à Sagahun pro magno fuit thesauro largitus. Quæ non solùm dœmones ab obsessis expellit, & pleraque miracula ad ejus conspectum altissimus operatur: verùm per eandem fines illius oppidi tuetur, & protegit à locustâ, brucho, grandine, uredine, & gelu segetes & vineas incolarum, & tempestates subitò in publicum producta avertit. Quare multùm frequentatur ejus cultus à fidelibus, & summâ religione observatur. *Ita Ciaconius de signis Sanctæ Crucis cap. 34. p. 121.*

§. VII.

In Monasterio S. Turibii de Liebana.

CUmprimis inibi continetur magna quædam pars Crucis, in quâ Christus, ut à deterrima dœmonis servitute nos liberaret, mortem exantlavit: ea longa est palmos tres cum dimidio, in transversum duos palmos exsuperat. Sinistrúmque latus est Sanctæ Crucis, quod Helena Imperatrix reliquit Hierosolymis, tunc quando Cruces detexit Christi & Latronum. Clauditur illud latus, servatúrque ad formam Crucis, integrúmque conspicitur foramen, quò confixa fuit Christi manus. Quinquaginta abhinc annis & ultra in eam formam

mam redactum est, eáque occasione particulæ plurimæ pio furto subductæ fuerunt, quæ quidam nunc publicam in lucem proferunt. Magna sunt miracula, quæ Dominus noster operatur in favorem suæ Sanctæ Crucis, servans fructus in agris, quoties exponitur adversus grandines, cœlíque tempestates, sanans infirmos & obsessos; quare eò continuò peregrinantur devoti & indigi, qui Sanctum Crucem invisunt. Trajiciuntur per illud Sanctum foramen Cruces, cera, & aqua quibus cælestis virtus inditur. *Ex Prudentio Sandoval de Fundat. Monasterior. O. S. B. in Hispania P. I. pag. 5.*

§. VIII.
In Monasterio Augiensi.

SAcras inter Crucis Dominicæ Reliquias, quæ in Familiæ Benedictinæ Monasteriis religiosè asservantur, ea Crux, quam antiquissimum, & longè celeberrimum Divitis Augiæ Asceterium summâ custodit veneratione, principem sibi locum jure ac merito vindicare posse videtur; non quòd alias S. Crucis particulas vel magnitudine, vel auri ac gemmarum, quibus condecorata est, pretio exsuperet, sed quod pretiosissimum divini sanguinis contineat thesaurum. Meminerunt verò hujus sacræ Crucis multi cùm veteris tum recentioris ævi scriptores. Agmen ducit *Hermannus Contractus* in Chronico Mss. ad annum 923. „ Sanguis Domini in Augiam insulam â quâdam matrona defertur, sicuti literis inibi historica relatione continetur. „ *Idem* in Chronico apud Canisium & in Biblioth. PP. ad an. 922. hæc eadem habet. Idem in Chronico apud Pistorium ad an. 923. „ Sanguis Domini in Augiam Insulam defertur. *Continuator Reginonis* „ Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIII. pretiosissimus thesaurus sanguinis Domini venit in Augiam VI. Idus Novembris.

 Ano

Anonymus in Chronico, quod edidit Stephanus Baluzius lib. 1. Mifcell An. 923. pretiofiffimus thefaurus fanguinis Domini in Attigiam (in margine Augiam) venit VI. Idus Novembris. *Marianus Scotus* „ An. 923. pretiofiffimus thefaurus Sanguinis Domini venit in Augiam 6. Idus Novemb. „ *Matthæus de Bappenheim* in Chronico Auftrali „ DCCCCXXIII. Sanguis Domini in Augiam Infulam defertur. „ *Brufchius* in Chronolog. Monaft. Germ. fol. 37. Thietingus eligitur Anno 915. præfuit tribus annis; fub eo fanguis Dominicus fcribitur ex Hierofolymis transmiffus effe in Augiam Divitem à Rege Azan. *Gabriel Bucelinus* part. 1. Chronol. Conftant. ad annum 922. „ Beatur infigni Dominici fanguinis thefauro hoc ipfo anno Augia, hoc uno, fi nullo alio fuiffet folidè Divés. „ *Joannes Mabillonius* Delationis fanguinis Dominici in Augiam hiftoriam à Monacho anonymo Augienfi fcriptis confignatam, atque ex membranaceo codice Bibliothecæ Augienfis acceptam juris publici fecit in appendice ad Tomum III. Annal. O. S. B. ejus verò epitomen fuis conceptam verbis ejufdem Tomi lib. 42. n. 49. pag. 371. intexuit.

Quia verò Crux & Sanguis Domini non tantùm in Augiam Divitem delati, fed fæculo proximè præterito ex eadem elati, & hoc labente paucis abhinc annis relati fuerunt, hiftoria in tres potiffimùm partes commodùm diftribui poffe videtur; quarum primâ *Delatio*, altera *Elatio*, poftrema *Relatio* defcribatur. Quibus expofitis fubjiciemus elucidationem characterum, quibus Sancta Crux infcripta eft.



I. DE-

I.

DELATIO CRUCIS ET SANGUINIS DOMINI IN AUGIAM.

QUo tempore Leo III. Adriano I. in ſummo ſucceſſerat pontificatû, graves eóſque atroces perpeſſus eſt adverſarios; quorum ſacrilego furore linguâ atque utroque lumine deteſtandum in modum privatus fuit. *Romani,* inquit Eginhardus in vitâ Caroli, *Leonem multis affectum injuriis, erutis videlicet oculis, linguâque amputata fidem Regis implorare compulerunt.* Igitur Carolus, ut ſeverè in nefarios animadverteret, Romam iter inſtituit, ubi anno 800. Imperator à Leone coronatus fuit. Iiſdem ferè temporibus, anno 799. Azan Jeroſolymorum urbis præfectus ex Oriente in Occidentem trajecerat, ut Carolum famâ rebúſque præclarè geſtis, toto orbe celeberrimum non videret modò, ſed per obſequium etiam ſalutaret, ac veneraretur. Jàmque in Corſicam delatus fuerat, cùm morbo correptus graviter ægrotare cœpit. Acceſſit animi ægritudo, quod cùm tantum maris ac terræ emenſus fuiſſet, ſacra tamen munera, quibus Carolum cumulare geſtiebat, præſens ac coràm eidem ipſe offerre non poſſet.

Hæc donaria erant ampulla una ex lapide onychino, ſanguine Chriſti Domini plena; item crucicula ex auro & gemmis fabrefacta, cruorem itidem Chriſti continens in quatuor partibus incluſum, & in medio portiunculam ligni Dominici; adhæc ſpinea corona, quâ Chriſti Sacroſanctum caput redimitum fuit; denique unus è clavis, quibus in Cruce confixus eſt, & de ejus ſepulchro.

Ut primùm verò Carolus de Azanis morbo edoctus fuit, legatos ad eum mittere conſtituit, qui, priusquàm quid ei humanitùs contingeret, pretioſa reciperent munera. Erant in comitatû Caroli præcipui quique Germaniæ Præſules ac

 Pro-

Proceres. Eminuerunt inter hos Waldo & Hunfridus. Prior Augiæ Divitis Abbas ordine VIII. vir erat eximiâ pietate, doctrinâ, ac prudentia Carolo carissimus, & ab intimis non modò consiliis, sed sacris etiam confessionibus; qui postquàm Ticinensem & Basileensem administraverat episcopatus, his honoribus valere jussis, Parisios secessit, ubi regularem disciplinam in Regio S. Dionysii Monasterio ferè collapsam restituit, atque animam de Ecclesia & familia Benedictina optimè meritam an. 814. d. 29. Martii Deo tradidit. Hunfridus totius Istriæ Præfectus erat, vir militaris, manû promptus, fortis juxtà ac pius; quam eximiam suam erga Deum pietatem Schinensis in Rhætia Curiensi Parthenonis constructione abundè testatus est. Utrique, Waldoni & Hunfrido Carolus in mandatis dedit, ut conscensâ navi vela in Corsicam facerent. Nec mora: solvunt è portû, mari se committunt, ac secundis ventis Corsicam tenent. In litus expositi ad Azanem adeunt, verbis sui Regis humanissimè salutant: legationis capita exponunt: literas ac munera proferunt, quibus Carolus eundem volebat donatum. Nihil jucundius, nihil acceptius Azani accidere potuisset: quocirca Legatos & ipse summâ complectitur benevolentia, exoptatum felicémque gratulatur adventum: deinde oblatâ dextrâ humanissimè salvos esse jubet. Post aliquot dies, qui viribus instaurandis dati fuerunt, sacra profert munera, eorum copiam legatis facit, atque ut ad Regem suum deferant, etiam atque etiam rogat. Sic iisdem amicitiæ ac benevolentiæ signis utrinque discessum, quibus ventum est. Legati ad Carolum regressi prolatis divinis Reliquiis incredibili ipsum lætitiâ affecerunt.

Hunc verò in modum legatio gnaviter gesta, utrique Waldoni & Hunfrido animos addidit, ut quod quisque in optatis habebat, à Carolo expetere auderet. Et Waldo quidem ut Monasterii sui Augiensis privilegia augeret, novum à Carolo

rolo petiit, nec difficulter impetravit. In Hunfrido vel major audacia, vel regii favoris fiducia erat: à Carolo namque prædictam cruciculam sanguine Christi refertam petere est ausus; quam ille tamen arctiùs complexus est, quàm ut facilè è manibus amitteret. Instaurandæ igitur supplici preces fuerunt. Ægrè tandem obtentam in Parthenone, quem Schenis in Rhætiâ Curiensi construxisse paulò ante diximus, magnâ pietate ac devotione deposuit.

Hunfrido rebus humanis exempto Adalbertus ejus filius in primis ferè curis habuit, ut hanc cruciculam hæreditario jure repeteret. Hujus per omnem Rhætiam celebre erat nomen, ut qui à Langaro fluvio usque Brigantiam & Lindaviam rerum potiretur. Is ipse fuit, quem Lindaviensis Partheno conditorem suum veneratur. Nocuit viro nobilissimæ tametsi prosapiæ magna hæc potentia. Ruodpertus enim, Ludovici Augusti vasallus, vires Adalberti credulo nimium Cæsari suspectas reddidit: quâ re effecit, ut Adalberto amoto ipse rerum summæ in Rhætia præficeretur. Pulsus è provinciâ Adalbertus ad fratrem suum Burchardum, Histriæ comitem profugit. Hujus auxiliis ac copiis subnixus æmulo ac criminatori bellum movit. Ubi in Rhætia propè Ciceronis pagum (Cicers vulgò vocant) infestis armis concursum est, post acrem pugnam debellatum fuit. Ruodpertus acie inferior occubuit, cujus exanime corpus Adalbertus, vir militaris, insolitâ pietate in Lindaviensi suo Cœnobio terræ honorificè mandari curavit. Hoste è medio sublato, ipse vitam ad annum circiter 846. produxit, quo diem obiit supremum.

Filius Odalricus seu Udalricus, paternarum opum hæres, prædictam cruciculam non minore habuit in veneratione, quam lineæ ultimæ admotus, non filio, quem nullum habebat, sed Emmæ vel Hemmæ, quæ unica ipsi filia erat, testamento reliquit. Hæc Arnoldo Comiti de Lenzburg in matrimonio fuit collocata, cui filium genuit, quem ex avi no-

 mine

mine Udalricum nuncupavit. Ab obitû parentum Udalricus filius & hæres nuptias meditari cœpit. In oculis ferebat Nympham uti generis prosapia ita formæ præstantia nulli secundam; cujus parentes erant Waltharius & Suanahilda Comites de Kyburg, aut, ut alii volunt, Nobiles de Klingen, eximiæ pietatis conjuges. Cum his ita Comes Udalricus transegit, ut filiam sibi domum ducere liceret, ipsi verò ejus loco sacrum thesaurum dono haberent. Hunc illi tutiori in loco, id est, in arcis suæ sacello (Zurzacha nomen arci fuisse prodit Mabillonius rectè an perperam?) non indiligenter asservari curârunt.

Hæc dum geruntur, adest Hannibal ante portam seu Burchardus Alemanniæ Dux, odio Waltharii dudum captus, arcémque summa expugnare vi adoritur. Jámque propè aberat, ut arx dederetur, cùm Suanahilda Waltharii pientissima conjux prehensâ sacrâ cruciculâ, obviam progressa hostes per amorem Crucis & Sanguinis Domini obtestata est, ut ab armis inferendis cessarent. At surdis dicta profudit. Illis igitur in arce expugnanda persistentibus, unus ex eis lapide percussus, è muro in fossam dejectus, atque propè enectus fuit. Quô ictû ac casû cæteri animo ita perculsi fuerunt (quod miraculi loco esse poterat) ut ad unum omnes præcipiti fugæ se mandarint.

Solutâ obsidione ut pia fæmina debitas Deo grates referret, ad Augiense se contulit Monasterium. Numine verò impellente factum est, ut ejus clericus, ipsa nesciente, hanc cruciculam secum ferret. Cujus rei ut certior facta est, æquo eam animo non accepit. Ubi verò in Augiam pervenit, etsi omni humanitatis genere à viris Religiosis, præcipuè à Germano suo Odalrico seu Udalrico, Monacho & Portario Augiensi excepta fuisset, ipsa tamen divinum thesaurum suum identidem animo versabat. Hunc, ne debitus ei honos non accideret, candidos inter cereos, qui eidem allucerent, decenter


center collocavit. Mirari ac ſciſcitari Cœnobitæ, quid hoc rei eſſet? Ipſa, ut aliquid reſponderet, verba facere, quibus tamen auditis, nihil comperti haberent. Quid? quòd rem ita ſecretam tenuit, ut nec in amiciſſimi hominis, fratris ſui Udalrici, aures deponere voluerit. Inſtare tamen Augienſes, urgere, incerta reſponſa non ferre. Ad extremum importunis ſubacta precibus arcanum edidit: quô intellectô vehementer illi rogabant, ut tanti theſauri pro majore ipſius cultu in ædem ſacram transferendi poteſtatem faceret. Votis ægrè licèt potiti divinum pignus in Eccleſiam deportant, hymnis ac canticis, inſtructo pſallentium choro, per totam noctem celebrant, ſummo autem mane in limpidam immittunt aquam, quò huic vim medendi ægrotis inderet. Et verò indita fuit. Quidam enim fratrum diuturno oppreſſus morbo ut primùm aquam libavit, ſanitatem hauſit. Quæ res novas retinendæ S. Crucis faces Monachorum animis ſubjecit. Preces igitur inſtaurant, aliáque argumenta ſuper alia accumulant, quibus Suanahildæ perſuadeant, ut voti ipſos compores faciat. Nihil agunt. Ad ſuas igitur partes Tougolfum adjungunt. Erat is Waltharii & Suanahildæ vaſſallus & miniſter, in quam omnia magni momenti negotia inclinare conſueverant. Is licèt Augienſibus ſtrenuè operam navaret, ejus tamen verba nullum hîc pondus habuere. Se nihil, dicebat Suanahilda, in præſens ſtatuere poſſe; rem ad maritum priùs referendam eſſe; abſque hujus voluntate ſibi haud integrum eſſe; ut poſtulatis acquieſcat; ſpem tamen interea facere, Augienſes à ſuo & mariti ſui obitu theſauri hujus hæredes fore. Pertinacior itaque erat, quàm ut de ſententiâ ſe dimoveri pateretur. Nec animo tamen pii Aſcetæ ceciderunt, fiduciâ in Deum pleni, cui hominum mentes ex arbitrio verſare facillimum eſſe non neſciebant. Quod brevì etiam factum eſt.

Poſt-

Poſtquàm enim Suanahilda ex Augienſi Monaſterio digreſſa fuerat, ut domum charo ſuo cum pignore reverteretur, Erchingam propè Aquas duras ſeu Zurzachium pagum pervenit. Hîc illa inopino morbo conflictari, lecto decumbere, ac vix non animam agere. Dum famuli, vernæ, ancillæ, & quidquid ſervitiorum in comitatû erat, ſortem Dominæ deplorant, haud ſecus, ac ſi publicum funus duceretur, Tougolfus ad lectum ſe applicans: Hera, inquit, hera! deſines ægrotare, ſi negare deſines, quod Fratres Augienſes te rogant. Ægrotationem hanc ob rejectas eorum preces tibi eveniſſe credas. Monito fidi miniſtri audiens fuit Suanahilda. Morbi impatiens nocte adhuc concubia jubet famulos ad Augiam veſtigia relegere, ac ſacram Crucem eò deferre. Bonum factum! vix juſſerat; cùm veniâ ſe à ſuperis donatam atque adversâ valetudine liberatam advertit. Extemplò igitur è lecto non jam ampliùs ægrum corpus evolvit, viæ ſe accingit, atque abeuntes nudatis pedibus ſubſequitur; ſed cùm teneræ plantæ conficiendo itineri non ſufficerent, ad penates regredi coacta fuit. Famuli, ubi feſtino pede in Augiam delati fuerunt, res noctû geſtas ſincera fide expoſuerunt. Læti ſupra fidem Monachi ſolemnem pompam inſtituunt, divino pignori diſcalceati obviàm procedunt, nec ſine maximo pietatis ſensû in Eccleſiam deportant. Quod Manuſcriptum Augienſe vetuſtiſſimum factum eſſe aſſerit 924. VII. Idus Novembris, à poſteris religiosè deinceps obſervato. Hermannus autem in Chronico editionis Caniſianæ annum 922. notat; cætera exemplaria in ſequentem rejiciunt, quibus etiam Reginonis appendix & Sigeberti Chronicon ſuffragantur.

Suanahilda remiſsâ in Augiam Cruciculâ iter ſuum Zurzachium, quò negotia illam vocabant, ſoſpes ac incolumis proſecuta eſt. Rebus hîc conſtitutis in Augiam reverſa denuò S. Crucem & Sanguinem Virgini Parenti Augienſis Eccleſiæ Patronæ propriis manibus dicavit. Paulò poſt adfuit etiam

AVe CrVX et SangVIs DoMInI nostrI IesV ChrIstI.



S. S. Crux et Sanguis D.N.I.C. ab A zan Carolo M. A.C. 799. miss. Hunfrido Rhatiæ Comiti, eiusq; Posteris dat.; per Suanahildā et Walthariū Comites Monasterio Augiæ Divitis O.S.B. A.C. 925. donat.; ibidē per añós plusquā 700. publice cult.; demum ablat., et 1737. 10. Xbr recuperat., ac 20. eiusdē Augiæ Diviti importatus.

etiam Waltharius Comes ac maritus, qui uxoris donationem confirmavit. Vitam exuit Suanahilda, ut fidem facit Necrologium Augiense die 28. Febr. de anno non liquet, sicut nec de obitû Waltharii. Documenta tamen Schennisiana & Fabariensia docent, hos lectissimos juxtà ac piissimos conjuges paulo post donationis confirmationem ad superos abiisse.

Cæterùm pro laboribus, quos in S.S. Cruce & Sanguine Domini Augiensi Ecclesiæ conciliandis Tougolfus suscepit, à cœlo non indonatus abiit. Filium decem ante annis è conjuge susceperat, sed pedibus captum. Eodem verò die, quô ejus suasu & consilio Suanahilda S. Crucem & Sanguinem in Augiam transmisit, pedes officium fecerunt. Hinc ut domum pervenit, puerum rectos facientem gressus offendit. Quod non dubium prodigium uti ejus animum singulari perfudit gaudio, ita Augienses Cœnobitas ejus participes facere constituit. Quocirca ut primùm per negotia licuit, in Insulam appulsus Crucifixo Sponso Sanguinum gratâ & devota mente beneficium tulit in acceptis.

De Suanahilda verò dicere liceat, quod in vita S. Radegundis Reginæ, quæ insignem S. Crucis particulam in urbem Pictaviensem intulit, gravi pronuntiatum sententiâ legimus: *Quis queat dicere quantum & quale donum huic urbi beata contulit? Unde quisquis ex fide vivit, ejus nomen benedicit.*

II.
ELATIO CRUCIS ET SANGUINIS DOMINI EX AUGIA.

WAlthario & Suanahildæ uti decus attulit immortale, Augiensem Ecclesiam tanto támque divino auxisse thesauro, ita non minimæ etiam laudi ipsis dandum est, quòd animum ad exaugendum ejusdem cultum adjecerint. Ut

jam lampades, jam cerei coram S.S. Cruce & Sanguine Domini arderent, nullis ſumptibus pepercerunt. Quæ pia eorum liberalitas, quoad inter vivos fuerunt, conſtanter tenuit. Filia, ut ſe in utriusque parentis, ceu eximiæ pietatis exempli, mores formaret, idem cum conjuge Udalrico feciſſe traditur. Ubi inter homines eſſe deſierunt, Alawico ejus nominis Imo ordine autem XXII. Augienſi Abbati in mentem venit, rectè ſe facturum, ſi Ottonem I. Imperatorem ad idem devotionis obſequium exhibendum deprecaretur. Nec repulſam paſſus eſt. Supplex enim Cæſari factus duo abſtulit inſignia Diplomata, quæ ad hæc uſque tempora in Augienſi Archivo aſſervantur integra cum ſigillis, quæque à viris rei Diplomaticæ peritis ut genuina agnoſcuntur, & per extenſum hîc ſubjiciuntur; in quorum contextû apprimè ponderanda verba in utroque Privilegio à nobis ſubducta. Otto ſiquidem Imperator Monaſterio Augienſi, ejúſque Abbati Alawico in primo Diplomate conferens Villam *Lüzelſtetten* ad *honorem S. Crucis*, in altero tribuens Eccleſiam in *Burg*, ſe ipſum clariùs explicat, quam Crucem intelligat, viz. *in quâ Sanguis Domini noſtri JEſu Chriſti continetur.*

DIPLOMA I.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.


„ Otto divina favente clementia Rex. Enimvero ſi Anteceſſorum noſtrorum, Regum videlicet, ſive Imperatorum quoque Monachorum cœnobiis conceſſa privilegia noſtræ auctoritatis tuitione roboramus, non ſolùm Regum morem in eo decenter implemus; verum etiam cum tranquillitatis ſecuritate viventium Fratrum orationibus plurimum adjuvari confidimus. Ideóque noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum in-

„ du-

„ duſtria: qualiter Henricus noſter dilectus frater, & Cuon-
„ radus Comes obtulerunt noſtris obtutibus quoddam præ-
„ ceptum anteceſſoris noſtri glorioſiſſimi Imperatoris Karoli,
„ in quo continebatur, qualiter ſupradictus Francorum Prin-
„ ceps Augienſi Monaſterio per auctoritatis munitionem con-
„ ceſſerat quandam villam proprietatis ſuæ conſtitutam ſub
„ jure fiſci vocabulo Bodamicus, quæ eſt ſita in pago Under-
„ ſeune, & appellatur Petinga cum omnibus terminis ad ſe
„ pertinentibus, videlicet domibus, cæteríſque ædificiis, ſyl-
„ vis, pratis, paſcuis, exitibus & reditibus, aquis, aquarum
„ decurſibus, mancipiis utriuſque ſexûs ætatis in eâ comma-
„ nentibus, atque ad eam jure pertinentibus. Inſuper etiam
„ tributa & ſervitia, quæ duo liberi homines Vincrammus
„ & Folcrat ad eundem fiſcum perſolvebant. Etiam & duas
„ hobas ſitas in villâ, quæ appellatur Adolfesbach, in qui-
„ bus Gozzo & Cunbrecht & Walabrecht cum filiis ſuis ma-
„ nere videbantur. Nec non & tributum, quod Ratbold
„ ad ſupradictum fiſcum perſolvebat, ab his locis Walawis,
„ Liutgaringa, & Rorinang nominantur, quæ quidem jam
„ dudum injuſtè à poteſtate ejuſdem Monaſterii abſtracta ſub
„ jure fiſci conſtituta fuerunt. Terras quoque ac poſſeſſiun-
„ culas, quas liberi homines particulariter de eodem fiſco
„ pro ſepulturis ſuis, & cauſa eleemoſynæ ad idem Mona-
„ ſterium contulerant, vel vendiderant in villis Ecoltinga,
„ Thingoltesdorff, Walawiſus & Namcingus vel in aliis ad
„ eundem fiſcum pertinentibus eſſe noſcuntur. Perfirmatí-
„ que ſtudio poſtulaverunt Nos Heinricus frater noſter, &
„ Cuonradus Comes ut paternum morem ſequentes hujuſ-
„ cemodi auctoritatis noſtræ beneficium eidem concedere-
„ mus, vel confirmaremus Monaſterio. Nos verò petitionem
„ eorum implere cupientes, anteceſſoris noſtri præceptum
„ firmiſſima largitate roboramus, atque omnino ſuperiùs com-
„ prehenſa pro emolumento animæ noſtræ ad idem Monaſte-

„ rium pro remedio animæ noſtræ, vel etiam dilectiſſimi ge-
„ nitoris noſtri beatæ memoriæ Henrici Regis, quidquid in
„ villa Lucilenſtetti habere viſi ſumus, cum omnibus manci-
„ piis, appenditiis, cenſis, vineis & adjacentiis ſuis illuc le-
„ galiter aſpicientibus, ut perpetualiter permaneat *ad reſtau-*
„ *randa luminaria, quæ Alawicus præfati Monaſterii Abbas ad*
„ *honorem Sanctæ Crucis fieri decrevit.* Juſſimus quoque idem
„ hoc præſens præceptum conſcribi manû noſtrâ firmatum,
„ & annuli noſtri impreſſione robora um, ita ut deinceps no-
„ ſtris futuríſque temporibus firmiſſimâ ratione permaneat,
„ nullúſque in aliud vertere poteſtatem habeat.

„ Signum Domini
„ Ottonis invictiſſi-
„ mi Regis.



Brun Cancellarius
ad vicem Friderici
Archicapellani re-
cognovi

„ Data IIII. Kl. Decemb. Anno Dominicæ Incarnationis
„ DCCCCXLVII. regnante Ottone Sereniſſimo Rege Anno
„ XI. Actum Francofurti in Domino feliciter. Amen.




DIPLOMA II.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

„ Otto divina auxiliante clementia Rex. Noverit om-
„ nium fidelium noſtrorum præſentium, nec non & fu-
„ turorum ſagacitas. Qualiter nos quasdam res proprietatis
„ no-

„ nostræ à Luitolfo nostro dilecto Filio, ejusque nobilissima
„ conjuge Ita videlicet nomine traditas pro remedio ani-
„ mæ nostræ, vel etiam dilecti Ducis nostri beatæ memoriæ
„ Herimanni ad Ecclesiam, quæ est in Insula Sintliezes Ovua
„ in honore Beatæ Mariæ Dei genitricis constructam ubi ve-
„ nerabilis Abbas Alawicus præesse dinoscitur. Hoc nostræ
„ auctoritatis præcepto perpetualiter in proprium concessi-
„ mus id est, quidquid in villa Truchtolfinga habere vi-
„ debamur cum omnibus appenditiis & adjacentiis suis
„ juste legitiméque illuc pertinentibus. Ac tale etiam præ-
„ dium, quale in villa Drossinga habuimus, jam ad locum
„ Nidinga pertinens cum omnibus commoditatibus juste
„ illuc aspicientibus. *De cætero verò dedimus in elemosinam
„ nostram ad Sanctam Crucem in qua Sanguis Domini JESU
„ Christi continetur, Ecclesiam cum decimis in loco Burg dicto
„ constructam ad restauranda luminaria, quæ ante dictus Abbas
„ Alawicus in honore Domini & Salvatoris nostri de novo ere-
„ xit.* Jussimus quoque inde hoc præsens præceptum con-
„ scribi manu nostrâ sigillatum.

„ Signum Domini
„ Ottonis invictissi-
„ mi Regis.



Brun Cancellarius
ad vicem Friderici
Archicapellani re-
cognovi.

„ Data Kl. Jan. an. Dominicæ Incarnationis DCCCCXLVIIII.
„ regnante Serenissimo Ottone anno XIII. Actum Dalaheim
„ in Domino feliciter. Amen.

Ottone Magno hunc in modum pietatis exemplum erga SS. Crucem & Sanguinem Domini præeunte, ad illud Germania se facilè composuit. Præ cæteris ejus pressit vestigia *Carolus IV.* Augustissimus juxtà ac piissimus Imperator, qui ut

 divi-

divinum adoraret Sanguinem, venerabundus in Augiam venit. Priùs tamen ex insulâ haud digressus est, quàm exiguâ ejusdem sacratissimi cruoris particulâ ab *Eberhardo* id temporis Abbate donaretur. Compertum id habemus propriâ ipsius Cæsaris confessione, sive litteris, ad universos Regni Bohemiæ Status, Moguntiâ an. 1354. die 4. Januarii, sub aurea Bulla datis, & manû ipsius propriâ subscriptis; quæ sic habent: *Deinde in Monasterio majoris Augye, quod ab Augusta potentia nomen accepit, tales sumus Reliquias assecuti; videlicet mediam partem cujusdam Crucis concavæ, in cujus una planitie imago Beatissimæ Virginis, in modum Crucis invenitur extensa, super cujus capite apparet una manus, quasi de superioribus benedicens: in cujus concavo sanguis Domini nostri fuit reconditus, quam quidem Crucem Asam Urbis Hierosolymitanæ præfectus, Magno Imperatori Carolo, per manus Hubaldonis dicti loci Abbatis, & Humfridi Ducis Ystriæ, legitur transmisisse.* Cujus donationis fidem etiam adstruunt dicti *Eberhardi* Abbatis literæ testimoniales, quas vir dignitate, doctrina & eruditione summus *Thomas Joannes Pessina de Czechorod* S. Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Rmus Decanus ex ejusdem Archivo illustri suo operi *Phosphoro Septicorni* pag. 446. inseruit, ut sequitur:

Eberhardus Dei Gratiâ Abbas Monasterii Augiæ Majoris, immediatè Sedi Apostolicæ pertinentis, Ord. S. Ben. Const. Diœc. Universis præsentium inspectoribus, salutem in Domino, cum notitia subscriptorum. Noverint, quos nosse fuerit opportunum, quòd nos an. 1353. in Vigiliâ B. Mathæi Ap. & Ev. gloriosissimo ac Christianissimo D. nostro gratioso D. Carolo Romanorum & Bohemiæ Regi, ad Monasterium nostrum prædictum, in honore B. Mariæ Virginis dedicatum, venienti humiliter & devotè, & à nobis petenti, aliquas SS. Reliquias sibi dari, tradidimus, & assignavimus mediam partem unius Crucis parvæ D. nostri JESU Christi Sanguinem continentem, quàm quidem Crucem Asan præfectus

fectus Jerosolymitanus, cupiens visitare Carolum M. Rom. Regem, secum cum aliis SS. Reliquiis detulit, ipsas Regi sub doni specie donaturus, sed itinere à suo proposito per ægritudinem destitutus, Waldoni Abbati Monasterii prædicti & Himfrido Hystriæ Præfecto, Ambassatoribus seu Legatis à Rege ad Asan præfatum in Insulam Chorsycam missis, eas tradidit, Regi donandas. Ipso quoque Himfridus, tandem senex & bene emeritus ipsam Crucem tanquam suorum præmium meritorum, suppliciter precibus à Rege petiit sibi dari, qui tradidit, licèt invitus. Ipsa itaque Crux cum sanguine D. nostri JEsu Christi, per successionem hereditariam, post multum temporis, devoluta fuit in manus cujusdam mulieris de genere Himfridi, quæ mulier nostro Monasterio eam detulit; sicut in libris authenticis nostri Monasterii clarè patet. Et in testimonium evidentium præmissiorum sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in Augia Majori anno & die, quibus supra, Indictione VI.

Tantorum Imperatorum Ottonis & Caroli exemplum ut de aliis nihil dicam, magno fuit incitamento, ut perpetuæ in Augiam peregrinationes ab omnium ordinum hominibus susceptæ, votáque cùm nuncupata tum soluta fuerint. Nec frequentia defuerunt miracula, uti fidem faciunt documenta Schenisiana, quæ ad posteros tamen literis consignata vel injuriâ temporum, vel incuriâ scriptorum non æquè pervenerunt. An verò temporis lapsu, ut sunt humana, aliquid devotioni decesserit, cùm mihi non constet, dicere nolim. Hoc compertum habeo, quòd S. Crux sedem stabilem in Augiensi Ecclesiâ septem vel octo potiùs sæculorum spatio fixerit, usque ad tempora scilicet *Joannis Egonii*, qui vir egregius Augiæ Prior extitit circa annum 1640. & humana absolvit anno 1643. cùm priùs historiam primæ Delationis S. Crucis & Sanguinis Domini in Augiam à Monacho Augiensi anonymo Latinè scriptam in patrium sermonem convertisset, ad cujus calcem hæc habet: *Welches* (scilicet Sanguis Domini) *allhier aufbehalten ist.* Sub

Sub hæc tempora cùm universa Germania tricennali adhuc fumaret bello, nec Augia ab igne & ferro Suecico immunis fuit. Ædes octodecim exustæ, aliæ direptæ, Monasterium expilatum, vasa sacra ablata, duo Religiosi in vincula conjecti, cæteris, ut hostium arma & incendia per Insulam circumferentium manus evaderent, quâ data porta, fugâ se proripientibus. Quid hæreticos milites, inimicos Crucis Christi, auri verò sacrâ fame gravissimè laborantes non facturos fuisse existimas, si sors iniqua sacram Crucem auro inclusam rapacibus earum manibus obtulisset? Sed major Augiensium cautela erat, quàm ut, quod pro maximo thesauro non immeritò habebant, eripi sibi paterentur. Cura & studio unius Religiosorum sacra Crucicula Sanguine Dominico referta tempestivè subducta & abducta fuit. Viro Oeningâ oriundo nomen erat *Mauro Speth*. Is aliis aliò diffugientibus, in Brisgojam delatus est ad *Guntherinam-Vallem* seu *Vallem Guntheri* Germanicè *Güntherstbal*, quæ est nobilis Partheno sacræ Familiæ Cisterciensis, de quo Martinus Crusius in Annalibus Sueviæ lib. 1. pag. 3. ad an. 1224. hæc memoriæ prodit: *Erat jam hoc tempore Cœnobium nobilium fœminarum Cisterciense, Guntherina Vallis, amœnissima in valle situm prope Friburgum Brisgojæ, sub visitatione Tennebachensi in Episcopatû Constantiensi, cujus altare majus ad honorem gloriosæ Virginis Mariæ, atriúmque cœmiteris, Constantiensis Episcopus Conradus consecravit, cùm locum à jurisdictione matricis Ecclesiæ (Henrico plebano Mershusensis Ecclesiæ, ad quem locus attinebat, præsente & consentiente) penitus eximendo hoc MCCXXIV. anno. Benefactores hujus Parthenonis fuere Comites illustres de Friburg & nobiles viri à Keppenbach, itémque nobiles de Blumeneck & Klingenberg, aliique quorum ibi plurima & præclara sunt mausolea.* Huc igitur, ut dicebam, R. P. Maurus Speth cum sacra Cruciculâ delatus, ac hospitio benignè exceptus fuit. Restitutâ Germaniæ pace Augiam respicere, & convasare poterat:


terat: id quod tamen ab ipso factum non est. In causâ fuit, seu quòd res Augiensis Monasterii admodùm accisæ adhuc essent, seu quòd nobili Parthenoni à sacris confessionibus esse cœperit. Per illud namque tempus, quô hospes erat, virtus, doctrina, ac prudentia eum Abbatissæ ita commendârunt, ut conscientiæ tum suæ, tum Vestalium suarum arbitrum legerit. Morte nec opinâ extinctus est vir præclarus juxtà Necrologium Augiense die 6. Octobris anno 1661. in Guntherina-Valle terræ mandatus. Excessit verò priùs è vita, quàm cuiquam mortalium sacri thesauri secum allati indicium fecerit, illum, ut animo sors destinaverat, ipse in Augiam relaturus. Sed plerumque fit, ut præclarè cogitata fatis intercipiantur.

Non perinde tamen memoria sacræ Crucis & Sanguinis Domini, præcipui Augiæ thesauri, cum P. Mauro tumulo illata fuit. Vigebat illa, & mentes Augiensium sui recuperandi desiderio identidem stimulabat. Maximæ molestiæ erat, quòd, quis quò illum abstulerit, ad unum planè omnes ignorarent. Majorem tamen ejus rei notitiam habere visus est vir clarissimus, ac omni eruditionis genere prædirus, P. Eusebius Manz, qui in Salisburgensi Universitate ab anno 1664. usque 1677. magnâ cum laude Mathematicas tradidit disciplinas, subinde verò in Austria Vindobonæ apud PP. Benedictinos vulgò Scotos vitâ functus est. Ad hunc, cùm Mathesin Salisburgi adhuc doceret, à Superioribus missus est Religiosus Frater *Romanus Jost*, id temporis Theologiæ auditor in Academia Dilingana, ut si quid certi posset ex viro expiscaretur. Nihil tamen aliud ex P. Eusebio audivit, quàm se non penitus ex vano suspicari sacram Cruciculam cum Sanguine Domini à P. Mauro Speth in Brisgojam ad Guntherinam Vallem delatam fuisse. Quod cùm ad Superiores relatum fuisset, nihil illi meram ob suspicionem movendum censuerunt. Romanus tamen Jostius, cùm sacerdotio subinde initiatus

tiatus Priorem agere jussus esset, Patris Eusebii suspicionem ex memoriâ suâ deleri adeo passus non est, ut ejus mentionem apud suos deditâ operâ non parùm sæpe injecerit. Profuit hoc fecisse. Sic enim viro maximè Reverendo P. Wolfgango Wetter, qui post eum per 27. annos Prioratum non sine insignis prudentiæ atque industriæ laude administravit, stimuli ad rei veritatem explorandam admoti fuerunt. Amicissimus huic erat, atque adeò sanguine conjunctus A. R. P. *Eugenius Speth* Rmi DD. Abbatis Salemitani ac Ordinis Cisterciensis per Germaniam Superiorem Visitatoris Generalis Secretarius, vir doctus, prudens, atque in negotiis gerendis exercitatus. Venit in mentem Priori Wolfgango, hujus sui cognati & amici operâ uti. Edocet igitur illum de amisso thesauro, rogátque, ut datâ perlustrandi Parthenonis occasione investiget, num eò loci reconditus asservetur. Præstitit non gravitè vir eximius, quod rogatus fuerat: nihil tamen aliud, datis literis, renuntiare ei licuit, quàm quod in prædicto nobili Parthenone Reliquiarium, ut vocant, repererit, quod pendulam habeat lampadem, quæ jugiter ardeat; summæ illud Monialibus esse venerationi, præsertim junioribus, quæ frequentes coram eo, ceu arâ Ignoti Dei in preces incumbant, cùm nulli tamen perspectum sit, quid in eôdem contineatur, aut quo potissimùm tempore, vel à quô illuc sit deportatum. Hæc ferè & nihil aliud R. P. Eugenius, quæ tamen Wolfgango Priori haud satis magnum pondus ad thesaurum reposcendum habere visa fuerunt. Et sic etiam hic Prior, re infectâ, ad plures abiit die 29. Decemb. an. 1716.

III.


Gloria Augiæ in Sanguine Agni.
Prin Rvdo Rlmo ac Clarmo D P Mauro Hummel Princip. Mnry Aug. Div.
O.S B Priori Digno
ReCVperatorI pretIosI sangVInIs IesV XtI In strenaM obLata
à DeVotIs fILIIs
Conventus Augiensis.

III.
RELATIO CRUCIS ET SANGUINIS DOMINI IN AUGIAM.

DEmortuo Wolfgango Priori in officio Prioratûs anno sequenti die 22. Maji subrogatus fuit V. C. *Maurus Humelius*, cujus laboribus, quos plurimos magno Monasterii bono per annos ferè viginti subiverat, ut divina Providentia illustre solatium rependeret, eum ad rem magnam, id est, ad sanctum hoc negotium seriò inchoandum, constanter prosequendum, ac feliciter perficiendum destinavit. Nempe ut cùm à *Mauro* S. Crux & Sanguis Domini abducti ex Augiâ fuissent, per *Maurum* in Augiam postliminiò reducerentur. Sic etiamnum hodie *Ludit in humanis divina potentia rebus.*

Peccare in muneris sui leges vir prudens sibi videbatur, si quod præcipuum in sacris cimeliis Augia per multas annorum centurias magnâ nominis sui celebritate, nec minore patriæ bono possederat, ejus recuperandi, manibus in sinum insertis, nullam ipse haberet rationem. Hâc curâ diu animum coquente, consilium denique sumit ad Guntherinam Vallem proficiscendi, ut intentis oculis præsens ea arbitretur, quæ ex aliorum sermone absens auribus acceperat. Eò ut bonis avibus pervenit, hospitale tectum subiit, honorificè & exceptus & habitus. Ad Monasterii clavum tunc sedebat, & hodiedum sedet Rma DD. Francisca Cajetana è nobilissimâ Familiâ de Zurthanen. Inito cum hâc colloquio quæsivit, an non ante annum circiter octogesimum Religiosus quidam Augiensis hîc loci munus Confessarii obierit? Illicò domesticum Necrologium in medium fuit allatum, quod hæc verba legenda exhibuit pag. 278. *Tertio Nonas Octobris*, sive 5to Octobris *F. Maurus Speth Priester in der Reichenau, und Beicht-Vatter allhier.*

Admiſſus ſubinde in Chorum P. Prior caput explorabundus circumfert, avidis oculis aram, imagines, parietes obit: omnia luſtrat, ſi quid reperire ſit, quæ à P. Eugenio Salemitano viſa audiverat. Nihil quidquam uſpiam. Nullibi quæſitiſſima Crux, nullibi divini ſanguinis reliquiæ conſpectui ſe offerebant. Quid moras igitur diutiùs ibi necteret, ubi quod unicè quærebat, necquidquam invenit? ſtetit proinde animo, quantocyùs eò redire, unde ventum erat, causâ adventûs minimè detectâ. Res DD. Abbatiſſam advertit, quæ jamjam ex choro abiturum affata: Videtur mihi, inquiebat, Paternitas ſua in chorum conſultò ſe contuliſſe, non tam ut ejus fabricam vel elegantiam conſpiciat, quàm ut neſcio quid aliud, cujus videndi deſiderio exæſtuat, oculis uſurpet. Ut cùm maximè, reſpondit P. Prior: Non chori conſpiciendi cauſa me domô huc loci excivit, ſed ratio itineris atque adventûs mei fuit hæc: Spe illectus eram reperiundi SS. Sanguinem & Crucem Chriſti abs prædicto Confeſſario P. Mauro Speth p. m. hîc depoſitum: at ſpe dejectus omnia, detracto ſenio, immutata & innovata video. Hoc eſt, quod me ſollicitat, quod angit, quod quieſcere non ſinit. Adempta eſt ſacra voluptas, quam incredibilem ex eorum conſpectu capturus eram. Tum illa: Bono animo ſit Paternitas ſua; nondum præciſa eſt ſpes omnis videndi. Vix quadriennium abiit, quô talis nobis incognitus ſacer theſaurus eſt detectus; anno namque 1732. cupiditate noſcendi animum ſubeunte, cuinam rei ſacræ cultum adhibeamus, R. P. Franciſcum Antonium p. t. Guardianum Capucinorum Friburgi rogavi, ut ſacrum aperiat Reliquiarium: quod cùm ille facit, ecce! conſpiciendam ſe præbet ſacra Crux Sanguine Dominico referta cum hâc epigraphe: *De Sanguine Chriſti.* Et: *De S. Cruce.* Item alia ſchedula antiquiſſimo charactere inſcripta: *de ligno S. Crucis. E Sanguine Dñi ñri IHU X.* Quibus ita dictis, utrumque divinum oſtendit pignus; ad cujus aſpectum ani-

animus P. Priori exilire, ſacro geſtire gaudio, nec quidquam ipſi gratius aut acceptius unquam uſpiam fuiſſe. Unde gratiis humaniſſimè actis ingenti animi ſolatio, ac lætitiâ delibutus in Augiam ſe retulit, atque convocatô cætû ſuô Religiosô plauſum ingeminans *Invenimus* exclamavit.

Mirificè verò ac perquàm commodùm accidit, ut ipſa DD. Abbatiſſa ex thermis Fabarienſibus redux anno 1737. in Augiam ſuperveniret. Datâ & viciſſim accepta ſalute, dum ſermones ultro citróque feruntur, P. Prior, injectâ ſacri theſauri mentione, Reverendiſſimæ hoſpitis animum periclitari cœpit, num ad depoſitum Augiæ reſtituendum facilem habere poſſet. Hunc in finem ex vetere hiſtoriâ de Cruce & Sanguine Chriſti ab Anonymo Augienſi multis ante ſæculis conſcripta, ſuperiore verò ſæculo à Joanne Egonio Germanicè verſa quædam Capitula eidem prælegi juſſit: quibus illa auditis, res, inquit, manibus tenetur; non lac lacti, non ovum ovo ſimilius eſt, quàm Crux hîc deſcripta Cruci apud nos aſſervatæ: ſed arctiori amplexû hunc theſaurum conſtringimus, quàm ut univerſum è brachiis evelli noſtris patiamur. Reſtituetur, ſed non integer ac totus.

Digreſsâ è Monaſterio Augienſi Abbatiſsâ curarum omnium apud P. Priorem caput fuit, ut pulcherrimam rei bene gerendæ occaſionem elabi minimè pateretur. Sed cùm pro ſuâ prudentiâ animo provideret, ſaxa ſibi objicienda, quæ, quò minùs in cœpto negotio pergere poſſet, impedimento futura eſſent, ad ea amolienda majores adhibendas vires eſſe cenſuit. Convenitur igitur Celſiſſimus S. R. I. Princeps & DD. Joannes Franciſcus L. B. Schenk de Stauffenberg, Epiſcopus Conſtantienſis & Auguſtanus, Princeps & Abbas Augienſis; rei totius hucuſque geſtæ ſeriem edocetur, atque ad ſuppetias pro aſſerendo Augiæ ſacro theſauro ferendas, eâ, quâ par eſt, reverentiâ rogatur. Is pronis auribus preces accepit, lectáque ſemel atque iterum, à capite uſque ad calcem, hi-

ſtoria de Cruce & Sanguine Domini, in ſacrum diffuſus gaudium, opem omnem addixit. Mox habito cum ſuis conſilio tres epiſtolas (*Creditivas* vocant) exarari juſſit. *Prima* ſcripta erat ad D. Commiſſarium Epiſcopalem, *Joannem Jacobum Vicarium*, Friburgenſis Eccleſiæ Rectorem, & Capituli ejuſdem Decanum, nec non Controverſiarum Fidei in celebri illa Univerſitate Profeſſorem; cui negotium datum, ut ſi P. Prior in vado hæreret, conſilio & auxilio adeſſet laboranti. *Altera* ad Rm̃am DD. Abbatiſſam Nobilis Parthenonis in Valle Guntherina, quâ officioſis æquè ac ſeriis verbis ſacrum Depoſitum repoſcebatur. *Tertia* ad Rm̃um DD. Leopoldum celeberrimi Monaſterii *Portæ Cœli*, vulgò *Thennenbach* S. Ord. Ciſterc. Abbatem, ejuſdémque Parthenonis Viſitatorem, quâ cùm veritas rei inveſtiganda, tum voluntas Abbatiſſæ ad extradendum ſacrum pignus excitanda proponebatur. Hæ literæ datæ erant in arce Hegnenſi die 28. Novemb. an. 1737. quibus ritè inſtructus P. Prior, aſcito itineris ſocio R. P. Joanne Paulo Merlet, ſecundo Decembris ejuſdem anni auſpicatum in Briſgojam iter ingreſſus eſt, abſque divino theſauro pedem non relaturus.

Quarto poſt die in Guntherinam Vallem perveniens prius nihil habuit, quàm ut literas *Creditivas* DD. Abbatiſſæ conſignaret: quibus illa apertis lectiſque ſacrum inter & ſaxum ſtare, nec negare, nec dare, quod petebatur, auſa; modò igitur annuere, modò abnuere, nunc de ſacratiſſimo Sanguine dividendo, nunc de toto retinendo, jam de Cruciculâ ſervandâ, jam partiendâ non ſatis commodè reſpondere; ad extremum, cùm urgeretur, dicere, ſemper præcipuam ſibi futuram epiſcopalium literarum auctoritatem, ſi per Monaſterii ſui exempti viſitatorem liceret. Ad hunc ipſum, repoſuit P. Prior, literas habeo perferendas, quibus perlectis minimè reclamaturum ſpero. Tum addidit. Etſi altefatus Princeps & Epiſcopus quidquam de ſummâ detrahi nolit, haud

haud ægrè tamen laturum se confidere, si particùla quædam SS. Sanguinis, non autem media, ut velit Abbatissa, pars nobili Parthenoni in mercedis vicem pro sedula depositi SS. Thesauri custodia relinquatur, at in Ligni Dominici divisionem se non consentire. Quæ cùm illa audisset, non ampliùs obnixa, contentam se fore dixit, si particulæ SS. Sanguinis gratia sibi fieret.

Altero die, cùm P. Prior ad Monasterium Tennenbachense contenderet, ut Episcopales perferret literas, addidit & suas Abbatissa, quibus à Visitatore petebat, ut potestatem sibi faceret, primùm extradendi SS. Sanguinis, particulâ ejusdem Parthenoni reservatâ, tum instaurandæ cum Augiensibus Religiosis sacræ confœderationis plurimis ante annis initæ, labentibus verò iisdem intermortuæ. Utrâque epistolâ perlectâ non continuò acquiescere velle visus est Rmus D. Visitator; sive quod tantum thesaurum ex Monasterio Sacræ Cisterciensis Familiæ, suæque Visitationi subjecto ad alios transferendum doleret, seu quod metueret ne parcus illius cultor fuisse nobilis Partheno videatur, si facilè è manibus illum amittat. Utrinque igitur rationibus acriter decertatum fuit. Postquàm verò P. Prior invictis argumentis demonstravit, injustum esse, ut unde Augiensi Monasterio maximum detrimentum creetur, inde Guntherina Vallis compendium faciat, Amplissimus Præsul à proposito dimotus Patri Priori primùm humanissimis verbis de recens invento thesauro, tum DD. Abbatissæ datis literis de particula SS. Sanguinis nunc bonâ fide ac jure suo retinenda gratulatus est: quemadmodum etiam post integram S. Crucis particulam Augiæ adjudicatam, boni propositam confœderationem consuluit, ac ratam habuit: hâc enim ratione, inquiebat, futurum est, ut Augienses Religiosi mei evadant fratres, cùm Guntherthalenses Vestales loco spiritualium sororum à me habeantur.

Secun-

Secundùm hæc P. Priori ex Thennenbacensi Monasterio ad Vallem Guntherinam reverso potissima cura fuit, ut negotio finis imponeretur. Sed cum eâ die Monialis quædam fatis concessisset, res in posterum diem differri debuit: ne tamen nihil non ageretur, puncta Confœderationis annotata, utrique parti prælecta, ratihabita, & sequenti an. 1738. confectis desuper instrumentis confirmata sunt. Die igitur primùm decimâ Decembris divisioni SS. Sanguinis manus admotæ fuerunt Sacrum hoc opus rogatû utriusque partis conficiendum suscepit A. R. P. Franciscus Antonius p. t. Guardianus Friburgi, hodie verò dignissimus Provincialis Ordinis Capucinorum, supra jam laudatus. Sub hæc is ipse Divisionis instrumentum confecit; cui nomina sua subjecerunt sequentes atque actû præsentes: M. Francisca Cajetana Zurthanen Abbtissin zu Günthersthal. P. Maurus Hummelius Prior Monasterii Augiensis. P. Lambertus Schliess Exempt. Ord. Cisterc. Professus in Thennenbach, & p. t. Confessarius ibidem. P. Franciscus Antonius Constant. Capuc. Definitor, Custos, Guardianus Friburgi. P. Joannes Paulus Merlet O. S. B. Professus Augiensis, & p. t. Parochus in Schinen. D. Franciscus Antonius Maichelbeck Præsentiarius.

Ut ne verò, Benevole Lector, in errorem impliceris, monendus es circa figuram novi Repositorii, seu Ostensorii, quo SS. Sanguis & Crux D. N. J. C. includuntur. Quòd si oculis fors illam obis, atque divisionem factam audis, cave credas, omnem Dominici Sanguinis massam esse divisam. Cernis namque in *superiore parte* Repositorii particulam S. Crucis auro cinctam purissimo, quam integram P. Prior, ut paulo ante dictum, secum reportavit. *In medio* videnda est Crux ex auro arabico confecta, in qua potissima portio Sanguinis Christi continetur, cui etiam prædicta particula S. Crucis acclusa erat, fronte seu parte adversâ præferens figuram Christi è Cruce pendentis; ex parte autem aversa exhibet vetustis-

tuſtiſſimam inſcriptionem Græcam, de cujus ſphyngis evolutione paulò poſt verba facturi ſumus. In parte demum *inferiore* Repoſitorii iterum habentur Particulæ Sanguinis Domini, quæ olim è Cruce media non arctè concluſâ defluxerunt, quarúmque notæ panniculo ſerico rubro aſperſæ cernuntur. De hoc igitur inferiore Sanguine à panno ſerico in ſe hauſto, &, ſi ita loqui fas eſt, imbibito, Guntherthalenſis nobilis Partheno partem ferè tertiam, nec plura, dono accepit.

Confecto & ſigillis munito Diviſionis inſtrumento negotiorum reſtabat nihil, niſi domuitionem maturare. Hinc eodem die re divinâ peractâ, habitíſque, ut par erat, prolixis gratiis P. Prior cum ſocio ex Guntherinâ Valle diſceſſit. Ibat verò viam ſuam gaudens, atque è collô ſacra cimelia ferens ſuſpenſa, quæ pectori devotè appreſſa magno illud, ut facile quivis credat, animi ſolatio complebant. Priùs verò quàm in Augiam conceſſit, Celſiſſimo Principi & Abbati Augienſi, eâ, quâ decebat demiſsâ reverentia exhibuit intuenda. Delectatus ille majorem in modum eorum aſpectu, cùm Augienſi Conventui, tum toti patriæ de tanto theſauro gratulatus eſt, adjectis promiſſis, ſibi non poſtremæ curæ futurum, ut ſecunda translatio, & publica expoſitio SS. Reliquiarum non ſine ſolenni pompâ ſuo tempore inſtituenda decernatur. A Celſiſſimo Principe P. Prior digreſſus in Augiam appulit die 20. Decembris; quam Augienſes jure ac merito candido, niſi purpureo malint, ſignent lapillo. Felicem enimverò diem, quâ poſt liminiò

Sanguine divino Dives dotata fuiſti
Augia.

Et licèt publica pompa eâ die fuerit prætermiſſa, non omnis tamen abfuit ſolemnitas, certè quidem privata. Providente enim Numine factum eſt, ut eadem die Rmus quidam Infulatus Præſul in Augiam adveniret. Fuit is Ampliſſ. DD. Bene-

dictus, Imperialis Monasterii Ochsenhusani Abbas, qui per eos dies Electioni & Benedictioni Rm̃i DD. Alphonsi S. R. I. Abbatis Petrhusiani interfuerat. Rogatus verò à Venerabili Conventû sacratissimum Pignus è manibus P. Prioris pro Basilicæ foribus præstolantis suscepit, ad Aram summam magno pietatis sensû deportavit, atque communi omnium Religiosorum nomine ad exemplum illustrissimorum Conjugum Waltharii & Suanahildæ annis abhinc octingentis & pluribus idem facientium, Virgini Parenti Augiensis Ecclesiæ Patronæ præsentavit. Sub hæc ad referendas Deo grates P. Prior solennem Missam celebravit, quam Hymnus Ambrosianus in processione decantatus excepit.

Magna omnino laus & gloria V. C. *Mauri Hummelii* est, grave explicasse negotium, in quô evolvendô ejus Antecessores frustra operam contriverunt. Possem hîc virum eximium ab insigni prudentia, pietate, doctrina, rei œconomicæ peritia, atque cum primis singulari hospitalitatis studio laudibus effere, nisi majus ac perpetuum decus à Cruce & Sanguine Domini Augiensi Monasterio denuò assertis ei partum fuisset. Quô unicô factô nomen ac Prioratum suum immortalitati consecravit.

IV.
FESTIVA, QUA SS. CRUX ET SANGUIS DOMINI PUBLICÆ VENERATIONI EXPOSITI FUERUNT.

Fidem datam ut liberaret Celsissimus Princeps & Abbas Augiensis, Religiosum Conventum in adornanda Festiva, quâ SS. Crux & Sanguis Domini publicæ venerationi exponendi erant, summis viribus adjuvit. Romam re delatâ Clemens XII. P. M. condonationes omnium pænarum, quas plenarias

Habemus redemptionem per sanguinem ejus remis=
sionem peccatorum. Colof. 1.



S. S. Crux et Sanguis D. N. I. C. in Monasterio Divitis augiæ
O. S. B Ornatiori in pinacotheca 1738. 26. Maij publicæ vene=
rationi 2do expositus.

C.P.S.C.M. Klauber Cath. Sculp. et excud. A.V.

narias vocant indulgentias, verè pœnitentibus, & peccata confessis, atque sacrâ synaxi refectis largitus est. Ut primum Breve Apostolicum Româ in Augiam delatum fuit, illicò itum est in sententiam, non viciniam tantùm, sed totam, quàm latè patet, diœcesin Constantiensem de re futura edocere, atque invitare. Jussû igitur Reverendissimi Ordinarii literæ Episcopales typis impressæ quoquoversùm sparguntur, in quibus pro solemnitate celebranda Feria II. Pentecostes, quæ anno 1738. in diem Mensis Maji vigesimam sextam incidebat, constituta erat. Fortior adhuc Suada fuit Vox Sanguinis meliùs loquentis, invitantis, & fortiùs clamantis, quàm vox Abelis, quâ ad statam diem ingens hominum excita fuit multitudo. Viginti minimùm millia ad numerum fuerunt redacta. Conventus Augiensis interea curæ habere, ut SS. Cruci & Sanguini fortunæ suæ reduci, novum non à pretio tantùm, sed arte etiam atque elegantia conspiciendum fieret Repositorium seu pinacotheca. Pictori in mandatis datum, ut miracula veteris Historiæ, seu Translationis primæ in tabulis quatuor supra decem floridissimo penicillo adumbraret, quæ deinde ex utroque templi latere suspensæ oculos adventantis populi in se converterent, rem olim gestam edocerent, atque piâ noscendi cupiditate morarentur. Preces verò fundendas ut pii peregrinatores haberent, libellus patrio sermone conscriptus typis vulgatus est, in quo officia Litaniæ, aliæque orationes de Cruce & Sanguine Domini sanè quàm devotæ continentur. Denique nihil eorum, quæcunque ad devotionem seu excitandam seu nutriendam facere videbantur, prætermissum fuit.

Ut festivus dies (Maji 26.) in januis esse cœpit solemnitati à pridianis Vesperis, iisque solemni ritû decantatis initium datum est, affluente magnâ hominum multitudine, quibus animi noxas sacrâ exhomologesi expiantibus decem Confessarii aliunde asciti in alteram diem ad serum usque prandium

aures præbuerunt. Nocte appetente æs omne campanum per insulam (sunt numero viginti sex campanæ) consonuit: quò conticescente tormenta viginti duo cùm majora tum minora, tonare, boare, mugire, atque auspicatæ solemnitatis initia longè latéque denuntiare. Quæ tormentorum tonitrua sub crepusculum matutinum purpurante cœlum aurorâ instaurata fuerunt, ut circumjectas urbes, arces, & pagos in Augiam undique evocarent. Tum verò vidisses Rhenum bicornem, maréque Acronianum, quibus Insula circumdatur, innumeris consterni cymbis, carinis, navigiis. Non minimæ erat voluptati intueri *Veliferas naves Rhenóque lacúque natantes*, quæ ingentem populi advehebant frequentiam. Commune omnium, sacrum, piæque lætitiæ plenum celevma erat: CRUX ET SANGUIS D. N. I. C. Advenerunt verò ex parte, quà Rhenus insulam alluit, supplicatione indicta, cum suis RR. DD. Parochi in *Ermatingen*, *Homburg*, *Steckborn & Mammeren.* Ex *Oeningensi* Collegio & Parochia sex RR. DD. Canonici Regulares in Rochetis cum suis Parochianis appulerunt. Præpositura *Schina* misit parochiam suam cum filiali Ecclesiâ *Wangen*. *Emmenhofen* & *Horn* idem cum *Gayenhofen* & *Wyler* fecerunt. Quâ parte Lacus Bodamicus insulam cingit, advenerunt urbs Ratholdicella, Lipsanis suorum Tutelarium Synesii Theoponti, & Zenonis conspicua: *Büringen*, *Marckelfingen*, *Alenspach*, & ex S. Catharina eôdem loci. *Wolmatingen* cum SS. Lipsanis & *Almensdorff.* His se addiderunt ternæ Insulanenses Parochiæ, viz. prima *superioris Cellæ* ad S. Georgium cum Capite ejusdem Megalo-Martyris. Altera in Niderzell seu Cellâ inferiori: Tertia ad S. Joannem propè Monasterium. Quas Cruces secum ferebant, splendore suo non caruerunt, atque universim viginti & una numeratæ fuerunt. Non aliam officii & salutis adventantibus ferendæ majorem occasionem campanæ habuerunt, quibus ad salutandum vix satis virium erat, aut defatigatis quiescere licebat.

bat. Ad extremum ut Celsissimus Princeps & Abbas Augiensis maximum Festivæ ornamentum conciliaret, ex arce suâ Hegnen magnâ se mole cum universâ Aula in Insulam intulit. In comitatû erant præcipua Diœcesis Constantiensis lumina, Reverendissimi DD. Canonici Ecclesiæ Cathedralis ad unum omnes. Sequebantur DD. Regens & Subregens Seminarii Carolini Marispurgensis cum duodenis alumnis. Ubi in Ecclesiam ventum, aures datæ fuerunt R. P. *Romualdo Stockabensi* è sacrâ Capucinorum familiâ diserto Oratori, qui verba in rem præsentem de loco superiore, magno spiritûs ardore, nec minore sermonis facundia fecit. Concio postmodùm typis mandata omnium tulit plausum. Vix ea finita fuerat, cùm sacra pompa per Insulam duci cœpit, quæ in hunc ferè modum processit.

Tres genii cultû Romanô decorè induti baculis auro illitis anteibant, in quorum vestigia continuò juventus Augiensium Civium ibat. Agmini liberorum agmen parentum consertum erat. Præeuntes Insulanos exteri subsequebantur, nunc vexillis, nunc crucibus, nunc sanctis Reliquiis intermeantibus, quas dextra læváque militare præsidium stipabat. Psalmos Hymnos, ac Cantica Viri Religiosi decantabant. Pares in laudes buccinæ, cornua ac tympana versa fuerunt. Magnâ gravitate & authoritate Reverendissimum & Illustrissimum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis movebatur. Tum verò SSmum Thesaurum Crucis ac Sanguinis Christi deferebat Rmus DD. Franciscus Joannes Antonius de & in Sirgenstein Suffraganeus Constantiensis, veste splendidus pontificia sub Baldachino, à quatuor sacerdotibus gestato. Utrumque latus duo Assistentes ex Rmis DD. Canonicis Cathedralis Ecclesiæ claudebant. Mitram & Pedum duo Rurales DD. Decani manibus sustinebant. Alii ministri, servitiis Suffraganeo exhibendis destinati partim sequebantur: quibus se addiderant quatuor Genii, nempe Divinæ Providentiæ, Celsissimi

Principis Monaſterii Augienſis, & Parthenonis Günthertha-lenſis.

A Baldachino proximè inceſſit Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Epiſcopi Aula, ſplendido ornata cultû. Huic connexa erat aliorum virorum ac fœminarum illuſtrium copia bene magna. Succeſſit plebs promiſcua, ea multitudine, ut vix finem po-ſtremæ pompæ factura videretur. Nullus caput tegere, mul-ti calceos exuere, ut nudatis pedibus incederent, nemo pia ſuſpiria, aut proſilientes lacrymas in poteſtate habere. Al-tiſſimè hæc res ſpectatorum animos movit, qui & ipſi flere, gemitus ciere, pectora tundere. Quid plura? rediiſſe illa tempora videbantur, de quibus Dominus per Prophetam Za-chariam c. 12. v. 11. vaticinatus eſt: *Et effundam ſuper do-mum David, & ſuper habitatores Jeruſalem ſpiritum gratiæ & precum &c.*

Reducem è proceſſione SS. Sanguinem Celſiſſimus Prin-ceps pontificio amictû longè præfulgens è manibus Domini Suffraganei ſuſceptum Aræ ſub dio excitatæ impoſuit, ac thura eidem dedit. Tum in throno conſidens epiſcopali Dramati Muſico à quatuor mox dictis Geniis exhibito aures clementiſſimè dedit. Quo ad finem perducto Celſiſſimus Pon-tifex, ſub feſtivo Organi, tubarum, tympanorum, & cam-panarum applauſu in Eccleſiam ingreſſus, SS. Sanguinem per-petuis annis ſervandum eidem in fidem contradidit. Dum igitur quisque locum occupare annititur, dum oculis pre-tium humanæ redemptionis contingere poſſe in magna parte felicitatis ponit, & jam nec devotionis ſuæ, nec confertæ multitudinis ſatis patiens eſt, prævaſtæ Baſilicæ latera ac ſi-nus infuſâ primum, tum arctè condenſatâ omnis ſexus, & omnis ætatis, omníſque ordinis frequentiâ complentur. De-mulcet animum memoria piæ ac flagrantis importunitatis. Efferre pedem nullus intro ferre omnes, excludi nemo volebat, vel æquô etiam animo ferebat. Sub hæc Celſiſſimus & Re-

veren-

verendissimus Episcopus rei divinæ summâ magnificentia operatus est; quam etiam in supremâ ætate tantâ cygneæ vocis suavitate, facilitate ac spiritûs hilaritate decantavit, quantam per omne vitæ suæ tempus sibi non unquam obtigisse contestatus est. Sacro peracto ventum est ad Hymnum Ambrosianum, qui sub tormentorum fragore, ac campanarum compulsu à Phonascis jucundissimum in modum decantatus fuit. Post ea nihil supererat, quàm ut Celsissimus Pontifex populo ductâ Cruce bene precaretur; quod ubi fecit, in insulâ iterum tormenta fulminare, boare, detonare, quorum immenso fragori sæpiùs fistulæ æneæ interstrepebant, quas duæ cohortes tum è pedestri legione Circuli Suevici evocatæ, tum ex ditionis ac territorii civibus lectæ exploserunt.

Præter summum officium celebratæ sunt Missæ minimùm quadraginta à solis Presbyteris exteris & peregrinis, quem numerum Parochi & Vicarii utique aucturi fuissent, nisi plerosque domi in propria Ecclesia sacris operari oportuisset. Qui divino epulo accubuerunt, ter mille & plures fuerunt.

Die in occasum vergente sacræ Festivæ eô modô finis impositus est, quô eidem initium fuit datum.

Nec dies infra ejusdem Octavam suâ caruerunt solemnitate: siquidem 27. Maji seu feria III. Pentecostes coram SS. Sanguine in majori altari exposito summum decantavit Officium Rmus quidem DD. Canonicus Ecclesiarum Cathedralium Constantiensis & Augustanæ. Quô finitô Rmus DD. Suffraganeus Constantiensis rei divinæ primùm operatus est, tum sacrum Diaconatûs ordinem contulit, deinde Sacramentum Confirmationis administravit. Eâdem die Parochiæ Creuzlingensis & Bernreinensis elatis vexillis ac Crucibus huc peregrinatæ fuerunt. Die 30. & 31. Maji, seu feria VI. & Sabbatho Pentecostes Rmus DD. Prælatus Celeberrimi Collegii Creuzlingani in Augiam secundo Rheno vela faciens RR. DD. Canonicis suis in exemplum ardentis erga SS. Sanguinem devotionis ivit; unde pressis ejus vestigiis eâdem veneratio-

rationis causa tres supra decem advenerunt. Die secundâ Junii, quæ Festivæ erat octava, religio in Augiam duxit S. T. RR. DD. Præpositum & Parochum cum 5. aliis DD. Canonicis & 4. Capellanis Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Stephanum Constantiæ; deinde alterum ex DD. Consulibus, cum duodecim Senatoribus, & Parochianis aliis, iisque frequentissimis, ita ut ea die plus negotii in Augiâ, quàm Constantiæ habere viderentur. Post quos RR. DD. Parochus & Capellanus in Weiterdingen cum suis appulerunt. Porrò sacratissimi Sanguinis colendi studium subinde alias complures communitates, Insulæ vicinas, huc excivit, viz. ex *Lyggeringen*, *Ermatingen*, *Langenrein*, *Tettingen*, *Güttingen*, *Ittingen*, *Heidern*, *Petershausen*, *Almensdorff &c.* Imo remotorum quoque ac longè dissitorum animos non dissimilis pietas incessit, atque in Augiam attraxit; unde magna sacerdotum peregrè advenientium, atque sacris operantium frequentia, ingens vis pœnitentium, nec minor vota nuncupantium atque solventium multitudo. Et verò beneficam SS. Sanguinis erga supplices virtutem testatam faciunt beneficia insignia, favores, & gratiæ, ac vix non aperta miracula, quorum numerus ad septuaginta quatuor, dum hæc scribo, pertingit.

Anno 1739. magnifica Ara SS. Sanguini posita fuit, quæ primum oculorum ictum, simul ut in Ecclesiam pes infertur, in se convertit. Annuam secundæ Translationis festivitatem modò Feria II. post Dominicam SS. Trinitatis sibi affixam habet. Feriâ verò VI. cujusvis hebdomadæ memoriæ Passionis Dominicæ, sacræ Crucis, ac cultui Divini Sanguinis dicata est; quâ die in singulas ferè septimanas multa hominum millia ad venerationem eidem exhibendam hactenus convenerunt. Quid? quòd nulla propemodùm dies abeat, quâ non pii peregrinatores in Ecclesia Augiensi magno numero compareant. Quòd verò qui oculis non subjecere, vix animo concipere possunt, sunt pii gemitus, alta suspiria, calentes lacry-

pag. 112.

Virtus de illo exibat, et ſanabat omnes. Lucæ 6. v. 19.



S. S. Crux et ſanguis D. N. I. C. in Monasterio Divitis Au=
giæ O. S. B. Multorum ſupplicationib; et gratiis celeber.

C. P. S. C. M. Ios. et Ioa. Klauber Cath. Sc. et exc. Aug. V.

lacrymæ, pectorum tunſiones, animorum compunctiones, ſcelerum ac criminum deteſtationes, ad pientiorem vitam converſiones, atque in media mentis triſtitia divinæ conſolationis perceptiones, quoniam dulcis eſt Dominus omnibus diligentibus ſe. Rem ſanè demirandam, ſtupendam, atque omnium maximam, ita compungi, ita contriſtari ad pœnitentiam, ita ſubitò immutari, atque amore divino ſuccendi. Crederes prodigium illud inſtaurari, quod olim in monte Calvariæ geſtum Evangeliſta Lucas his verbis commemorat: *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.*

Tanta adhuc hodie virtus divini ſanguinis eſt, ut vel ſaxea, atque Marpeſiâ caute duriora hominum corda emolliat, compungat, atque ad pœnitentiam adducat. Qua de re SS. noſter Pater, ac Pontifex Maximus edoctus, noviſſimè, id eſt, anno proximè præterito, indulgentias plenarias omnibus & ſingulis conceſſit, qui ad prædictam Feriam II. poſt Dominicam SS. Trinitatis: item alia quâpiam die pro arbitratû eligenda, SS. Sanguinem in Augia devotè viſitaverint, & factâ confeſſione, ſumptáque ſacra communione pro extirpandâ hæreſi &c. aliquid oraverint.

Quæ cùm ita ſint, Tibi Chriſte Optime

Qui Crucem propter hominem
Suſcipere dignatus es,
Dediſti tuum ſanguinem
Noſtræ ſalutis pretium.

Tibi, inquam, ſit infinita laus, honor & gratiarum actio, quòd trophæum ſacræ Crucis, quâ duriſſimum jugum æternæ ſervitutis à cervicibus noſtris depuliſti, unà cum pretioſo ſanguine tuo, quô lavaſti nos à peccatis noſtris, in Augienſi Monaſterio, ceu tutiſſimâ arce & perfugio in omnibus noſtris animæ & corporis neceſſitatibus deponere dignatus fueris.


P Tu

Tu verò, non jam arcis auro & argento ſtipatis locuples, ſed ſacrâ Cruce ac Divino ſanguine Dives Augia effulge, ſuperbi, gloriare: complectere hunc ſacratiſſimum theſaurum, fruere illo quâ decet pietate ac devotione, atque ſinû tuô reconditum ad communem Orbis Chriſtiani, cumprimis Germaniæ, patriæ noſtræ, venerationem perpetuis annis ac temporibus conſerva.

V.
ELUCIDATIO INSCRIPTIONIS
S. CRUCIS.

SAcra Crux Augienſis, Sanguine Domini referta, ex parte anticâ imaginem Redemptoris in Crucem ſuffixi exhibet; à tergô characteribus Græcis inſcripta eſt. Hæc verò inſcriptio cùm explicatus habeat arduos atque dificiles,non Augienſibus tantùm Religioſis, ſed aliis etiam viris doctiſſimis Crucem hactenus fixit. Quid verò facit Davus, cùm in ſphynge laborat exponenda. Oedipum conſulit. Hoc etiam à ſe faciendum Augienſes Cœnobitæ exiſtimârunt. Ab Augiâ Divite Imperiale Monaſterium Petrhuſianum non ultra leucam Germanicam remotum eſt, intra urbis Conſtantienſis munimenta ſitum. In hoc Prioris ac SS. Theologiæ Profeſſoris munere magnâ cum laude functus eſt *Cl. P. Cæleſtinus Pfeiffer*, non Latinè modò, ſed Hebraicè etiam ac Græcè doctus. Huic igitur Inſcriptio evolvenda omnium primò fuit oblata. Supervenerunt deinde in Augiam duo Græci Archimandritæ, *Apendius Pangallus*, & *Ananias Zackus*, quibus pariter Inſcriptio legenda fuit propoſita. Horum explicatione non contenti Augienſes, ad alios viros eruditos literas dederunt, qui cùm in Gallia tum in Italia non medicorem in legendis antiquis Inſcriptionibus peritiæ ſuæ famam excitaverant: Montfau-

fauconios, Calmetos, Bricherios intellige. Ut verò duos priores omittam, quorum nomina toto orbe literario celeberrima qui nescit, nullius viri egregiè docti nomen scire videtur, est *Dominicus Bricherius Columbus* vir nobili loco in Liguriâ natus, *Joannis Bricherii Columbi*, Patritii & Oratoris Finariensis longè præstantissimi filius, qui operibus partim in lucem jam emissis, partim prælo paratis clarissima dedit indicia, quòd Jus Romanum non tantùm deliguriverit, ut Jacobus Cuiacius de multis suæ ætatis Jurisperitis dicere solitus erat, sed ejus fontes penitus imbiberit: ad præclaram verò utriusque juris scientiam, quam à patre edoctus est, omnis politioris literaturæ, antiquitatis, atque Inscriptionum cognitionem adjunxit. Quantum deinde doctrina & ingenio præstat, tantum etiam (quod ego summâ in laude pono) humanitate, facilitate, atque singulari de omnibus rei literariæ amantibus bene merendi studio excellit. Ad hunc igitur Virum Illustrem, hoc temporis Vindobonæ in Austriâ negotiorum causâ demorantem cùm Inscriptio operâ amici, quem V. C. Joannes Paulus Merlet Augiensis Asceta, p. t. Parochus Præposituræ Schinensis supra laudatus eâdem in urbe habebat, delata fuisset, in ea elucidanda operam ac studium collocavit.



DE GRÆCA AUGIENSIS SANCTÆ CRUCIS INSCRIPTIONE

Dominici Bricherii Columbi P. Finar.


Ad Authorem

Epiſtolaris Diſſertatio.



Uod jam dudum animo revolvebam, jam tibi palam teſtor *Magnoalde Clariſſime*, oportere unumquemque in veterum monumentorum explicatione ita verſari; ut ſciat quam minimum conjecturis eſſe tribuendum. Quare etſi *Cæleſtini Peifferi*, Sodalis tui Religioſiſſimi & Ornatiſſimi acumen, induſtriamque commendem; illi tamen non adhærebo in Augienſis Sanctæ Crucis pervetuſta inſcriptione: in qua, ex ſingulis ferme litteris, iiſque non raro pro lubitu compoſitis, integrum verbum expiſcatus, longam produxit ejuſdem orationem, quam maxime potuit rei traditioníque convenientiſſimam. ✠ Κύριε ελέησον, ΟΤ' Ημῶν Θεὸς ΕΙ. ΝΑΡθηκΙΟν Διὰ ςαυρȣ̃ Καὶ ΑΙματος Κυρίου ΑΓ, ΟΤΜΕΝΟν, Τοῦτ 'ΕCτι ΙΗCΟΤ ΤΟΤ CΩΤῆρος Ημῶν, Ρύςου Ημῶν. ✠ *Domine miſerere Rex, quia Deus noſter es. Narthecium per Crucem & Sanguinem Domini ſanctificatum, hoc eſt JEſu Salvatoris noſtri, Liberatoris noſtri.* Sæpe quidem in ſedula monumentorum inveſtigatione, ſubſidiis utimur conjecturarum; ſed nuſquam adeo, ut deſpectis certioribus quibusque argumentis, quæ cumprimis ex ipſa inſcriptionis lectione reſultant, vulgarem famam ſectemur, obſcuram licet, plerúmque vagam & incertam. Si litteris conſentiens traditio deprehenditur, tum demûm recte ex illa conjecturam aliquam capimus; ut autem litteras ipſas, ſenſibileſque verborum interpunctiones negligamus,

ad

pag. 116.



Das H.H. Bluet und Creutz Jesu Christi in dem Hochfürstl. Gottshauß Reichenau Ord. S. P. Benedicti.



Das H. Creutz, worinn das H.H. Bluet Jesu Christi enthalten ist in dem Hochfürstl. Gotts-hauß Reichenau, O. S. P. Benedicti.

ad inſcriptionem cum fama conciliandam, peſſimi plane exempli res eſt. Et revera quotus quiſque prima verba in inſcriptione diſtinctiſſime non legi contendet. ✝ ΚΕ, ΒΟΗΘΕΙ ΙΛΑΡΙΟ'. In iis comate diſtingui vides priores litteras κε, quæ ſiglæ ſunt unius ejuſdemque verbi, non confundendæ cum reliquis in lectione; ε gramma, quod prima fronte deeſſe videtur, nequidem omiſſum eſt, ſed η litteræ inſcribitur inverſum ob ſpatii anguſtiam. Igitur ſiglas ſi ſuppleamus, cum re ipſa tum primo & ultimo verbi elemento moniti quid illæ indicent, planiſſimum eſt oportere legi, κύριε ΒΟΗΘΕΙ ΙΛΑΡΙΩΙ. *Domine adjuva Hilarium.* Ita profecto ſenſimus omnes; niſi quod Auditor quondam tuus egregius, idemque Sodalis *P. Joannes Merlet*, exemplo *Peifferi*, cujus veſtigia in reliquis ſequitur, nec ipſo Crucis ſigno prætermiſſo, ex inde conjecerit legendum eſſe: ὦ ςαυρωθεὶς κύριε βοήθει ἱλαρίῳ. *Crucifixe Domine adjuva Hilarium*: ingenioſe, ſi mavis, pro noſtra conſuetudine; at vero non de more illorum temporum, quibus Crucis ſignum pio quodam uſu inſcriptionibus præponebatur; nihil tamen pertinebat ad orationis contextum; ut in ſexcentis lapidibus & numiſmatibus videre eſt, (*x x*) quæ longo agmine referrem, niſi res eſſet notiſſima. Majorem recipiunt difficultatem transverſæ & imæ partis characteres, qui difficillimis nexibus impliciti, tota debent cautione tractari. Vir celeberrimus & longe doctiſſimus, *P. Bernardus Montfaucon*, per veſtigia litterarum ubique procedens, ex iis hauſit iſtam lectionem, Δεσπότῃ ΚΑΙ ΚΑΘηΓΟΥΜΕΝΟ ΤΗ͂C ΜΟνῆς ΟΤΤ ΤΖΗΡΑΘΑ, vel ΟΤ ΤΖΗΡΗΘΑ, aut tandem ΤΟΤ ΤΖΗΡΗΘΑ. Domine opem fer Hilario, *deſpotæ (ſeu Magiſtro) & Præfecto Monaſterii Tzeretha. Apendius* vero *Pangallus*, Abbas Monaſterii S. Marinæ Martyris in Inſula

 Archi-

(*x x*) *Apud Ant. Auguſtin.* in Dialog. p. m. 19. & *Reines.* Inſcript. Claſſ. XX. paſſim, & alibi.

Archipelagi, & *Ananias Zachus* Archimandrita, quo tempore adventarunt in Augiam, IV. Cal. Octobr. MDCCXLI. legere voluerunt: Δεσπότῃ ΚΑΙ ΚΑΘΗΓΟΥΜΕΝΟ ΤΗ͂C ΜΟΝῆϹ ΟΥΤΩΝ ΤΑΞΕΟΝ. Domine salvum fac Hilarionem, *Dominum & sedentem Abbatem Monasterii & Ordinis*, nulla prorsus habita characterum observantia, & omnino arbitraria interpretatione. Splendido *despota* titulo decepti viri Græco-Barbari, nihil æque huic Hilario convenire arbitrati sunt, quam supremam in Monastica disciplina potestatem: cujusmodi fuit, qui illa utebatur apud Byzantios, Abbas Monasterii, *Dalmati* dicti, annotante Ducangio. (*yy*) Sed contraria prorsus opinione *Montfauconius* despotam, *magistrum* interpretatur: & Hilarium non Abbatem, sed *Præfectum* duntaxat Monasterii constituit; quanquam externus Sanctæ Crucis ornatus, celsioris dignitatis virum re ipsa designet. Tantas ego difficultates aliquando evitare credidi, & veriorem justioremque simul dare interpretationem, si transversæ partis littera Δ cum Τ & nexu, ut putabam Η conjuncta, legissem, ΔΤΗΣ ΕΝΟ ΤΗϹ τοῦ ΙΗϹΟΥ ΤΟΥ ϹΩΤΗΡος ΗμΩν; *Passionis tempore JEsu Salvatoris nostri;* quæ omnia in barbari ævi orthographia, characteres adamussim exprimere videbantur. Jam vero, re serius perpensa, cumprimis mihi non arridet ille *Carolus*, quem cum Hilario in voti partem vocabam, Κύρι ΒΟΗΘΕΙ ΙΛΑΡΙΟ ΚΑΙ ΚΑΡΟΛΟ. *Domine adjuva Hilarium & Carolum*; quia quidquid de illo dixero, nihil satis credibile dicam, etsi tunc annotaverim *Carolum M.* ejusmodi voti formula in sigillis uti consuevisse; prout acceperam ex Hertio. (*zz*) Præterea plura comminiscebar in inscriptione, quam quod iis opus sit; debebam namque ἔνον pro *tempore*, δύνη pro *passione* interpretari, & articulum τοῦ, aut postpositum dicere aut

(*yy*) In Glossar. Latinit. Tom. I. Col. m. 18. & seq. (*zz*) In comment. de Fide Diplom. Germ. Imp. & Reg. sect. I. §. VIII.

aut femel omiffum: quæ fingula exulant, fi cum aliis legam fimplicius δεσπότῃ καὶ καθηγουμένῳ. Accedit eam non effe difficultatem, quam *defpotæ* titulo obtendi arbitrabamur; etenim licet ipfi Imperatores principio, *defpotæ* dicti fint, eorumque nonnulli hanc appellationem alteri βασιλέως prætulerint; quemadmodum Joanni Meurfio, & eidem Ducangio annotatum eft in utroque Gloffario; (*aaa*) tamen deinceps, quum Imperatorum Filii & confanguinei, tum Patriarchæ & Aulæ Proceres hoc honore ufi funt; ufque adeo ut fequioribus temporibus Aulica dignitas fieri cœperit: & extrema demum Græcia, potiffimum fub *Palæologis*, Regionum, feu Provinciarum vel Urbium, quas in heredii fortem obtinuerant, fefe defpotas infcriberent. Quare nihil eft verifimilius, quam ex iis aliquem fuiffe hunc Hilarium, aut eam dignitatem cum ifto Abbate fuiffe conjunctam. Montfauconio igitur & Monachis Græco-Barbaris confidenter accedam; fed hactenus, ut illis affentiar in his verbis δεσπότῃ καὶ καθηγουμένῳ τῆς μόνης; in quibus quidem, quod ab illis prætermiffum eft, non negligo, & characterem ϰ figma effe deprehendo verbi μόνης; adeoque τῆς μόνης τοῦ, five ϯ, notæ fignificationis compendio, legam præter ullam perturbationem. Verbulum fupereft unicum ΖΤΗΡΗΘ, vel ΤΖΗΡΗΘΑ, ad quod pertinet Clariffimi Senionenfis Abbatis *Auguftini Calmet* epiftola, qua poftridie Nonas Julii anni cIↃ DCCXXXIX. renunciabat Augienfi Priori Montfauconianam explicationem. In illa fic pergit Abbas Celeberrimus. *Quæ postrema verba fibi fatetur Vir Doctiffimus* (P. Montfaucon) *ignota; fignificant autem abfque dubio locum Monafterii, cui præerat Abbas Hilarius. Ego quidem fcio fuiffe Conftantinopoli templum, S. Michaeli dicatum in loco dicto, Tzeri, & fuiffe olim antrum celeberrimum ob oracula Apollinis* Zerinthii,

(*aaa*) Græcit. & Latinit. v. *Defpota*, Meurs in Gloffar. ead. voce.

thii, *quo in loco potuit esse Monasterium*, Tzeretha *dictum. Certe mihi certum est, vestram illam pretiosam Crucem, olim vobis datam, fuisse allatam e partibus transmarinis, & fortasse Constantinopoli vel Hierosolymis. Vale Prior colendissime, meque tibi ad omnia obsequia paratissimum habe.* Novissimis verò literis Junii mensis nuper elapsi, hæc addit:
„ Varios deditâ operâ Scriptores evolvi, ut ubi locorum
„ Monasterium Zeretha situm sit vel fuerit, investigarem.
„ Quum verò antiquissima sit traditio hasce S. Crucis reli-
„ quias, Carolo Magno ex Palæstina fuisse transmissas, in
„ animum induco, ut credam, Cœnobii hujus vestigia, aut
„ ad torrentem Zared trans Jordanem in finibus Moabiti-
„ cis, de quo torrente Numeror. XXI. V. II. uti & Deuter.
„ v. 14. mentio fit, & qui subinde mare subit rubrum: aut
„ cis Jordanem, propè Sartam seu Zaretham, non ignobi-
„ lem urbem inveniri: ad cujus nempe mœnia aquæ Jor-
„ danis refluxerunt, quô tempore jussu Josue divisæ fuerunt.
Conjectura est Clarissimi Abbatis non pœnitenda; certiora tamen aliquando eam Daciæ partem investigantibus, quam Valachiam hodie dicimus, fortè subolebunt. TZHPHΘ præterea in iis litteris nondum certo legisse mihi videor; & in illo nexu, quod TZ interpretantur, aut plures latent litteræ, aut etiam ab iis diversæ; quemadmodum accuratius considerantì sphinges illas characterum, facile apparebit. Ego nunc nihil addam, nisi verisimillimum esse, & Augiensi traditioni convenientissimum, si potius legatur THC MONHC TOY NAZAPHΘ, *Monasterii Nazareth;* quam forte solitudinem, Natalis Dominici pia recordatione illustratam, hic Hilarius cum Monachis aliquot delegit incolendam; liberum tamen esto cujusque judicium. Scribebam Vindobonæ ipso natali die Parentis mei XIII. Cal. Maj. cIↃ IↃCCXLIV.

§. IX.

§. IX.

In Parthenone Gandershemensi.

FOrmosum Pontificem Maximum ab hostibus acerbissimè divexatum Arnulphus Germaniæ Rex libertati juxtà ac dignitati anno 896. restituit. Papa ut erga benefactorem suum quàm gratissimus esse cognosceretur, cæsareum ejus capiti diadema imposuit, à collo autem Crucem non tam auro quàm pretiosissimo Christi sanguine divitem suspendit. Imperator relecto in Germaniam itinere, sacram Crucem, hortatû Odæ thori consortis, Gandershemensi Parthenoni, quem Luitolfus potentissimus Saxoniæ Dux circa annum 852. condiderat, piâ munificentia transcripsit. Henricus Bodo Syntagmate de Ecclesia Gandershemensi factam donationem diffusiùs his verbis enarrat.

„ Expugnatis fortissimè adversariis, cùm, quid daturus „ esset, Papa *Formosus* pectore suo volutaret, & quidquid in „ mentem venisset, non dignum judicaret; atque Regi pro- „ posita, non tanti æstimata ab ipso Rege videret, sciscita- „ batur, quonam munere illius majestati gratificari posset. „ Ad quem Serenissimus Rex fertur dixisse: Quidquid tua „ sanctitas obtulerit, minus est, nisi unum, quod Romæ oc- „ cultatum est, mihi præstiteris. Et adjecit: Crucem, in „ quâ Christi omnium Redemptoris Sanguis est, quem à Con- „ stantinopoli invictissimus Constantinus Romam transtulit, „ mihi ob gratiam inventam impertiatur tua Sanctitas, opto. „ Et licèt non gratam beatissimo Papæ, nec etiam Romanis „ ipsis auditû placitam Serenissimus Rex voluntatem pandis- „ set, Majestatis tamen auctoritas impetravit. Cùm igitur „ Augustum Regem Papa benedixisset, ipsam Dominici San- „ guinis Crucem in collum coronati posuit, cupito illum „ munere dignatus. Cùm autem felicissimè in propria re-

„ diisset,

„ diisset, consilio cum Regina inito, quonam loci tam pre-
„ tiosum Christi sanguinem locaret, ubi debito honore ha-
„ beretur: illa priorum memoriam docta, qualiter videlicet
„ & Serenissimus Rex Ludovicus eum, quem ipse habuerat
„ sacrum cruorem Gandesianum ad Cœnobium à Ducibus
„ Saxoniæ ædificatum transferret, datísque ad ipsum tem-
„ plum regiis muneribus, quò veneratione digna coleretur,
„ in perpetuum curaret. Ad Reginæ igitur votum invictis-
„ simus Rex Gandesiam venit, & munificentissimè suis donis
„ locum cumulavit. Dedit primùm Crucem illam cum Chri-
„ sti sanguine pretiosum, & quo coleretur honore statuit.
Hactenus Henricus Bodo.

Fuit verò S. Crux Dominicum sanguinem continens publicæ venerationi proposita in arâ S. Nicolai uti nos docet Author Acatholicus, sed eruditus, Joannes Christophorus Harenbergius in Historia Ecclesiæ Gandershemensis, Dissertatione XII. pag. 1631. cujus verba admetior:

„ Altare S. Nicolai in crypta, quondam erat famosum
„ reliquia Crucis Dominicæ, quam Arnulfus Cæsar, à Pon-
„ tifice Formoso acceptum, huc transtulerat. Addidit post-
„ hæc Ludovicus Infans, & Conradus I. Rex itidem novas
„ Crucis ejusdem particulas. Dici non potest, quanta fidu-
„ cia fragminibus illis opinionem sanctitatis universi attri-
„ buerint. Anno 1324. indulgentiam peccatorum eis, qui
„ hoc altare visitaturi forent, Andreas, Archiepiscopus An-
„ tiberensis, & Otto, Episcopus Hildeshemensis, promiserunt,
„ & concesserunt. En diploma.

„ Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.
„ Miseratione divina Andreas Archiepiscopus Antiberen.
„ Gregorius Feltrensis, Vitalis Adjacensis, Franciscus Cene-
„ tensis, Guillus Saguonensis, Robertus Connerensis, & Ni-
„ colaus Dirinastensis, Episcopi salutem à Domino sempiter-
„ nam. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illumi-

„ nat

,, nat ineffabili claritate, pia vota fidelium de ipſius clemen-
,, tiſſima Majeſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno fa-
,, vore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas pro *re-*
,, *verentia Sanctæ Crucis* per eos exhibita ac alias ex ſancto-
,, rum meritis & precibus adjuvatur. Cupientes igitur, ut
,, altare Sancti Nicolai ſitum in crypta ſecularis Eccleſiæ
,, Ganderſemenſis Hildeſemen. Diœceſ. ac *ſancta & benedicta*
,, *Crux apud idem altare conſtituta*, quæ ibidem à fideli po-
,, pulo in ſpeciali habetur reverentia, eo magis congruis ho-
,, noribus frequentetur, & à Chriſti fidelibus jugiter venere-
,, tur, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad al-
,, tare & Sanctam Crucem prædictas in ſingulis feſtivitatibus
,, Inventionis & Exaltationis ipſius Sanctæ Crucis ac Feſtis
,, Sanctorum prædicti Nicolai & Martini Epiſcoporum, &
,, in dedicatione ipſius Altaris, nec non ſingulis diebus Vene-
,, ris, devotionis vel orationis cauſa acceſſerint, ſive qui in
,, ſingulis feſtivitatibus & feſtis ac dedicatione prædictis ve-
,, ſperarum & completoriorum officiis, ac miſſarum ſolem-
,, niis, nec non ſingulis diebus, locis, veſperis & completo-
,, riis, ſingulíſque diebus Veneris, Miſſis in dicto Altari, ſeu
,, apud ipſum & Sanctam *Crucem* prædictam celebrandis hu-
,, militer interfuerint, aut qui in extremis laborantes in te-
,, ſtamento, vel extra, eidem Altari & Cruci prædictis ne-
,, ceſſaria, manus porrexerint adjutrices, quotiens præmiſſa
,, aut præmiſſorum aliquid fecerint. Nos de omnipotentis
,, Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum
,, ejus, autoritate confiſi, ſinguli noſtrorum ſingulas dierum
,, quadragenas de injunctis eis pœnitentiis in Domini miſe-
,, ricorditer relaxamus. Dummodo *Diœceſani voluntas ad*
,, *id acceſſerit & conſenſus*. In quorum omnium teſtimonium
,, ſingulorum noſtrorum ſigilla præſentibus ſunt appenſa.

,, Dat. Avinione ſanctiſſimo in Chriſto Patre Domino Jo-
,, hanne Papa XXII. tunc ibidem cum ſua curia reſidente.

 ,, An-

„ Anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quarto. In-
„ dict. VI VII. Id. Aprilis. *(sigilla septem Archiepiscopi &*
„ *Episcoporum heic ex filis sericis colore rubro dependent.*

Ottonis Episcopi Hildesemensis loci Diœcesani.

„ Nos Otto Dei gratia Hildesemensis Ecclesiæ Episcopus
„ præsentis tenoris gratam, ratam, confirmatam habentes
„ eam cum simili quadraginta dierum indulgentia, *auctori-*
„ *tate ordinandi* præsentibus in nomine Domini confirma-
„ mus. In Cujus rei testimonium, nostrum sigillum apponi
„ fecimus huic scripto. Act. anno Domini MCCCXXIIII.
„ Kal. Julii.

Cæterùm Otto illustris Dux Saxoniæ, filius Ludolfi Fundatoris Parthenonis Gandershemensis, hoc altare pro expositione & publica veneratione S. Crucis instituit, eique reditus applicuit largissimos.

§. X.
In Monasterio S. Trudperti.

HAbspurgicæ pietatis ac munificentiæ longè vetustissimum monumentum est percelebre S. Trudperti Martyris Monasterium, in valle Hercyniæ sylvæ ædificatum. Nobis de illo mentio facienda est propter duas eximiæ altitudinis Cruces ex argento laboratas, tanto illustriores, quòd quævis earum Dominicæ Crucis portionem sinu suo conclusam gerat. Et quidem de unâ earum S. Crucis particula in vita S. Trudperti sequens proditur memoriæ prodigium.

„ Plures adhuc sunt viventes in carne, qui optimè me-
„ minerunt, quod quidam Advocatorum, nomine Wern-
„ herus, in publico quodam victus captivusque conflictu,
„ cùm

„ cùm ſe pacta quadam ſumma pecuniæ redemiſſet, debita
„ redditurus, B. Trudperti magna ſatis exactione depecu-
„ niavit homines & colonos. Nec hoc illi ſuffecit, ſed ad
„ ipſum Monaſterium convertit angariam; poſcens, vel ut
„ veriùs loquamur, extorquens à Fratribus, ut pignus ali-
„ quod ſibi concederent, pro viginti marcis videlicet obli-
„ gandum; redditurum illud primo tempore promittens.
„ Fratres ergo quid facerent? Durum erat contra ſtimulum calcitrare, negando Advocato, quod petiit, concedere durius, quod nulla redditio ſperaretur. Cæterùm juſſio poſtulantis urgebat. Itaque inito conſilio, Crucem quandam, quæ adhuc in Eccleſia cernitur, in qua veræ Crucis illa particula clauditur, quam unus clavorum dulcium penetravit, deſtinandam pro pignore decreverunt; quod certius citiúſque eſſet hæc redimenda ſperantes. Per Fratrem igitur, qui tunc officium cantoris agebat, lignum hoc ſalutare petenti vel potiùs compellenti transmittitur ab invitis: jámque verè flentibus, tam mittentibus, quàm portante. Venitur ad villam, quæ dicitur Crozzingen, ubi Otricus quidam nomine, procurator ipſius quem diximus Advocati, petitum pignus à Fratribus exſpectabat. Hic igitur populi multitudine circumſtante, Crux per Fratrem in loco decenti deponitur reverenter; donec accepturus eam videlicet procurator equum aſcenderet. Itaque conſcenſo runcino *(cantherio)* perforti, Frater ſibi Crucem præſentat, ferè cum fletu, & ait: O bona Crux! det Martyr Chriſti Trudpertus, ut citò nobis cum gaudio reducaris. Quò dicto Crucem ille ſuſcepit deportandam. Sed mirum in modum ſonipes, cui ſedebat, immobilis & quaſi clavis affixus, de locis, quibus pedes impreſſit, exire non poterat, quantumcunque calcaribus urgebatur. Expavit igitur ſtupore vehementi, & ultra quàm credi poteſt, admirans ait: Revertere Crux Sancta, revertere, ut intueantur te Fratres tui: nequaquam te ulteriùs aſpor-

Q 3 tare

tare tentabo. Lætus itaque Frater cum Cruce revertitur, qui mæstus exierat: recipítque gaudentibus universis, eo, qui dixit: *Tristitia vestra vertetur in gaudium*, verbum suum precatu sui Martyris, quam Frater invocaverat, adimplente. *Vid. Lib. II. vitæ S. Trudperti M. de ipsius miraculis apud Bolland. d. 26. April. p. 438.*

§. XI.

In Monasterio Mellicensi.

Rectè atque ex vero Carolus Stengelius annis ab hinc centum viginti & pluribus in sua scripsit Monasteriologii: *MELLICUM inter omnia Inferioris Austriæ Monasteria jam ab antiquis temporibus primatum tenet cùm auctoritate, tum religione.* Cui encomio nec nostrâ hac ætate quidquam ornamenti decessit, sed nova potius decora non à magnifica tantùm cùm Ecclesiæ tum Monasterii structurâ, sed, quod longè pluris faciendum, à præcellenti Religiosorum pietate, eruditione, ac doctrina, deinde Abbatum singulari in gerendis publicis rationibus & negotiis fide, prudentia, & dexteritate accesserunt. Sed his aliisque prærogativis silentio prætermissis, ad eam potiùs commendationem, nomínisque gloriam ac celebritatem, quæ ab insigni Ligni salutiferi portione dudum *Mellico* obvenit, exponendam veniamus. Nihil verò proferemus, nisi quod V. C. *Hieronymus Pezius* post Lambecium in Bibliotheca Augusta Vindobonensi, *Philibertum Huber* in Austria ex Archivis Mellicensibus illustrata, *Anselmum Schramb* in Chronico Mellicensi in literarum retulit monumenta. Intexuit ille Historiam de Particula S. Crucis Mellicensis ab Authore anonymo Mellicensi scriptam Tomo II. insignis suæ Collectionis] *Scriptorum Rerum Austriacarum*, cui eruditas præmisit observationes, quas in gratiam Lectorum, quibus laudata illa Collectio ad manum non est, adscribere non gravabor HI-

HISTORIA
DE PARTICULA SANCTÆ CRUCIS MELLICENSIS.

Authore Anonymo Mellicensi ex editis ad fidem Manuscriptorum Mellicensium recognitis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ
Cl. Hieronymi Pezii Bibliothecarii Mellic.

I.

INter rara pretiosáque sacratioris Thesauri Cimelia, quæ in Cœnobio nostro Mellicensi asservantur, primas facile tenet particula quædam adorandæ salutiferæque Crucis illius, quam Servator humani generis sanctissimo suo corpore cruoréque moriens consecravit. Atque haud scimus, ullane in Ecclesia locove Austriæ (ut de provinciis aliis nihil memoremus) ejusdem venerandi ligni portionem aliquam offendas, quam tanta pietate religionéque, quanta nostram hanc Mellicensem, sæculis superioribus Austriaci coluerint, quámque tot signis ac prodigiis ipse rerum mirabilium effector DEUS illustrârit. Hanc Crucis Dominicæ Particulam multo auro sacrísque Reliquiis convestitam, Ecclesiæ Mellicensi primùm contulit Adalbertus seu Albertus *Victoriosus* ab anno 1018. ad 1056. Austriæ Marchio, ut author est Conradus de Wizenberg I. id nominis Abbas Mellicensis in brevi Chronico sæculo XII. à se composito, dono fortassis acceptam à Poppone Archiepiscopo Trevirensi patruo suo (seu fratre, ut alii volunt) qui Hierosolymis reversus apud eum in itinere diverterat circa annum 1039. aut sequentem, teste

teſteErchenfridoCœnobiarcha ibidemMellicenſi inVita S.Colomanni Martyris à nobis Tom. I. ſcript. Auſtriac. vulgata. Integro amplius ſæculo cùm à Mellicenſibus noſtris religioſiſſimè culta ſervatáque fuiſſet, Clericus quidam nomine Rupertus, auri cupiditate pellectus, eam furto ſubduxit, ſecúmque Viennam Auſtriæ aſportatam Sanctino, vel certè Finano Scotorum ſive Hibernorum Abbati clam attulit. Veriſimillimum eſt, id anno 1169. vel inſequenti 1170. eveniſſe, quo poſtremo Sanctam hanc Crucem Viennæ inventam ex auctore domeſtico, ac ſynchrono poſtea docebimus. Re comperta, Cœnobii Mellicenſis Præſul, qui tum Syrus ſive Sygehardus fuit, illicò Viennam advolavit, ſurreptúmque Eccleſiæ ſuæ ſummi pretii theſaurum modis omnibus vindicare contendit. Mira hîc prodit Anonymus Mellicenſis,hiſtoriæ ſubjectæ Scriptor, quæ tamen ex Majorum traditione potiùs, quàm ex vetuſtis literarum monumentis, quæ vel invidorum hominum manibus ſublecta, vel incendiis conſumpta non immerito ſuſpicatur, ſe cognoviſſe profitetur. Refert namque, gravem Mellicenſem inter & Scotenſem Abbates de Sancta hac Cruce ſubortam controverſiam litémque,cùm eam, utpote jure ſuam, repetenti Mellicenſi reddere Scotenſis præfractè nollet, nec contra Mellicenſis de jure ſuo decedere vel latum unquem vellet. Itaque delectos fuiſſe arbitros, è quorum ſententia, ſevocatis in partes ambobus Præſulibus, S. Crux in medio eorum collocaretur: ab iiſque judicato pronuntiatum, eam ſine controverſia illius fore, ad cujus ipſa manus, Numine cœleſti prius in rem præſentem invocato, nullóque hominis adminiculo accederet. Accepta, utrinque conditione, omnibúſque pro voluntate nutúque arbitrorum perfectis, mirum dictu! Crucem Sanctam ſponte ſua in Abbatis Mellicenſis manus conceſſiſſe. Neque hoc viſo quidem prodigioſo permotum Scotenſem Præſulem, ut Mellicenſis, quod ſuum erat, tribueret; quin (ut eſt in Proprio Feſtorum Monaſterii noſtri

Melli-

Mellicensis anno 1713. Viennæ excuso, & à sede Apostolica approbato) eodem Antistite rei veritatem novo miraculo explorari postulante, denuo edixisse arbitros, ut Crux Sancta, naviculæ absque remige imposita, aquis Danubii committeretur: quæ si secundo flumine versùs Scotorum Cœnobium deflueret, Scotensi, sin verò adverso Mellicium versum ascenderet, Mellicensi cederet Abbati. Cùm ad hanc quoque pactionem vel invitus accessisset Mellicensis noster, naviculam unâ cum S. Cruce miro planè & inaudito modo Nusdorffium usque, qui vicus est à Vienna una ferè leuca in occidentem dissitus, contra flumen deportatam. Tum verò lite divino potius quàm humano judicio dirempta, Crucem Sanctam Mellicensis Cœnobii Præsidi adjudicatam, ab eóque summa omnium gratulatione ac honore maximo ad Mellicense Monasterium fuisse reportatam. Hæc de veneranda prodigiosáque hac Cruce ex Majorum traditione vetus Anonymus noster Mellicensis. Quæ si hominum (Scotorum præsertim ac Hibernorum, ut ex Actis Sanctorum gentis utriusque constat) ea tempestate viventium simplicitas, religio, ardénsque in Deum fides spectentur, haudquaquam incredibilia videbuntur. Quot enim quantique, sæculo XI. & insequente XII. contactu ferri candentis, aliisque id genus supra naturam susceptis tentamentis rerum veritatem periclitati fuerint, is minimè ignorabit, qui temporum illorum historiam perspectam habuerit. Exemplo esse potest vel unus (missis aliis quam plurimis) Wolvoldus piissimus ille Admontensis Cœnobii Pater, quem ejusdem loci Chronographus ad annum 1137. narrat, candentis ferri massa manibus illæsis contacta, integritatem suam, quam nonnulli in suspicionem temere trahebant, comprobasse. Et certè mira quædam & insolita in Inventione hujus Sanctæ Crucis Mellicensis contigisse illud facile persuadet, quod Adalbertus, seu Albertus ejus nominis II. Salisburgensis ab anno 1168. ad 1200. Archipræsul, iis

intellectis, probéque sub examen vocatis, peculiarem de ejusdem Inventione festivitatem in Monasterio Mellicensi die 13. Mensis Februarii solenni ritu celebrandam instituerit, ut uberiùs infra demonstrabimus. Neque enim verisimile fit, tantum Præsulem S. Crucis istius Inventionem perpetua ad posteros memoria, cultúque publico ac solemni consecraturum fuisse, quam nullæ singulares circumstantiæ, nec eventus extraordinarii maximè memorabilem reddidissent. Tametsi igitur Anonymus noster ea miracula ac prodigia, quæ in inventione hujus venerandæ Crucis Mellicensis accidisse scribit, non quidem ex veterum annalium monumentis, sed sola fide relatúque Majorum se didicisse fateatur, nemo tamen facile ejus dictis fidem abrogabit.

II.

INcidit autem hæc S. Crucis Mellicensis Inventio in annum Christi MCLXX. ad quem hæc annotavit Chronici Mellicensis Continuator Auctor coævus: *Inventio Dominici ligni apud Wiennam, quod aureæ Cruci cum aliis Sanctissimis Reliquiis inclusum quidam Clericus, minister Satanæ, Ruopertus nomine, auri cupidine illectus, furatus erat. De quo furto propter communem Ecclesiæ ad Dominum clamorem publicatus & comprehensus, ex judiciali sententia suspendio vitam finivit.* In hujus admirandæ Inventionis perpetuam memoriam majorémque S. hujus Crucis venerationem, Adalbertus Salisburgensis Archiepiscopus peculiarem solemnémque (ut supra notavimus) festivitatem in Cœnobio nostro Mellicensi die 13. Febr. quot annis agendam constituit. Indubitatam ejus rei fidem facit pervetustum ac breve fragmentum manû sæculi XII. exaratum, quod in antico folio, ut vocant, volante cujusdam Psalterii post longam laboriosámque codicum nostrorum Mellicensium lustrationem tandem bonis avibus invenimus. Laudatum

datum fragmentum ad verbum habet: *Hæc*| *Festivitas* (Inventionis particulæ S. Crucis Mellicensis) *à Venerabili Sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo & Apostolicæ sedis legato ADELBERTO solemnniter celebranda est instituta. Quando venerabilis CRUX, quæ in hoc Monasterio non solum à nobis sed & ab universis hujus Provinciæ habitatoribus honorificè veneratur, à quodam Clerico Satanæ Ministro est furata, & apud WINNEN Idus Februarii inventa, & cum magno honore ad nostrum Monasterium relata.* Ex his egregiè stabiliuntur, quæ de hoc Festo nobis Mellicensibus peculiari, post Anonymum nostrum in Proprio Mellicensi, superiùs adducto memorantur: simúlque discimus, S. Crucem Idibus Februarii, seu die decima tertia Mensis ejusdem, quo & Festum hodieque sub ritu Duplici 2. Classis (ut ajunt) agitur, fuisse inventam. Falsum est igitur Necrologium Scotense, in quo VII. Id. Decembris ejusdem inventio adscripta legitur in hæc verba: *VII. Id. Decembris. In Mellico S. Crucis miraculosæ Inventionis hic apud Scotos Viennæ.*

III.

PORro Sanctam hanc Crucem anno 1360. Rudolphus Dux Austriæ IV. copiosiori longè auro, gemmis, unionibus ac Sacris Reliquiis, pro singulari suo in Sanctum COLOMANNUM Martyrem & totius Austriæ Patronum amore, perornavit, ut ejusdem Principis *Protestatio* ad calcem præsentis historiæ posita declarat. Atque in hunc modum accipiendum est, cùm ibidem Crux Sancta *per ipsum comparata dicitur.* Neque enim Rudolphus Dux supra laudatus, sed Adalbertus Austriæ Marchio Mellicensibus eam primum comparavit, ut aliàs observavimus. Biennio evoluto, id est anno MCCCLXII. in pervigilio S. Martini, seu die decima Novembris, tristem rursus fortunam subiit S. hæc Crux Mellicensis,

 cum

cum eam civis quidam ex vicino oppido Emerſtorffenſi, Otto Grimſinger dictus, clam nefariè ſublatam ad Carolum IV. Imp. in Bohemiam deportare conatus eſt. Rem omnem minutatim exponit Auctor hujus hiſtoriæ, qui eodem vixit tempore, præsénsque omnia ſpectavit: nec proinde neceſſe fuerit, amplius quidquam de ea commemorare. Sed (quod ſingulare benigniſſimi ac providentiſſimi divini Numinis in Mellicenſes noſtros beneficium fuit) reperta denuo miris profecto modis Crux eſt, VIII. Id. Decembris anni ejuſdem milleſimi trecenteſimi ſexageſimi ſecundi, & ad Monaſterium maxima cum ſolennitate revecta. Inſtitutum quoque à Majoribus noſtris in diem ſequentem, ſeu ſeptimum prædicti Menſis Decembris, *ſecundæ Inventionis* S. Crucis Feſtum, quod amplius duobus ſæculis perquàm religiosè cultum actúmque fuit, ut veteres MSS. libri Miſſales Bibliothecæ noſtræ teſtatum faciunt; ſed nunc penitus, incertum qua de cauſa, exolevit. Illud hic quoque merito annotandum duximus, hodie non niſi unicam particulam Dominici ligni in aurea hierotheca Mellicenſi extare, cùm tamen anno MCCCCX. die 8. Menſis Novembris tres *Similes* id eſt: ejuſdem magnitudinis ibidem ſervatæ dicantur in veteri Chronico Mellicenſi, cujus verba huc adſcribere non gravabimur: *Anno MCCCCXX.* ait memoratum Chronicon, *in die quatuor Coronatorum, hora Nonarum, propter ſuſpicionem hominum tollendam, venerabilis Pater Dominus Nicolaus tunc Abbas hujus Monaſterii* (Mellicenſis) *aperuit Crucem pretioſam hujus Monaſterii, inventæq; ſunt tres partes ſimiles quaſi in medio ipſius, recluſæ ſub laminis argenteis. Qualibet autem pars videbatur longitudinis quaſi ſemi-digitalis; non tamen ſpiſſa. Poſtquàm verò perſpectæ ſunt ab his, qui tunc teſtes aderant, videlicet à Domino Abbate, Petro Priore, Fratribus Chriſtanno, Mathia, Gotſchalco, Nicolao Wienner, Petro, Jodoco hujus Domus Monachis, & Waſer quoque Nobile & Judice noſtro, & aurifabro laicis: repoſitæ ſunt eædem*

par-

partes ad locum priorem, & ibidem reclusæ. Reliqua verò Sanctorum, quibus ipsa Crux ubique intus plena est, similiter reposita sunt, quemadmodum priùs positæ erant. Et qui scripsit hæc, præsens vidit, scilicet Petrus Prior. Hæc Chronicon Mellicense.

IV.

DE Authore hujus Historiæ, certum est Mellicensem Benedictinum fuisse, qui eam ipso anno 1362. aut sequenti literis mandavit, rebúsque ipsis, quæ in Secunda Crucis Mellicensis Inventione gestæ sunt, præsens interfuit. Siquidem initio scriptionis suæ de festivitate mox memoratæ Inventionis agens, *Miranda utique*, ait, *nostris sensibus & temporibus intonuit nuper novi rumoris veneranda festivitas, & celebris in Monasterio Mellicensi fama totum divulganda per orbem, non immerito recolenda concrevit.* Et paulo infra: *De quibus ambiguitas fideli cuique nulla esse debet, ex eo, quia in retroactis temporibus facta fore afferantur; sed major fides eo amplius est adhibenda, quo eodem pretiosum CRUCIS lignum sua virtute stupendis inauditísque miraculis, in aqua non dissimiliter & in terra, nostræ ætatis effulsit temporibus, sicut in infra annotatis jam patebit.* Verùm quo exploratior nobis ætas est hujus Auctoris, eo cætera quæ ad res ejus illustrandas pertinent, obscuriora sunt. Neque enim, quis fuerit hic Cœnobita Mellicensis, quo die annove vivere desierit, ex ullis domesticis documentis hactenus rescire potuimus. Hanc Historiam primus omnium ex MSS. Augustissimæ Vindobonensis Bibliothecæ typis describendam curavit V. CL. Petrus Lambecius lib. II. Bibl. Cæs. cap. 8. a pag. 621. ad 627. quæ rursus anno 1702. comparuit in Chronico Mellicensi, ab A. R. D. P. Anselmo Schrambio Vindobonæ emisso. Eandem A. R. ac eruditus D. P. Philibertus Hueberus noster *Austria sua ex*

Archiviis Mellicenſibus illuſtrata inſeruit, ubi & ſæpe memoratæ Crucis Mellicenſis imaginem æri eleganter inciſam lectorum oculis ſubjecit. Nos trinis his editionibus ad fidem quatuor codicum MSS. nunc literis ac Numeris H. 10. H. 104. K. 4. L. 80. notatorum, ſtudioſè recognitis quartam adjecimus, præmiſſa, quam vetuſta noſtra exemplaria præferunt, hac inſcriptione:

TABULA ſive MEMORIALE SCRIPTUM DE PORTIONE LIGNI SALUTIFERÆ CRUCIS IN PRÆSENTI NOSTRO MONASTERIO MELLICENSI SUB LAMINIS AUREIS HABETUR, ET A FIDELIBUS POPULIS TAM DEVOTE ADORATUR, ET OFFICIOSE VISITATUR, ET DE MIRACULIS DIVINA VIRTUTE IN EA MIRABILITER OSTENSIS.

„ Quia generatio præterit, & generatio advenit, ad memo-
„ riam autem rerum geſtarum nihil melius literis convenit
„ ſive ſcriptis: ad cautelam noſtri noſtrorúmque poſterorum
„ inſinuamus notitiæ, præſentium fidelium & futurorum,
„ qualiter divina diſpoſitio patentibus claruerit miraculis in
„ parte ligni Sanctæ Crucis, quæ præ cunctis aliis Eccleſiis
„ Mellicenſem Eccleſiam, ad Romanam Eccleſiam nullo
„ medio pertinentem, tanquam aliarum Eccleſiarum Domi-
„ nam, inhabitare voluit & elegit. Miranda utique noſtris
„ ſenſibus & temporibus intonuit nuper novi rumoris vene-
„ randa feſtivitas, & celebris in Monaſterio Mellicenſi fama,
„ totum divulganda per orbem, non immerito recolenda
„ concrevit. Super quibus tanto relatoribus fides eſt cer-
„ tior adhibenda, quanto facti qualitas, & ſeries geſtæ rei
„ veriſimiliora videantur habuiſſe primordia, & auctoriſabi-
„ liores obtinere noſcuntur in tanto Monaſterio patratores.
„ Sanè olim (ſicut habet antiquorum fida relatio, & in lege
„ Moſaica plenius dicitur contineri) priuſquam Mundo ſa-

„ cræ

„ cræ Doctrinæ lumen Apostolicæ rutilaret, Dei providen-
„ tia, quæ in sui dispositione non fallitur, populo Israeliti-
„ co Moyse Duce ad terram promissionis redeunte, fienda
„ salutiferæ Crucis quibusdam sub figuris præsignavit myste-
„ ria, quæ veniente plenitudine temporis Verbo Dei incar-
„ nato, Crucifixo, resurgente, & cœlos ascendente, jam
„ Sancta Mater Ecclesia exultans saluberrimè credit facta:
„ eadem sua nobis clementia Passionis Dominicæ portione
„ Crucis pretiosæ licèt in parva, virtutis tamen ingentis mi-
„ racula non minima in præfato Mellicense Monasterio su-
„ scitavit. Hæc licèt scripta non appareant manifesta, quæ
„ si fuerint, tantæ forte gratiæ manus rapuit invida, vel
„ lingua dolosa subticuit, aut magni ignis flagrantia, quæ
„ dicitur Monasterium prælibatum graviter exposuisse, &
„ exustionis ipsius immanitate forsitan in cineres comminuit;
„ ex nonnullorum testimonio, qui adhuc favente Domino
„ supervivunt, & alias à multis, qui se illud à progenitori-
„ bus suis asserunt accepisse, habetur credibilis certitudo.

„ Anno quippe Incarnationis Domini Millesimo centesi-
„ mo septuagesimo, veridica testante scriptura, eandem por-
„ tionem salutiferæ Crucis aureæ Cruci cum aliis Reliquiis
„ inclusam, quidam Clericus, minister Sathanæ Rupertus
„ nomine, auri cupidine illectus furatus fuerat: de quo furto
„ propter communem ad Deum, & devotum Ecclesiæ cla-
„ morem, publicatus est, & deprehensus, & judiciali insu-
„ per sententia suspendio vitam finivit.

„ Propter quod Reverendus in Christo Pater & Dominus
„ Dominus ADALBERTUS, Sanctæ Salczburgensis Ecclesiæ
„ Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis Legatus, his in magna
„ delectatione cordis auditis, habitáque super hoc medita-
„ tione sollicita, velut Pastor bonus ad ovile Domini con-
„ gregans vigilantius gregem suum, & tanquam doctus pup-
„ pis Apostolicæ remex portum quietis desiderans parare fi-

„ deli-

„ delibus ac ſalutis: attendens quoque dignum fore Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum Mellicenſem Eccleſiam, qui caput fuerunt Fidei & Eccleſiæ præcipui Fundatores, magna honoris & reverentiæ prærogativa gaudere, ſi, ut pretioſiſſimum Lignum, & iidem Apoſtoli eo amplius honorentur, quo eodem Mellicenſis, quæ in eorum eſt dedicata honore, devotiùs fuerit à fidelibus frequentata; hanc ſolemnitatem in Mellicenſi Eccleſia tertia decima die Menſis Februarii ſolemniter celebrandam inſtituit, &, prout decet, inſtituta ſolemniter obſervatur, quando Venerabilis Crux à præfato Ruperto Clerico furata à Wienna uſque ad Nusdorff in navi ſine nautis & ampluſtribus ſupernatavit. De quibus ambiguitas fideli cuique nulla eſſe debet, ex eo quia in retroactis temporibus facta fore aſſerantur; ſed major fides eo amplius eſt adhibenda, quo eodem pretioſum Crucis lignum ſua virtute ſtupendis inauditíſque miraculis, in aqua non diſſimiliter & in terra, noſtræ ætatis clarius effulſit temporibus, ſicut in infra annotatis jam patebit.

„ Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo fuit quidam *Otto* cognomento *Grimſinger*, civis dives in Emersdorff, qui in Mellicenſis Monaſterii confinio affines dinoſcitur habere non paucos. Hic itaque amentia magna & ſtimulo Sathanæ incitatus, longo animadvertebat tempore, quali modo Sanctæ Crucis lignum venerandum à Mellicenſe Monaſterio deferret, & illuc, ubi pro eo ſe credebat remunerari traduceret. Is etiam quaſi Dominorum collactaneus, eorum raro defuit ſolatiis, fidelem forinſecus ſe ſimulans, infidelitatis tamen & vitiorum mala, unde vitari debuit, intus contexit, & hominibus quorundam demonſtratione operum de ſolo foras juſtitiæ colore blanditus eſt.

Acci-

„ Accidit hoc itaque decima die menſis Novembris, „ quando ea noƈte cœteris amplius cibis & in potibus vul„ gus convivare conſuevit, quod præfatus *Otto Grimſinger* „ perfidiam, quam intulit in peƈtore, non ſegniter ſatage„ ret perficere. Nam Fratribus in eorum collatione ſeden„ tibus, clavibus quibusdam, alternatim ſecundùm for„ mam juſtarum clavium ceræ impreſſam limatis, ſacriſtiam „ aperiens, ſanƈtæ CRUCIS lignum in papyro tunc poſi„ tum (quod Illuſtris Princeps & Dominus Dominus Ru„ dolphus Quartus Dux Auſtriæ &c. parvo antea tempore „ de aurea CRUCE poſuit: voluit enim, ſicut fecerat, „ eam auri in pondere augmentare) & aliam crucem „ deauratam, quæ peƈtoralis Abbatis dicitur, cum Reli„ quiis incluſis, & Infulam & calices cum aliis ad altare „ attinentiis, furtive usque in *Rakking* ad Danubium de„ portavit: qua de re amentias ſe magnas & membrorum „ diſſolutionem ibidem & antea in Sacriſtia ſuſtinuiſſe pro„ feſſus eſt. Sed ſic attritus, a ſua via mala non eſt rever„ ſus, & naviculam, quam ibi reliquerat, aſcendens, de„ deferre in aqua voluit, & infra *Schönpuchel*, DEO volen„ te, deducere nequaquam potuit. Qui mutato animo & „ itinere, Danubium transfretavit, & in domum ſuam hæc „ omnia deferens, per aliquot ibi dies ſecum latentes „ ſervavit.

„ Interea dum Domini dormitum irent, & Dominus „ *Bernardus*, diƈtus *Dapifer*, tunc temporis cuſtos ſacriſtiæ „ pro emundatione luminis, quod tunc intus ardebat, vel„ let intrare; ſacriſtiam apertam inveniens maximè expa„ vit, aliquibúsque intrantibus, hæc omnia exportata cer„ nebant; ſed quis fecerit, quove devenerint ignorantes, „ maximè turbati ſunt. Hujus itaque direptionis cum ali„ quod jam tempus tranſiſſet, nec ab aliquo ſciſcitari poſ„ ſet, quinam hæc abſtraxiſſet; neſcio quo malignus iſte

„ spiritu ductus fuit, quod quadam nocte quendam *Kerner*
„ dictum adiit, mutataque ne agnosceretur voce, rogabat
„ eum, ut literam, quam sibi per fenestram tribuit, Do-
„ mino Abbati ex parte cujusdam *Gothschalici* de Haselpach
„ præsentaret; & sic incognitus ab eo recessit, famulusque
„ sicut ipsi supplicaverat, literam Domino Abbati appor-
„ tavit. Qua lecta coram eo, tenor scripturæ talis erat:
„ Surreptionis sanctæ CRUCIS aliarúmque rerum obnoxius
„ nemo tenetur, Priore duntaxat & fautoribus suis exce-
„ ptis: & in hujus rei testimonio quæratur in cellari Prio-
„ ris, & ibidem invenietur Infula dilapidata, & ornatu
„ suo privata. Intellecto igitur hoc, Dominus Abbas hæc
„ inquirere illicò præcepit; sed everso cellari toto, horum
„ nihil, ut mentiebatur, inventum est. Nam Infulam or-
„ natu suo privatam in Cameram unam, quam cellare cre-
„ didit esse Prioris, nequiter ipse nequam per fenestram
„ jactavit: voluit enim suæ infidelitatis culpa innocentes
„ etiam illaqueare: Verùm ut dicit Cato:

Nolo putes, pravos homines peccata lucrare.
Temporibus peccata latent, & tempore patent:

„ ita cùm iste sceleratus malum malo aggregare niteretur,
„ laqueis, quibus aliis noxam furti irrogare conabatur, se
„ ipsum, & suum complicem quendam *Petrum* scriptorem,
„ & hujus furti adjutorem, qui scripsit literam ante memo-
„ ratam, irretivit. Insuper ejus maleficia, haud dubium
„ Deo disponente, tali modo patenter enituerunt.

„ Factum est, ut multi legerent litteram, quam nuper
„ ex parte *Gotschalici* de *Haselpach* Domino Abbati miserat.
„ Unus tunc temporis de servis *Henrici* Mutuarii (*bbb*) in
„ *Emerstorff* nomine Baltherus, cùm legisset literam in scri-
„ ptura statim novit, quis eam scripsisset: & tenorem literæ
„ non

(*bbb*) i. e. Publicani seu exactoris vectigalis, qui nostris vulgo dicitur ein Mautner.

„ non in malum alicujus, quam Domini sui, qui Domino „ *Johanni* Priori specialis præ cæteris erat, confectum solum „ ex informatione *Ottonis Grimsingerii* arbitrabatur. Quam „ obrem ipse *Baltherus* & sui conservi statuerunt inter se, ut „ scriptorem vel plagis afficerent, vel penitus occiderent. „ Sed ne hæc ita ficerent, Dominus Abbas intervenit, & po- „ tiori consilio in *Emerstorff* quarto Kalendas Decembris ca- „ ptivatus est, & carceribus in *Weiteneck* castro mancipatus: „ qui furti noxam protinus, & furtum causantem ducenti- „ bus ipsum innotuit, sed ne verò alter nequam, videlicet „ *Otto Grimsingarius* præmonitus discederet, idcirco non pa- „ làm loquebantur, quod ipsis Scriptor denudavit. Verum- „ tamen idem *Grimsingarius* audiens Scriptorem apprehen- „ sum, captivúmque duci in *Weiteneck* castrum, accinctus „ gladio, & accepta balista, velociter ad Danubium cucur- „ rit. Interrogatus verò, quo tam cito festinaret: finxit se „ unum velle insequi in aqua, qui pecuniam sibi deportasset. „ Sed Danubium usque *Schonpuckel* pro refugio transfretavit. „ Cum autem securitatis aliquid ibi non habere meditaretur, „ profugus ire cœpit: ingrediénsque secretò domum suam „ Pectorale Domini Abbatis fixit in tectum Domus suæ, & „ calices cum aliis Clenodiis in epicauterio coquinæ in quo- „ dam foramine recondidit. Sed verum lignum Sanctæ Cru- „ cis secum sumens, ut Imperatori deferret, iter versus Bo- „ hemiam arripuit.

„ Arrepto itaque itinere, cùm jam profectus esset, quan- „ tum est unius milliaris, videlicet in Lach ad Ecclesiam „ Beatæ Mariæ Virginis; destitutus est vigore corporis, at- „ que divinitus ita impeditus, ut extra cemiterium pedem „ ponere non posset. Et cum secundo ac tertio aufferre at- „ tentaret, & destitutione virium impeditus cimiterium ex- „ ire nequiret; tandem Ecclesiam intravit, coram altari Bea- „ tæ Mariæ Virginis genua flectens cum mœrore lacrymas

„ fudit, & lignum Sanctæ Crucis recondit fub lapide, fuper
„ quem ob reverentiam Corporis Chrifti flectitur: & fic cum
„ gemitu magno profugus abfceffit, fed confinia ibidem ex-
„ cedere non poterat.

„ Interea *Henricus* Mutuarius & *Chonradus* frater ejus,
„ ftatuerunt exploratores, ut fagaci inquifitione ipfum illa-
„ quearent vinculis, quod & ita accidit. Nam unus ex ex-
„ ploratoribus *Martinus Cholzner* in fexta feria, fcilicet quar-
„ to Nonas Decembris, vidit fororem ipfius *Grimfingarii* eme-
„ re pifces multos. Ex quâ re cogitavit mulierem non pro-
„ pter fe, fed propter fratrem fuum, quia fplendidè femper
„ epulabatur, emiffe: & exinde *Henricum* Mutuarium, &
„ *Chonradum* fratrem ejus adiit, & ipfis rem taliter indica-
„ vit. Qui eadem nocte, aliquibus de *Weitenek* fecum af-
„ fumptis, domum ejufdem mulieris circumvallabant cufto-
„ dibus. Evertentes etiam domum eum non invenerunt,
„ tandem inquifitus in horreo, mirabiliter in acervo ftrami-
„ num eft repertus, quadam ftudiosè in fcrobe detectus: ex
„ qua eum nudè extrahentes veftibus eum induerunt, & ap-
„ prehenfum duxerunt in domum præfacti *Chonradi.* Ubi
„ dum eum compedibus vinxiffent, & rebus fuis privaffent,
„ duxerunt eum in *Weitenek* carceribus mancipandum.

„ Dum verò fuper direptione Sanctæ *Crucis* aliarúmque
„ rerum interrogaretur, ftatim fe abftuliffe non negavit, fed
„ hæc neminem nifi feipfum poffe invenire afferuit. Quare
„ ipfum extrahentes è carcere, equo ligatum pedibus impo-
„ fuerunt, atque in propriam fuam domum duxerunt in
„ *Emerstorff*, ubi Pectoriale Domini Abbatis & alias res, præ-
„ ter lignum Sanctæ Crucis, monftravit invenienda. His ita-
„ que, Pectorali videlicet & cæteris inventis, negantem quod
„ abftulerit lignum S. Crucis, vinctum reduxerunt iteum in
„ carcerem. Altera verò die petiit ut educeretur, affirmans
„ fe monftraturum lignum Sanctæ Crucis quia in Ecclefia

„ Bea-

„ Beatæ Virginis Mariæ recondidiſſet in *Lach*. Quapro-
„ pter è carcere ad Eccleſiam ductus, ſolus cum *Hermanno*
„ ſcriptore de *Weitenekk*, cæteris præ foribus exſpectantibus,
„ Eccleſiam ingrediens, flexis genibus ante Sacramentum
„ Domini Corporis lignum Sanctæ Crucis, quod antea ibi
„ abſconderat, ſubito reaſſumpſit occulte, & capitio laten-
„ ter impoſuit: ſperabat enim omnia ſua gravamina allevia-
„ ri, ſi ſecum portaſſe potuiſſet. At verò ut *Hermannus* hoc
„ vidit, coegit eum, quod ſuper aram id poneret, quod ibi
„ accepiſſet. Et poſita ſuper altare Cruce, qui præ foribus
„ exſpectabant, vocati Eccleſiam intrabant: & ſic Dominus
„ *Ruetelperger* & Dominus *Atzenprucker* Fratres Conventus,
„ Lignum Sanctæ Crucis acceperunt, trans Danubium repor-
„ tantes. Ubi Dominus Abbas *Joannes Raedeprunner* dictus,
„ totúſque Conventus cum magna multitudine exſpectabant,
„ ſolemnibus cum proceſſionibus, cappis videlicet, vexillis,
„ inſtrumentis muſicalibus & compulſationibus omnium ſi-
„ gnorum reverenter, ut decuit, ſuſceperunt, reportantes
„ octavo Idus Decembrium anno præhabito. Sed hujus
„ ejuſdem Sanctæ Crucis ſolemnitas *Inventionis* in craſtino
„ Sancti *Nicolai* Epiſcopi & Confeſſoris celebratur.

„ Clientes autem de *Weitenekk* reduxerunt *Ottonem Grim-*
„ *ſingarium* in carcerem, quem poſtea in die Sancti *Thomæ*
„ Martyris propter hoc furtum, & alia ſcelera, quæ com-
„ miſerat, judiciali ex ſententia in cineres comminuerunt.
„ Scriptorem verò totius furti adjutorem *Petrum*, quem for-
„ taſſis juſſu Domini Abbatis comprehenderant, liberum per-
„ miſerunt abire conditione tali, ipſometipſo dictante talem
„ ſententiam, ut quandocunque in confinio ibidem appre-
„ henderetur, illico pœna patibuli occumberet. Quod par-
„ vi temporis ſpatio elapſo, haud dubium Divino judicio
„ diſponente, ita accidit, & pœna patibuli univerſæ carnis
„ viam cum pudore profectus eſt.

„ Quia verò omnium fanctarum folemnitatum totus,
„ Mundus eft particeps, & unius fidei pietas exigit, ut quid-
„ quid pro falute univerforum geftum recolitur, communi-
„ bus ubique gaudiis celebretur; verumtamen harum *Inven-*
„ *tionum* folemnitates fpeciali & propria *Mellicenfi* Ecclefiæ
„ exultatione venerandæ funt, ut ubi infidelium partem Li-
„ gni Sanctæ Crucis diripientium temerarius propulfus eft
„ aufus, ibi in diebus earundem *Inventionum* fit fidelibus læ-
„ titiæ principatus: præftante Domino Salvatore noftro
„ *JEfu-Chrifto* (qui eandem venerandam Crucem fuo pretio-
„ fo fanguine decoravit, & per ipfam à maledicto mortis nos
„ liberavit) qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & domi-
„ natur per infinita fæculorum fæcula, Amen.

„ Unum expluribus, quæ Dei Clementia in hac Venera-
„ bili particula Sanctæ Crucis mirificè oftendit, ad præhabita
„ non adfcribere in memoriam fidelium non poffumus. Si-
„ cut fuperius (*ccc*) continetur, quando Venerabilis Crux
„ Wiennæ apud Scotos inventa memoratur, didicimus ex
„ noftrorum relationibus Seniorum fide dignorum, quod in-
„ ter Venerabiles Patres & Dominos, Dominum Abbatem
„ *Mellicenfem* & Dominum Abbatem *Scotorum* pro obtinenda
„ Sancta Cruce jam dudum furata, quisquis Ecclefiæ fuæ tol-
„ leret, orta fuerit diffenfio. Et ecce in eadem mutua op-
„ pofitione Abbatum per arbitros decretum eft, ut fegrega-
„ tis in partes Abbatibus, Crux Sancta in eorum medio po-
„ neretur: fi tunc alicui ipforum fine adminiculo mortalis
„ implorato Divino auxilio, in manus donaretur, in jurisdi-
„ ctione fervaret fua, pacifice etiam frueretur. Quocirca
„ his ita peractis, occultorum omnium cognitor Deus, qui
„ non folum non privat bonis fuis ambulantes in innocen-
„ tia, fed reddit etiam cuique quod fuum eft: Domino Ab-
„ bati

(*ccc*) i. e. *in Hiftoria Fundationis Monafterii*, quam habes Tom. I. Scriptorum Rerum Auftriacarum Col. 30. c. cl.

„ bati Mellicensi in suas manus jam dudum subreptam San-
„ ctam Crucem miraculosè, cunctis coram astantibus, re-
„ commendavit. Et ut sua dinosceretur esse plenius, in aqua,
„ ut prælibatum est, à *Wienna* usque *Nusdorff* approbavit.

PROTESTATIO

AD MEMORIAM FUTURORUM ILLUSTRIS PRINCIPIS RUDOLFI QUARTI DUCIS AUSTRIÆ &c. DE PRÆFATA SANCTA CRUCE HUJUS MONASTERII PER IPSUM COMPARATA, UT PATEBIT.

„ NOs RUDOLFUS Quartus, DEI gratia
„ Archidux Austriæ, Styriæ & Carinthiæ, Dominus
„ Carniolæ, Marchiæ ac Portus-Naonis, Comes in
„ Habspurg, Tyrolis, Ferretis & in Kiburgk, Marchio Pur-
„ graviæ, nec non Lantgravius Alsatiæ, profitemur, quod
„ hanc Crucem ob Dei reverentiam, & ob specialem amorem
„ Sanctissimi Martyris COLOMANNI comparavimus, &
„ multorum Reliquiis Sanctorum ab intra decoravimus, sub
„ anno nativitatis nostræ vicesimo quinto, dominationis no-
„ stræ anno sexto, regnante Imperatore *Karolo* Quarto, &
„ *Urbano* Papa Quinto, scilicet anno Domini Millesimo tre-
„ centesimo sexagesimo.

Cæterùm hanc lectû ut cum maximè dignam historiam de Particulâ Sanctæ Crucis Mellicensis in patrium convertit sermonem V. C. *Godefridus Deppischius*, Cœnobita Mellicensis, eámque ad calcem Vitæ *S. Colomanni* Martyris, Austriæ Inferioris Patroni, eodem à se idiomate, magnâ eruditione, nec minore elegantia conscriptæ, atque Viennæ Austriæ an. 1743.

1743. typis in folio excusæ subjecit, eâ ratione, quòd *Rudolphus IV.* Archidux Austriæ eandem sacram Particulam in honorem Divi *Colomanni* auro & gemmis condecorârit. Illustrando autem Cl. *Hieronymi Pezii* prævias Observationes supra à nobis allatas advertit, mox laudatum *Pezium* in eâ sententia fuisse, ut existimaret, hanc S. Crucem *Adalberto* Marchioni dono fuisse datam à *Poppone* Archiepiscopo Trevirensi, patruo suo, qui Hierosolymis reversus apud eum in itinere diverterat. Ab hac verò opinione *Pezium* jam discedere, postquàm Chronica Illustris Stirpis Babenbergicæ in Osterrichia dominantis, quam vir Reverendus *Aloldus de Peklarn*, Serenissimi quondam Austriæ Marchionis *Adalberti* ab anno MXXXIV. usque ad annum MXLVI. Capellanus conscripsit, ex autographo typis mandata fuit à Clariss. *P. Chrysostomo Hanthaler* Bibliothecario & Chronographo Campoliliensi anno 1742. Diversa enim sunt, quæ hic Author coævus & synchronus memoriæ prodidit; non enim annum duntaxat, quô Marchio *Adalbertus* Particulâ S. Crucis Ascetterium Mellicense donavit, sed occasionem etiam quâ illam consecutus fuit, exactè cum cura annotavit. Ejus verba sunt hæc:

„ Anno MXXXVIII. Sanctus *Stephanus* Ungariæ Rex in „ cœlum receptus est: quò Filium suum *Emericum*, sanctum „ pariter Juvenem, jam ante se præmisit. Cum hoc verò „ Rege Ungariæ pax, & felicitas simul sepultæ sunt.

„ MXXXIX. *Petrus* in Ungaria *Stephano* succedit, ejus ex „ sorore *Gisela* nepos. Sed vitiis plurimis scatens, subditis „ brevì nvisus evasit.

„ MXL. Idem, dum Ungari ab eo ad *Ovonem*, suâ linguâ „ *Abam*, deficiunt, Regno privatur. Fugit verò ad ADAL- „ BERTUM, cujus Levir erat, sive Frater Uxoris.

„ MXLI. ADALBERTUS Marchio pro *Petro* apud *Hain-* „ *ricum* Tertium Romanorum Regem, ei pariter affinem, in- „ tercedens, ei auxilium impetrat. „ MXLII.

„ MXLII. Hainricus Rex cum exercitu per Ofterrichiam „ intrat in Hungariam. & Comitem belli fecum accipit „ ADALBERTUM. Cum Patre vadit & filius *Liupoldus.* „ Vaftatur Regnum, & *Ovo* maximam cladem accipit: ubi „ ADALBERTI & *Liupoldi* fortitudo maximè enituit. Pan- „ nonii coguntur vel *Petrum* recipere, vel alium è fuis Du- „ cem fequi, quem Rex *Hainricus* deputavit, depofito *Ovo-* „ *ne.* Sed quia Ungari neque *Petrum*, neque novum Ducem „ volebant: *Ovo* tandem fe valde humilians, impetravit ab „ *Hainrico*, ut fibi regnum permitteret. Addiderat ille pre- „ cibus etiam dona: è quibus ADALBERTUS *magnam fal-* „ *vificæ Crucis Particulam accepit, quæ olim Sancto Stephano* „ *Regi donata fuit.*

„ MXLV. ADALBERTUS Marchio non fortitudine tan- „ tùm, fed etiam pietate, prudentia, & æquitate infignis, „ *Sanctæ Crucis Particulam in Ecclefia Medilik religiosè, & fo-* „ *lenniter deponit.*

En epocham anni, quô miraculofa Particula Sanctæ Crucis in Mellicenfis Afceterii Ecclefiâ repofita fuit; quam non ignorare magis delectat, quàm cum Grammaticis fcire quo anno Argonautæ aureum vellus ex Colchide reportarint.

§. XII.

In Monafterio ad S. Michaelem Hildefiæ.

S. Bernwardus, Epifcopus Hildesheimenfis priusquàm fabricam Bafilicæ Monafterii S. Michaelis abfolvit, Oratorium, feu facellum, in quo Monachi interea divina peragerent, ædificavit, eique falutiferi ligni partem Ottonis III. donum, intulit. Rem geftam Tincmarus in vita (*ddd*) S. Bernwardi in literas his verbis retulit. „ Sacel-

T „ lum

(*ddd*) Extat apud Mabillon. Actor. Benedictin. fec. 6. part. 1. pag. 207.

„ lum etiam ſplendidum valde foris murum in honore miri-
„ ficæ Crucis extruxit, cujus etiam aliquantam partem,
„ largiente domino tertio Ottone Auguſto Imperatore, ibi-
„ dem clariſſimis gemmis auróque incluſam condidit; ubi
„ etiam divina pietas plurima ſuæ pietatis indicia, apertis
„ ſignorum miraculis per virtutem ſanctæ Crucis oſtendit.
„ Inter quæ illud unicum, quo Dominus Antiſtitis noſtri
„ devotionem conſolari dignatus eſt, inſerere libet. Nam
„ venerabilis Pontifex Bernwardus, thecam auro gemmíſ-
„ que lautiſſimam, in qua vivificum lignum includeret,
„ paravit, & cum ex tribus particulis, ſancti ligni, quar-
„ tam ſi fieri poſſet, excidere tentaret, ut per ſingulas ab-
„ ſides (*eee*) ſingulas connecteret portiones, ne gracilitas,
„ vel parvitas, quacunque ex cauſa ſectionem admitteret:
„ cùm devotiſſimus DEI famulus animo fluctuaret, ecce
„ ſubitò inter manus ipſius antiſtitis quarta pars ſacratiſſimi
„ ligni, angelico, ut creditur, miniſterio ſibi delata appa-
„ ruit. Mox igitur Præſul Chriſti, lœtus lignum ſanctum
„ per quatuor abſides paravit. O quanti inde portantes
„ ardorem vehementiſſimæ febris ſæpius virtute ſanctæ Cru-
„ cis reſtinguebant. Multotiens ortam aeris inæqualitate
„ peſtilentiam fideles hoc vivifico ligno ſe ſuáque luſtrantes
„ ſedaverunt. Nimiam etiam ſiccitatem, prolato in publi-
„ cum hoc ſingulari ligno pluviis imperantes, repulimus,
„ multáque virtute ſanctiſſimi triumphi, fiunt quotidiana
„ remedia, dum quisque mœrens ibi proſtratus, prompta
„ percipit ſollatia. Ipſum verò ſacellum ſanctæ Crucis va-
„ rio decore perfectum dedicavit quarto Idus Septembris
„ anno Incarnationis Dominicæ nongenteſimo nonageſimo
„ ſexto, indictione nona, regni verò glorioſiſſimi tertii Ot-
„ tonis Imperatoris decimo tertio, imperii primo, ordina-
„ tionis autem ſuæ quarto: locúmque quondam dumis &
„ ve-

(*eee*) an fortè legendum apices?

„ vepribus horridum vicinis incolis, gloria tibi Chriſte, ex
„ tuis datis, baptiſmi, ſepulturæ, unctionis æternæ fecit
„ ſolatium. Hactenus Tancmarus.

Hæc Crux, ut Browerus in ſcholiis ad vitam S. Bernwardi pag. 96. obſervat, in S. Michaelis cimeliis aſſervata, magno adhuc in pretio ac veneratione eſt. Et viſitur ibi Pontificis effigies vario emblemmate, & parergis ornata, Crucem hanc dextera, læva pedum tenentis. In hac & Angelus cœlo devolans apicis ſupremi ſignat veſtigium, cui ſcilicet cum Crucis tantilla portio deeſſet, ſupernè delata & infixa creditur. Nec aliter Eccleſia Hildenesheimenſis hujus ſui Patroni imaginem, quàm cum hac Cruce exhibere conſuevit.

§. XIII.

In Sacro Monaſterio Caſinenſi.

DUas partes S. Crucis, alteram ab Hieroſolymis, alteram à Conſtantinopoli in ſacrum Montem Caſinum allatas fuiſſe lego in Chronico Caſinenſi. Aligernus Abbas ſacri Archiſterii Caſinenſis circa annum 986. Leoni, fratri ſuo & monacho ejuſdem loci profeſſo poteſtatem fecit, ut Jeroſolymam ire, locáque Chriſti veſtigiis conſecrata devenerari poſſet. Redux Leo ex itinere, ut alter Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi lib. 2. cap. 11. fidem facit, *portionem ligni Crucis Dominicæ non parvam auro & gemmis pretioſis ac margaritis ſecum ab Hieroſolymis detulit: & huic Sancto Cœnobio devotiſſimus obtulit die nono Novembris.*

Angelus Nuceus in obſervationibus ad Leonis Marſicani Chronicon Caſinenſe huic loco iſthanc appoſuit notam. *Inter Cimelia Caſinenſia veneramur adhuc non parvam ſacri ligni portionem. An verò illam, quæ à Leone Monacho huc illata eſt? non conſtat.*

 Adeſt

Adeſt verò adhuc alia Dominicæ Crucis portio in eodem Aſceterio, ut Petrus Diaconus Leonis Marſicani Continuator lib. 3. c. 55. his verbis teſtatur: *His porrò temporibus* (circa annum 1078.) *quidam Amalfitanæ civitatis nobilis, mundo, mundaniſque omnibus renuntians ad hunc locum pervenit, & à Deſiderio* (Abbate, poſtea Victore III. hujus nominis Romano Pontifice) *gratanter ſuſceptus, & Monachus factus partem non exiguam Ligni ſalutiferi & vivificæ Crucis auro & lapidibus pretioſis ornatam, & in aurea ycona locatam, quam ipſe de palatio Conſtantinopolitano abſtulerat in conjuratione, quæ contra Michaelem Imperatorem facta eſt.*

§. XIV.

In Monaſterio Wiblingano.

CRux Thaumaturga donum eſt Fundatorum Monaſterii Harthmanni & Othonis, illuſtrium Comitum de Kirchberg. Unde hi verò illam acceperint, capite præcedenti à nobis dictum fuit. Per plura ſæcula ſuos habuit cultores & adoratores. Ab eo autem tempore, quo hæreſes, Lutherana & Calviniana, novos Crucis Chriſti inimicos, infelici ſatû progerminârunt, ab his non de nihilo metuendum erat. Flagrante bello tricennali Monaſterium à Joachimo Wiclaff, Duce Suecico, anno 1633. Menſe Auguſto occupatum fuit. Is verò cùm ſe legitimum Wiblingæ Dominum jure belli non modò diceret, ſed militari etiam licentiâ ferret, quid Joannes Abbas faceret? Cùm de cæteris omnibus eſſe actum videret, omnem curam & ſollicitudinem eo intendit, quâ potiſſimùm ratione Crux Thaumaturga, ceu pretioſiſſimus Wiblingæ theſaurus ad pacatiora tempora ſalvari poſſet. Tandem (*fff*) maturâ conſulatione in unam itum ſententiam ab Abbate, & duo-

(*fff*) Vid. Templum Honoris Wibling. pag. 130.

duobus ſenioribus, P. Magno Pfiſtero, & P. Conrado Oeffelino, viris omni exceptione majoribus, ut theſaurus ille, Chriſti ſanguine ſanctificatus non alio transferretur, ſed domi, loco decenti, cæteris omnibus ignoto, ſalvus aſſervaretur, credentibus hunc unicum tuendo Monaſterio, ſi quid fatalitatis obtingeret, ſufficientem fore. Noluit prudens Paterfamilias Sacramentum Regis omnibus innoteſcere, ne vi, aut metû dolóve adactus unus aut alter id palàm faceret; quod experientia compertum, ſecretum eò fore tenacius, quò occultius. Sed ut fieri amavit tantâ rerum viciſſitudine, peſte, fame, bello turbantibus omnia, è vivis ſacramenti arbiter aufertur cùm primis Rmus D. Joannes anno 1635. d. 17. Julii. Elapſis vix ſeptem diebus ſuccedit eidem fato P. Conradus Oeffelin alter, & quod deterrimum denique eodem anno P. Magnus Pfiſter, Prior in lectum aſcendit, ex quo non ampliùs deſcendit, cùm paulò ante obitum, Capitularibus cæteris, tum Conſtantiæ de eligendo Benedicto in Abbatem degentibus, F. Gothardo Schal, Converſo infirmario, manifeſtare cuperet, præ doloribus autem ex integro nequiret. Unde factum, ut cæterorum omnium notitiam fugeret. Quis ex reditû dolor omnium præ cæteris Benedicti Abbatis animum tetigerit, non eſt, quod facile dicam. Unde theſaurum ſibi, ut rebantur, innocenter ſubreptum, abſque conſolatione lamentabiter conqueri, cœlúmque votis inſtanter pulſare, non tam Pater, quàm filii, integro quadriennio cœpere, donec mirabilis Deus pro majori ſui nominis gloria, & SS. Crucis celebritate latentem hactenus theſaurum, ſequentem in modum patefecit.

Quod diximus, Sacramentum Regis non ſic intra perſonarum triadem tractari potuit, ut & operarii cujuſdam fidelitatem iiſdem aliunde ſpectatam latuerit. Cœmentarius is erat Monaſterio ab opera quotidiana, vir grandævus & multæ fidei, quem non dubitabant, illud occulere poſſe. Hic bo-

nus vir, cùm omnia susque deque verti animadverteret, incumbentia mala prævertere cupiens, salutem in fuga quæsiit, seque in salvum, probabiliter patriam suam Carinthiam recepit. Ubi cùm quadriennium insumpsisset, multo jam senio confectus, stimulis actus est perennibus, ut adhuc semel Sueviam reviseret, latentémque thesaurum, suô artificio terræ concreditum panderet; quibus denique, si bene mori vellet, ut fatebatur, cedendum existimans, præter omnem exspectationem, Wiblingam advenit publica omnium gratulatione & gratiarum actione exceptus, locum retrò Altare majus digito monstravit, coctos lapides removit, & Taumaturgam Crucem nostram reperit illæsam. Quæ res cùm propè Exaltationem SS. Crucis contingeret, Benedicto Abbati argumento fuit, ut servato quidem ordine Ecclesiæ, Inventionem SS. Crucis, quasi secundam in Exaltatione ejusdem celebraret, communi, licèt ad tertiam partem per pestem dimidiati populi lætitiâ, plausû, & exultatione: Cujus pro tanta hominum paucitate, qualemqualem solemnitatem, verbis Ernesti Rm̃i D. Abbatis concelebrantis hîc aperio:

Horâ VIII. signum ære campano ad Concionem datum; sermonem ad populum Rm̃us D. Abbas habuit, proposita unicâ figurâ arcæ fœderis Domini &c. soluta concione instituta est processio hoc ordine; Prælata est Crux de antiquissimo Catholicorum more, secutum vexillum, successerunt quatuor juvenes Angelico habitû ornati; post hos duo lampadiferi, deinde Diaconus, & Subdiaconus, jam ipse Abbas sacratissimum pignus Fundatorum argenteæ grandi Cruci inclusum ferens; proximè ibant duo juvenes, mitram & pastorale pedum ferentes; quibus succedebant cum luminibus vicini Nobiles, & commune licèt tenue vulgus, seu devotione colendi, seu curiositate Crucem inventam videndi insusum. Postquàm ad Altare B. V. perventum, Abbas in supremo gradu constitutus SS. Crucem populo monstrans: Ecce lignum Crucis &c. altâ voce cantavit. Quo per Conventum absoluto, supradicti qua-

quatuor juvenes Germanicis rythmis Crucem ſalutarunt, ſtatimque cantiunculam convenientem junxerunt. Denique Abbas præſenti populo SS. Crucem deoſculandam porrexit.

Manſit hac ratione ſacra Crux Wiblingæ per aliquot annos cultû publico honorata. Poſtquam verò Galli Suecis juncti aperto Marte Cæſarem aggreſſi fuerunt, Wiblinga ab hoſtibus direpta, incenſa, ac miſerum in modum devaſtata fuit. Quare Abbas (*ggg*) Benedictus cedendum ratus, donec pacatiora ſuperviveret tempora, arreptâ ſecum SS. Crucis particula thaumaturgâ San-Gallum profectus eſt; ubique ob allatum ſecum theſaurum ſummâ veneratione exceptus. Inter inſigniora SS. Crucis miracula eniteſcit illud, quô puella in San-Gallenſi Eccleſia, ad expoſitionem tanti theſauri toto corpore clauda, inſtar quadrupedis repens, integritatem greſſuûm, ſanitatémque membrorum recepit, ſtupenti hominum frequentia, SS. Crucem uſque in Cœlum laudibus extollentium. Pace autem an. 1648. Germaniæ reſtituta, & ipſa SS. Crux Wiblingæ reſtituta fuit.

§. XV.

In Monaſterio Schirenſi.

SChira nobile & antiquum Bavariæ Monaſterium eſt. (*hhh*) In eo ab annis propè ſexcentis aſſervatur & religiosè colitur Crux ex ligno Dominicæ Crucis confecta, quæ quaſi ſpithamæ unius longitudine, latitudine duorum eſt granorum (quorum quatuor faciunt unciam, ſeu digitum) Dividitur verò, cum ſupra, tum nonnihil infra medium transverſis portionibus, quatuor quidem unciarum circa ejuſdem umbilicum; duorum circa verticem. Porrò extrema ipſa ſena, formâ ſemilunari facta & effigiata cernuntur.

De

(*ggg*) l. c. pag. 123. (*hhh*) Ex Caroli Stengelii Monaſteriologia.

De hac Cruce ita Aventinus anno Chriſti MCLVI. *CONRADUS iſte Dux Dalmatiæ, Comésque Dachuni ſalutiferæ Crucis ſacroſanctique ligni magnam partem ab Heraclito Patriarcha Hieroſolymitano impetravit. Hoc quoque omine, quicunque preſſus inopia valetudinéve adverſa Solymos proficiſci nequiverit, non minorem veniam, quàm ſi illuc iviſſet, conſequitur: ſiquidem donaria pro ſua pietate elargitus fuerit. Hoc ſacroſanctum munus Conradus Dux Cœnobio Schirenſi tradidit. Ubi adhuc ſervatur, ac magna reverentia celebratur: convenit huc certatim ſingularum ſeptimanarum ſexto quoque die populus ac Sacerdotes complures, uti conſpeximus.*

Fama conſtantiſſima manat (ſicuti ego quoque à gravibus viris accepi) quicunque hanc ſacroſanctæ Crucis partem, dum ei monſtratur, conſpicatus non fuerit, aut crimini flagitioſo obnoxium eſſe, aut eodem anno procul dubio moriturum. Id quod mea memoria eventû probatum ſæpiùs audivi. Admodùm fabrè, magnificéque hæc ſacra argento, auróque incluſit Reverendus Pater Dominus Joannes Tarbeit Monaſterii Schirenſis mea ætate Abbas, ſingularis prudentiæ atque diligentiæ homo. Extant adhuc, ac diligenter, & adhuc integra ſervantur, & obſignata duo diplomata Friderici (Folcherli) & Heracliti Patriarcharum, cum Græcarum literarum inſcriptione, ex quibus pleraque excerpſimus.

Ea Diplomata integra cum pererudito commentario & notis reperies in ſecunda parte Horti S. Crucis R. P. Jacobi Gretſeri S. J. qui & inter cætera ad dicta verba Aventini; *Ab Heraclito Patriarcha Hieroſolymitano*, hæc notat.

Nec ab Heraclito; nec ab Heraclio Conradus Dux Dalmatiæ partem Dominicæ Crucis impetravit; quia Heraclius multis demùm poſt mortuum Conradum Ducem Dalmatiæ annis; creatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus; ſed ſub Folcherio Patriarcha, & Conrado Duce Dalmatiæ, Crux, de quâ prius diploma, vi Canonico Hieroſolymitano adempta fuit; quam poſtea Conrado de Dachaw, prioris Conradi filio, Heraclius

raclius Patriarcha donavit; sed iis conditionibus, quas ipsum Diploma requirit.

Aventinum etiam emendat Stephanus Abbas Schyrensis in Chronico *Conradi Schirensis*, quod quibusdam additionibus, & notis auctum luci publicæ dedit an. 1623. sic verò loquitur: „ Alterum (Aventini) erratum est, quod à Conrado Duce Dalmatiæ & Comite de Dachau insignem thesaurum, & ornamentum, magnam nempe Dominicæ Crucis partem adeptus sit. Verùm non hunc Conradum filium, sed patrem ejus Conradum itidem Schyrensibus Crucem attulisse fama est vetus, ut scribit supracitatus R. P. Jacobus Gretserus; cui suffragantur verba illa Eraclii Patriarchæ in II. Diplomate ad filium Conradum: *Quam quidam de notitia vestra temporibus Patris vestri à quodam fratre nostro abstulerunt.* Et ampliùs sententiam hanc confirmat, id, quod scribit Conradus supra in historia, Conradum Patrem Monachum postea factum esse. Eum autem Conradum, qui ad Schyrenses Crucem attulit, Monachum fuisse aliquando apparet ex ejus tumulo, qui in ambitu circa capellam omnium Sanctorum cernitur, supra quem aliquis religiosus manibus Sanctam Crucem in ea forma, quâ allata est ad nos, gestans, depictus visitur. Quam perantiquam picturam designare Conradum Donatorem & Custodem Crucis, Monachum factum apud nos, fama est ab antiquo. Id quod filio Conrado quadrare non potest.

Hæc autem pars Dominicæ Crucis est inclusa magnæ thecæ argenteæ & inauratæ, ex quâ tamen extrahi potest ad faciliùs portandum, & eandem piè deosculantibus exhibendum. Color ejus, qui hîc exprimi non potuit, est spadiceus seu castaneus. In cujus inferiore extremitate apparet fixura quædam quasi cultro facta: quam quendam extraneum infixisse, & in ipso fixuræ actu excæcatum obmutuisse, & tertia die miserè expirâsse fama est vulgatissima. Quia verò

præter hanc nihil inſcriptis mandatum invenio, ejus rei factum longiùs recenſere ſuperſedeo.

Accurit ad hanc Crucem colendam quot annis in feſto ejuſdem inventionis ex locis & Diœceſibus vicinis, Friſingenſi (in quâ hic locus ſitus eſt) Auguſtenſi, Ratisbonenſi, & paſſim aliis multitudo ad quatuor circiter millia & amplius hominum: quorum non pauci Sacramenta pœnitentiæ & Corporis Domini ad Indulgentias, quæ jam ab anno 1617. conceſſione ſummi Pontificis eo die plenariæ ſunt, participandas obeunt. Abſolvuntur quoque eadem conceſſione ſummi Pontificis eodem feſto & per annum à deputatis ad id patribus conventûs accedentes ab hæreſi &c. & aliis gravioribus & enormibus peccatis reſervatis innodati.

Quovis præterea anno à tempore jam immemorabili die Veneris proximè ſequenti poſt dictum feſtum Crucis inventæ, fit proceſſio, cum eadem Sancta Cruce, quâ cum tota parochia circumitur in equis. Inter circumeundum ad quatuor plagas, & loca deſtinata ſubſiſtitur, ex equis deſcenditur, initia quatuor Evangeliorum cum certis collectis decantantur. Et ad quatuor Eccleſias Parochiales divertitur: Quarum tres Eyrmbach/ Merzenbach/ Pfaffenhoven in Auguſtenſi, & quarta in Hettenzausen in Friſingenſi Epiſcopatû ſita eſt. A quorum locorum incolis, obviis proceſſionibus, non ſine magna pietate, ſuſcipitur, & ad Eccleſiam deducitur; ubi à cunctis facta ejuſdem Crucis pia & religioſa deoſculatione; & allatis hinc inde roſariis ejus attactû ſacrandis, non ſine gratiarum actione à parocho loci publicè facta in viam cum eadem proceſſione non minori pietatis ſtudio quàm priùs ſuſcepta fuerat, dimittitur. Ex quo cultu Sanctæ Crucis tantam confidentiam capiunt paſſim omnes, per quos tranſitur, ut vel hoc ipſo ſe ſecuros & immunes fore à grandine & reliquis aeris malis ſibi polliceantur. Incipit hæc proceſſio manè horam circiter quartam, ante exitum uno, in Monaſterio,

sterio, & altero in Eyrmbach facto sacro (ad quod omnes illi, qui primo interesse non poterant, ex equis descendunt) Et confecto toto circulo circum comitatum Schyrensem, ad medium sextæ circiter sæpe dicta S. Crux Schiram reducitur. Numerantur in singulos annos huic processioni interesse ad ducentos propè equites. Et hæc de cultû anniversario Crucis Schirensis. De qua etiam nonnulla Aventinus in Annalibus hujus loci anno 1156. Cui suam fidem relinquo, mihi verò quod asserit, eum, qui eandem Crucem ostensam sibi non conspicatus fuerit, vel enormi flagitio obnoxium, vel illo anno moriturum esse, nihil præter ejus assertionem constat. Duo diplomata unum à Fulcherio (significato per literam F. in diplomate) alterum ab Eraclio (significato per literam E.) Patriarchis Jerosolymitanis adhuc apud nos illæsa conservantur. Quæ notis & quæstionibus suis illustravit suprà dictus R. P. *Jacobus Gretserus in Horto suo de Cruce Schyrensi.* In quibus unicum videtur immutandum. Estque illud, quod in citato libro quæstiunc. IV. quærit: Utrùm Crux Schirensis sit illa ipsa, quæ in primo diplomate describitur? Cui quæstioni respondet, videri diversam: idque scribit ex conjecturâ quâdam (quam sibi propositam etiam probavit Marcus Welserus Duûmvir Augustanus) ductâ ex hoc solo fundamento: quod cum diploma loquatur de variis reliquiis Cruci circumcirca conjunctis, nullæ autem harum cum hac Cruce appareant, inde non malè conjici esse aliam Crucem ab ea, quæ in diplomate describitur. Verùm cùm eædem reliquiæ, & de illis ipsis locis Christi Domini, & B. Virginis tactû sacratis, quas diploma exprimit, adhuc hodie præsentes in quinque cornibus majoris thecæ Crucis inclusæ lateant (quas quidem anno 1613. explicata & apertâ dicta à me theca ipse vidi) & Catalogus reliquiarum atque locus separatus in antiquâ thecâ, in quâ cum Cruce allatæ sunt illæ reliquiæ, coram testentur, non video, quare non eadem Crux sit, & haberi

beri debeat, quæ in primo diplomate describitur. Veniam tamen facilem hujus conjecturæ meretur auctor, qui non fuit informatus à Schirensibus, dum eorundem Crucem scriptis suis exornaret: quo suo labore non tantùm Crucem Schirensem, sed etiam ejusdem custodes Religiosos nimirum Schirenses æternum sibi devinxit, qui proin precantur Deum, ut pro mercede consequatur, sed serò, quod nomine ejusdem S. Crucis promittitur Ecclesiastici 24. *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt.* Neque vitio quisquam mihi dabit, quod hîc extra rem & propositum in cultu Crucis hæream, cùm eidem per professionem religionis viginti tres annos lubens non in alio, quàm in hac Cruce Domini mihi gloriandum ducam: quidquid enim universi boni, ornamenti, & splendoris obtinet hic locus Scheyrn, super omne illud eminet, vincit, & transcendit Sancta & præclarissima Crux ex ligno Dominicæ Crucis confecta: & jam ab annis 465. & amplius hîc religiosè asservata & culta. Eò præsertim quia ille qui desiderio flagrans, vel voto obligatus Dominicum Sepulchrum visitandi, illud verò ob infirmitatis, paupertatis, longi itineris &c. impedimentum personaliter perficere non potest, tantum mercedis, si hanc Crucem Schyræ visitet, veneretur, & pro modulo suo donaria elargiatur, consequitur, quantum consequuturus foret, si illud Dominicum sepulchrum Jerosolymis visitaret, coleret, & aliquid ad illud elargiretur. Ita expresè habet diploma primum infra n. 9. A. cum secundo n. 9. B. positum. Nec illustria, eaque recentia miracula deforent, quæ lectorem ad cultum hujus S. Crucis excitare possent, nisi ab instituto alienum foret, ea hîc referre. Hactenus Stephanus Abbas Schyrensis pietatis & doctrinæ laude conspicuus in Chronico Conradi Schyrensis à se additionibus & notis aucto pag. 30. & seq.

§. XVI.

§. XVI.

In Monasterio Donawerdano.

IN hoc celebri Monasterio asservatur ac religiosè colitur portio ligni S. Crucis, quam MANGOLDUS fundator ex Græcia secum tulerat, ut Capite præcedenti tetigimus; ejus descriptionem hîc accipe.

Tabella ipsa laminâ constat aureâ, lichadis unius longitudine; latitudine minor, unciâ. In hujus medio Crux est, ut vulgò vocant, Hierosolymitana; longitudine digitali; capitello constans & basi ex eadem ligni materiâ. Duo alia transversa ligna, quæ partim è medio, partim nonnihil post fastigium promicant; non pari omnino constant magnitudine. Quod enim medium occupat, duorum propè pollicum est: Alterum, nonnihil est brevius. Basis & fastigium, æquabili pro portione brevitate præstant. Latitudo omnium ferè par est: nisi quòd partes illæ, quæ fastigio propiores sunt, minores, tenuioresque appareant. Trium autem est granorum. Porrò ne Crux ipsi tabulæ insita insertáque labet: argenteis uncinis supra infráque geminis innectitur. In quatuor angulis quaterna sunt ostiola, quæ reliquiaria totidem occludunt, celántque. Reliqua in hoc tabellæ aureæ spatio, parerga, ut stellæ, rosæ, scutáque bina obtinent.

Quæ quidem tabella S. Crucis aurea, margine itidem aureo cingitur, insignitúrque cum unionibus prægrandibus sexdecim: quibus scutulis suis vel orbiculis intermicant gemmæ undeviginti magnitudine, ac pretio variæ atque dispares: ut sunt adamantes, pyropi, smaragdi, amethysti, sapphiri. Quod quidem emblemma sertúmque gemmeum, quod Sanctæ Crucis hujus iconismum ambit, munificentia donatum, & oblatum est MAXIMILIANI I. Imperatoris religiosissimi, & liberalissimi; Pars enim postica tabulæ hujus, quæ grandiuscu-

lis literis epigraphen præfert, eam Imperatoris hujus pietatem & beneficentiam disertè prædicat: sic autem habet.

MAXIMILIANUS. RO. AC UNGARIÆ REX. ARCHIDUX. AUSTRIÆ. DUX. BURGUNDIÆ. &c. ME. 12. KAL. MAY VISITAVIT. ANNO. DNI. 1496. QUI HUIC ECCLESIÆ. SCE CRUCIS. WERDEE. PER. MANGOLDUM. EX. NOBILIORI GENERE. ELPHECIORUM. DE. SANGUINE. DUCUM. SUEVIÆ. TUNC. ECIA. COMITEM. IN. DILINGEN. CUM FUNDATIONE. ME. DONATA AMPLIUS. DECORAVIT. NAM. ET. IPSO. NULLUS. VIVENCIUM. LONGE. AUT. PROPE. PLUS. TRAXIT. ORIGINEM. DE. HABSPURGENSIBUS VEL. KIBURGENSIBUS. PARTICEPS. ET. IPSE. SIT. DEVOCIONIS. IN ÆUUM. AMEN. CONSUMMATUM EST. HOC. OPUS. ANNO. DOMINI. MILLESIMO. QUINGENTESIMO. TERTIO. DECIMO.

Epithema verò seu operculum, quo S. Crux tegi solet, est hujusmodi. Septenas continet imagines, ex opere tessellato, Mosaico, seu Musivo, quo imaginum genere olim Græci valde delectabantur; & hoc etiam ævo delectantur. Supernè ad dexteram, visitur icon *Joannis Baptistæ*, orbi inclusa; additis his characteribus Græcanicis; ὁ ἅγιος πρόδρομος, *Sanctus Præcursor.* Ad lævam conspicitur effigies *S. Joannis Evangelistæ* cum hac designatione ὁ ἅγιος ἰωάννης θεολόγος, *S. Joannes Theologus.* Infernè ad dexteram, apparet ὁ ἅγιος πετρος. *S. Petrus.* Ad sinistram, ὁ ἅγιος παῦλος. *S. Paulus.* In medio cernitur imago Deiparæ solio insidentis, & in gremio puerulum JEsum gestantis, additâ hac inscriptione; Μήτηρ θεοῦ *Mater Dei.* Ad dexteram Virginis, intra eundem ambitum, est imago *Michaelis Archangeli;* ad sinistram, *Gabrielis.* Illi adscriptum est Μιχαὴλ; huic Γαβριὴλ. Sub Angelicis icunculis appa-

apparent characteres nonnulli, quorum expositionem sagacioribus relinquo; nam mihi quidem hîc sunt densæ tenebræ. Non ambigo tamen referendos ad Deipariam Virginem, & puellum Christum, quem in sinû gestat. Opus & formâ seu schemate & imaginibus planè est Græcanicum, ut agnoscent, quibus vel modica Græcarum rerum notitia suppetit. Ingens olim cùm prisca pietas in Germaniâ adhuc floreret, ad hanc Crucem factus est omnium hominum concursus. Præsertim festis *Inventæ* & *Exaltatæ* Crucis, & die, quo Templi S. Crucis dedicatio peragebatur. Multis miraculis claruit. Commemorabile est illud, quod contigit anno Redemptoris M.CCC.XVII. 4. Kal. Febr. cùm opposituS. Crucis sævissimum incendium restinctum est, ad eum ferme modum, quo S. PAULINUS olim similis portionis de S. Cruce objectu populabundis flammis terminum fixit: de quo lege P. Gretf. tom. 1. lib. 1. c. 85. de S. Cruce: certè ob crebritatem miraculorum, quæ virtute hujus Crucis edebantur, fecit quidam patrum memoriâ hos versiculos leoninos.

Crux pia Werdensis, non præterit horula mensis,
Quin radiet dignis per sex nunc secula signis.

S. LEO IX. Pont. Max. mandavit, ut Sacrosanctæ Crucis portio, quam præfatus fundator, Comes MANGOLDUS, dum nomine Imp. Conradi Salici legatione Constantinopoli fungeretur, ex Græciâ secum attulerat, & tanquam pretiosissimum thesaurum dicto Cœnobio contulerat, perpetim in Monasterio Werdensi maneat; dicto & lato in illos, qui quid contra tentaverint, anathemate. *Nos*, inquit S. Pontifex, *quia locus ipse conditus est propter eam, quæ supradicta est, Sanctæ & vivificæ Crucis portionem; eandem inibi semper manere volumus, cupimus & optamus, & à nemine auferri, statuentes Apostolica censura sub divini judicii obtestatione, ut nullus Imperator, nullus Rex, nullus Episcopus, nulla præterea magna parvâque persona, eandem vivifici ligni portionem ab ipso Monasterio*

ſterio audeat auferre quolibet modo. Quod idem poſtea INNOCENTIUS II. Apoſtolica authoritate præcepit: *Decernimus, ut nulli omnino hominum liceat portionem ligni vivificæ Crucis, quæ in eodem loco recondita eſſe creditur, pro cujus honore Cœnobium factum eſt, exinde amovere.*

Nec deſunt divinæ ſeveritatis & vindictæ exempla in eos; qui Crucem hanc furtivis manibus harpagare conati ſunt, ut Annales Werdenſes memorant, teſte Carolo Stengelio in Monaſteriologia in deſcriptione Monaſterii S. Crucis Werdeæ Suevicæ.


§. XVII.

In Monaſterio Trevirenſi S. Mathiæ.

Cùm Conſtantinopolis à Latinis anno 1204. obſeſſa, expugnata, & direpta fuiſſet, Reliquiæ Sanctorum magni pretii in varia Occidentalis Eccleſiæ loca exportatæ fuerunt. *Multis enim*, inquit Otto de S. Blaſio cap. 49. *occiduis regionibus divitias tunc Græcorum invectas, ac præcipuè ornatum templi, quod Juſtinianus Imperator Sanctæ Sophiæ quondam exſtruxerat, cum multo auri pondere, & reliquiis Sanctorum innumeris magna ex parte Venetias translatum, ſed regiones alias item civitatéſque iiſdem reliquiis & theſauris cumulatas. Quippe ultionem genti ſuperbæ contigiſſe, tametſi ſeram, quæ quoties peregrinos majores afflixerat, & violarat, toties Saracenis ſanguinem Chriſtianum prodiderat; cecidiſſe itaque non Saracenorum, ſed Chriſtianorum manû: hoc meritis Sanctorum poſtulantibus, quo ne præclaræ, ipſorum reliquiæ Saracenorum manibus polluerentur, ſed à Chriſtianis aliò translatæ juſto debitóque ſuo colerentur honore.*

Nobiles inter Equites Urbis Trevirenſis, qui ſacræ militiæ interfuerunt, *Henricus ab Ulmena*, vir patria in civitate mili-

militiæ morúmque principatû nemini ſecundus exſtitit. Quæ verò in templorum direptione ſibi vindicavit, ea plurium in Treviris Eccleſiarum ornamento conſecravit. Ea Crucis Sanctæ portio, quam in ædem Monaſterii S. Mathiæ pia munificentia intulit, octo circiter digitorum longitudine, quâ ſuperat omnes, quæ quidem in Treviris exhibentur. Ligni ſancti color hîc, quàm in cæteris vivacior: Conformatio, quam nunc exprimimus.



Tabula, cui inhæret, ex lamellis multo auro argentóque cœlatis, diſcolori metallo, lapidibúſque & lipſanothecis more cæterarum adornata. Epigraphe (*iii*) talis legitur:

ANNO AB INCARNATIONE DOMINICA MCCVII. HENRICUS DE ULMENA ATTULIT LIGNUM SANCTÆ CRUCIS DE CIVITATE CONSTANTINOPOLITANA, ET HANC MAGNAM PORCIONEM IPSIUS LIGNI SACRI ECCLESIÆ SANCTI EUCHARII CONTULIT.

X §. XVIII.

(*iii*) Vid. Broweri Annal, Trevir. Tom. 2. pag. 103.

§. XVIII.

In Monasterio Lacensi.

NEque Lacense Monasterium Vir illustris, *Henricus ab Ulmena* immune reliquit, isthuc importato salutaris ligni pretiosissimo quoque dono; unde nomen ejus aureis mandatum literis, ad posteritatis memoriam, his etiam versibus celebratur:

VIR MERITIS CLARUS HENRICUS IN ULMENA. NATUS CONTULIT HOC LIGNUM NOBIS VENERABILE DIGNUM, QUOD GRÆCIS VICTIS ADVEXIT PARTIBUS ISTIS, ALBERTUS CLAUSTRO QUO TEMPORE PRÆFUIT, AURO SIC EXORNAVIT, DEUS HOC QUOD GLORIFICAVIT.

Situm est Lacense Monasterium in Diœcesi Coloniensi inter Andernacum & Kempenichum ad Lacum vastæ magnitudinis, unde nomen traxisse videtur, anno 1093. à Comite Henrico Palatino condi cœptum, & anno 1112. ab ejus privigno Sigfrido ad fastigium perductum. *Vid. Brower. l. c. pag. 103.*

§. XIX.

In Parthenone Trevirensi S. Martini.

EST adhuc Treviris alia S. Crucis insignis portio in Ecclesiâ Benedictini Parthenonis ad S. Martinum. Hanc Cardinalis Cusanus Apostolicæ Sedis Legatus in Germaniam, quam ingenti pietatis ardore implevit, anno 1451. veneratus est. Ipse Treviris sanè, cùm augustissimas quasque Divorum Basilicas religione & vetustate celebres obiit cum Archiepiscopo Jacobo, ædem Martinianam ingredientem,

quæ

quæ Benedictinæ professionis est, rogasse Jacobus proditur: Quoniam ipse quidem multas præclaras urbes, aliáque præcipua antiquitùs religione culta loca Pontificis Legatus visisset, promeret verò nunc, ubi terrarum sanctorum hominum reliquias vel vidisset, vel crederet extare, quàm hîc usquam pretiosiores. Tum per fidem suam juràsse Legatum præstantiores quàm Treviris, haud alicubi temerè se perlustràsse oculis; maximè verò, posteaquam è Divi Martini sacrario prolata Sacrosanctæ Crucis ligni salutiferi pars magna, quæ Christi Domini sanguinis guttas, ceu præsentes aspectui subjiceret. Porrò istoc Cardinalis responso permotus Jacobus, magnáque religione tactus, id gloriosum triumphalis signi monumentum, quandocunque rem istic divinam fecit, ante oculos proponi suos, & in arâ, quâ sacrificabat, collocari voluit.

Wiricus autem Comes Obersteinius, hujus testis narrationis, qui & Jacobi Consiliarius, & Philippi Coloniensis inde Pontificis parens extitit, quamdiu illi vita comes, identidem Basilicam eam summâ cum religione frequentavit, vinóque ligno sacratissimo supersuso crebras se profligasse corporis infirmitates, patribus est narrare solitus. *Vid. Brower. Annal. Trevir. Tom. 2. pag. 286.*

§. XX.

In Monasterio Cormariceno.

ANnus agebatur MCIII. cùm sacræ quædam reliquiæ è locis Sanctis Cormaricum à *Guillelmo* cognomento *Ludovico*, ejus loci quondam Monacho, allatæ, perhibentur. Erat is è castro Turonis proximo, quod Rupes vocatur, oriundus, qui factus Cormarici Monachus, æmulorum exagitatus invidia, Constantinopolim abiit, ubi Alexio Imperatori notus & carus evasit. Inde semel & iterum ad loca sacra pro-

fectus, plurimas ex eis reliquias retulit. Postmodùm Salpinæ civitatis in Apulia creatus Episcopus, Cormariceni Monasterii haud immemor sacras illas reliquias istuc attulit, in his de ligno Sanctæ *Crucis*, quod per ignem probavit. Quæ reliquiæ anno MCIII. solemni ritu Cormarici susceptæ sunt XIV. Kal. Augusti, die Dominico, regnante Philippo. *Ex Mabill. Annal. Ben. Tom. 5. p. 459.*

§. XXI.

In Monasterio SS. Udalrici & Afræ.

Augustæ Vindelicorum in Basilicâ San-Udalricana habentur cùm simulachra Christi Domini Crucifixi, tum argenteæ Cruces, in quibus particulæ de Ligno Sanctæ Crucis asservantur.

Sic in Cruce argentea, quam Dominus Joannes de Hohenstein, Abbas Anno MCCCCLII. fieri curavit, continentur. *Duæ particulæ de Ligno S. Crucis. De spongia Domini. De Sudario Domini. De Titulo superposito Cruci. De spinea Corona.*

In Cruce argentea, quam D. Jacobus Köpplinus Abbas fieri curavit, sunt particulæ *de Sancta Cruce. De sepulchro Domini.*

In argentea Hierotheca facta Anno MCCCCLIV. inclusa sunt *Duo fragmenta de Ligno S. Crucis.* Fama est ea olim sive casu sive studio in ignem projecta illœsa sponte resiliisse.

Item particula *de Miraculosâ Cruce* Carabacensi ex Indiis ad nos transmissa, inquit Rm̄us Abbas Bernardus Hertfelder in descriptione Basilicæ Imperialis & Celeberrimæ suæ Abbatiæ, quam vide p. 109. 111. & 123.

§. XXII.

§. XXII.

In Monasterio Calvariæ.

CAlvaria mons est excelsus, in terra *Sandomiriensi*, oppido *Oppatow* propinquus, assiduo pœne rigensfrigore, & frequenter nives, nebulas, & pluvias producens, scaturientes in plerisque locis habens fontes, famosissima quondum, si veteri & vulgatæ assertioni standum est *Cyclopum*, quod ingentes acervi testantur lapidum ex arce, quam monti imposuerant, ruinati, nunc verò virorum religiosorum sub regula *S. Benedicti* militantium habitatio. Incertum à quo Cyclopum, & quo tempore arx tanta tot parietum continens longitudines, & tam grandes ævo suo moles sumptu tam magnifico exstructa fuerit. Cujus monstruosi ædificii monstruosam lapidem congeriem atque ruinarum acervos ingentes, neque vepres, dumosaque gramina, nec arbores frequentes potuerunt contegere. In arcis locum succedenti monasterio, à magno enim *Boleslao* primo Polonorum rege ex petra superædificato, in quo ligni Dominici magna mortalibus beneficia conferens, notabilis habetur portio à Beato *Emerico* filio *B. Stephani* Hungariæ Regis monente per visum Angelo illic relicta. Ob quam rem locus ipse in celebri habetur reverentia, & in assidua mortalium suis necessitatibus succurri per virtutem sanctæ Crucis deposcentium frequentatione. Qua in re altitudinem divinæ providentiæ, & ejus dispensationis mira opera libet admirari; nam, qui pro salute generis humani pati dignatus est in monte *Calvariæ*, is lignum in quo patiebatur pro salubritate & consolatione Polonorum, in monte ejus appellationis voluit consistere. Accessit ad hæc admiratio amplior, nam cum *Lithuani* ea tempestate gentiles & idololatræ clandestino incursu Regnum Poloniæ irrupissent, &

ſpoliato præfato monaſterio etiam lignum vivæ Crucis in ſuam terram apportaturi rapuiſſent, ſed priusquam *Sandomirienſem* regionem egrederentur, quadriga, in qua ſacratiſſimum lignum vehebatur, ſubſtitit, nec ab equis aut bobus, ſtupentibus barbaris, moveri potuit. Ingens illic peſtis exorta maxima ſtrage tam homines quàm pecora abſumebat. Quo malo *Lithuani* perterriti, conſilio quoque Polonorum, quos captivos ducebant, uſi, lignum Dominicum in locum ſuum cum magnis muneribus detulere; & illico omnis peſtifera vexatio ab eis non ſecus quàm quondam poſt interceptionem & reſtitutionem archæ à Philiſtinis conquievit. Ex Dlugoſſi Hiſtor. Polon. lib. 2. pag. 31. col. 2.

§. XXIII.

In Monaſterio Majoris Augiæ Brigantinæ.

Laudi non poſtremæ verti poteſt Augiæ Majori Brigantinæ, quod antiquitate in Germania ſuperiore nulli domui Religioſæ ſit ſecundum. Prima enim ejus fundamenta poſuit S. Abbas Columbanus, quo tempore à Theoderico Rege Luxovio pulſus viam in Italiam cœpit, atque in agro Brigantino aliquamdiu conſedit. Nullis verò per tot ſæcula Augiam temporum hominúmque injuriis fuiſſe jactatam, quis prudens credat? Enimverò modò flammis hauſta, jam ſolo æquata, nunc direpta, atque adeò ad incitas fuit redacta. Ut iterum reſurgeret, ſtaret, ac floreret, Udalrico Brigantiæ & Rhæthiæ Comiti ſub an. 1097. in acceptis referri debet.

Quòd ſi verò ſacrum theſaurum antiquiſſimi hujus monaſterii inſpiciamus, oculos omnium primò in ſe convertit inſignis particula S. Crucis. Donum hæc eſt Hugonis III. Comitis primùm Tuwingani, tum etiam Brigantini. Huic à Ma-

à Mathilde Henrici II. Regis Angliæ filia, & Henrici Leonis, potentissimi Bavariæ atque Saxoniæ Ducis uxore muneri data fuit. Hanc verò illa à marito Leone accepit, qui eandem è manibus Patriarchæ Jerosolymitani, de quo ejusque universo Clero, teste (*kkk*) Helmoldo Chron. Slav. l. 3. c. 7. quâm optimè meritus fuerat, acceptam ex Palœstinâ in Germaniam asportavit.

Incertus verò animi sum, an Augiensi monasterio magis de Sancta Cruce, ceu pretiosissimo thesauro aggratuler, an Sanctæ Cruci de loco, in quo nempe veros sui cultores, id est, integrioris disciplinæ, quæ verè crux est, studiosos ascetas semper habuit, hodieque habere non desistit, aggaudeam.

§. XXIV.

In Monasterii Cladrubiensis Ecclesiâ Parochiali.


UT recentium florum major est gratia, ita præclara nostræ ætatis exempla pii lectoris animum majori voluptate perfundunt, delectántque. Præclarum verò est, quod referam. Cladrubiense in Regno Bohemiæ monasterium, cujus laudes alio loco (*lll*) celebravimus, anno 1115. ab Wladislao Bohemiæ Duce, quod non ita multis ante annis Suatoplucus inchoârat, absolutum stetit. Oppidum huic inclyto cœnobio adsitum ecclesiam habet S. Jacobo Majori Apostolo sacram. Hæc anno 1711. à funesto deformata incendio non parum pristini splendoris amiserat; cui novum verò fulgorem insignis S. Crucis particula, exacto nondum biennio, conciliavit. Fuerat autem ista sacra particula Româ dono missa ad Virum cum generis prosapiâ tum mune-

(*kkk*) *Obtulit autem Dux ad S. Sepulchrum pecuniam multam, & Basilicam, in quâ lignum Dominicum repositum est.* (*lll*) Epitomes Historicæ Monasterii Brevnoviensis cap. XV. pag. 204.


muneris, quod Viennæ in Austriâ gerit, dignitate illustrem. Is pietate, studióque provehendæ erga Crucem Christi devotionis incitatus, sacram Particulam pereleganti argenteæ & inauratæ hierothecæ inclusam in Bohemiam, terram patriam, ad Ecclesiam Parochialem Urbis Cladrubiensis, Monasterio subjectæ, transmisit. Utque est vir eximiâ prudentia, omnia ad veram referre diuturnitatem solitus, authenticas literas adjunxit, quibus Rm̃us DD. Simon Gritti Dei & Apostolicæ S. Sedis Gratia Episcopus Ferentinus, SSm̃i Dñi PP. Benedicti XIII. Prælatus Domesticus, & Pontificii solii Assistens fidem facit, attestatúrque, sacram hanc particulam ex verâ Cruce Christi fuisse decerptam. Dici paucis non potest, quanto quámque incredibili animi gaudio ac solatio cùm Ecclesiæ Parochialis Rector R. P. Leonhardus Rauchfues, tum urbis Magistratus sacrum hoc donum exceperint. Scriptis ad illustrem Mœcenatem literis, gratiæ, quantæ poterant humanissimæ, eidem actæ fuerunt. Subinde, ut sacra Particula publicæ venerationi exponi posset, Pragæ à Rm̃o Consistorio Archidiœcesesos facultas impetrata est; dies verò pro solenni ejusdem Translatione ex Cladrubiensi Monasterio ad Parochialem Ecclesiam duodecima Januarii an. 1744. destinata. Deditâ verò operâ hæc dies designata fuerat, quod esset dies Dominica, quâ populo à laboribus & operibus abjungere licet, quô majori otio ac pietatis sensu rebus divinis vacare possit. Ut verò hæc illuxit, solennis pompa & supplicatio adornata est, quâ Rm̃us DD. Josephus Abbas Monasterii, & Urbis Cladrubiensis Dominus sacram Particulam in Ædem Divo Jacobo dicatam deportavit. Aderant non solùm Magistratus, Cives, & Oppidani Cladrubienses, sed ex circumjectis pagis, oppidis, atque urbibus ingens omnis ordinis, ætatis, ac sexûs hominum multitudo affluxerat. Habita igitur ad frequentissimum populum de cultû S. Crucis concione, solennis Processio non sine sacrâ pom-

pompa, concinentibus ſuaviſſimum in modum phonaſcis, populóque immenſi agminis comprecante inſtituta fuit. Relatâ in Eccleſiam ſacra Cruce omniúmque venerationi publicæ expoſita, ſummum Miſſæ ſacrificium decantatum eſt. Re divina peracta, ſacra Crux populo exhibita fuit, quò eam pio devenerari oſculo poſſet. Tenuit ea pietas, veneratióque ad horam II. pomeridianam. Tum Rector Eccleſiæ Ampliſſimum Abbatem, Urbis primores, alióſque hoſpites lauto excepit epulo. Nullus convivarum erat, qui non ſpumantem hauriendo pateram illuſtri Mœcenati, qui tanto támque cæleſti dono Eccleſiam Cladrubienſem proſecutus eſſet, ſeram apprecaretur ætatem. Dolet animo, quod ejus nomen ſingulari ipſius modeſtia prohibente, hîc apponere mihi non liceat. Virum verò philoſophum, non verbis, ſed factis, qui non ſuam, ſed Crucifixi Dei-Hominis gloriam quærit; melioríemque illis antiquis philoſophis, qui cùm de aſpernanda gloria ſcripsêre, ſua libris nomina præpoſuerunt, & in ipſo gloriæ contemptu, gloriam ambiverunt.

Ut verò populi devotio majora erga Dominicam Crucem in dies incrementa caperet, Apoſtolica Sedes indulgentias, ſeu noxarum condonationes iis ſubinde elargita eſt, qui ad eandem devenerandam, maximè ſingulis feriis ſextis per vernum jejunium, Eccleſiam Cladrubienſem viſitaturi eſſent.



Y CA-



CAPUT III.

Aliæ Cruces Dominicæ Crucis imagines in Monasteriis Benedictinis.

JESUM, & hunc Crucifixum, salutis nostræ authorem, semper ante oculos, si fieri posset, habere deberemus. Cùm verò hoc nobis concessum non sit, utinam saltem sacram ejus Crucem, in quâ à teterrimâ mali dœmonis captivitate nos liberavit, semper ante oculos constituere nobis daretur. Sed cùm nec isthæc felicitas omnibus contingat, ut Dominicam Crucem, vel etiam particulam illius ante oculos semper habere possint, Ecclesia ejusdem imaginem fidelibus intuendam atque devenerandam proponit. *Qui non possunt habere de ligno Domini,* inquit B. Alcuinus lib. 3. de offic. div. cap. 8. *adorant illam, quam habent.* Est verò imago Dominicæ Crucis similitudo ab ipsa eadem sacra Cruce, cujus imago est, expressa, atque ipsius repræsentativa. Fieri potest in ligno, ferro, auro, argento, & quacunque demum in materia. Aliquando præscripta ab Ecclesia orationis formula benedicitur; quod si prætermittatur, typum tamen salutiferæ Crucis sine sacra oratione, & dedicatione, ut honore dignam & sanctam veneramur. Inter hanc verò Crucem, & ipsam Christi Crucem originariam non minima intercedit differentia. Crux enim originaria non ideò tantùm digna habetur, ut illam cultû latriæ non quidem absoluto, sed respectivo adoremus, quia suâ figurâ Christum repræsentat patientem, sed etiam quia clavis fuit, quâ Christus disruptis Tartaris januam cœli nobis aperuit. Crux quoque Pontificis Maximi & cruenti sacrificii ara fuit, in quâ se Christus, suúmque pretiosum sanguinem in pretium humanæ salutis obtulit. Quapropter par-

particulas Crucis Christi, tametsi figuram Crucis Christi non ampliùs retineant, nihilo tamen feciùs cultu latriæ respectivo adoramus, quò cultus genere alias Cruces, ut primùm Crucis figuram & imaginem amisere, non ampliùs dignas existimamus. Ejuscemodi verò Cruces, quæ in sacrariis Benedictinis religiosè asservantur, complures sunt, ad quarum nunc historiam agredimur dicendam.

§. I.

Crux S. Andreæ Apostoli.

OPiniones vulgò receptæ, etsi vero dissentaneæ, ex animis hominum difficulter eruuntur. Validâ & satis veteri fama, inquit eruditissimus Lipsius, dicitur, S. Andream Apostolum in Cruce decussatâ fuisse cruciatum. Est verò Crux decussata, in quâ duo ligna directa, & æquabilia inter se obliquantur, cujus formam refert litera X. quæ, ut ait Isidorus *in figura Crucem, & in numero decem demonstrat.* In id genus Cruce S. Andream Apostolum fuisse necatum, vetus, ut dicebam, habet opinio; quam tamen à vero alienam esse, idonei alii affirmant authores. Joannes Molanus Lovaniensis Theologus, non infimi nominis scriptor, in Historia SS. Imaginum lib. 3. cap. 51. de Cruce S. Andreæ ita scribit: „ Mense Novembri postremus est Sanctus Andreas, vocatione inter Apostolos primus: cujus Crux religiosissimè asservatur ad Sanctum Victorem. Ex quâ constat nonnihil in ejus picturâ aberrare domum Burgundicam, quod tamen cum bonâ ejus veniâ dictum sit. Robertus enim Cœnalis, Episcopus Arboricensis, in libris de re Gallicâ ob hanc discrepantiam aliquoties notat Burgundiæ Principes insigne suum Crucis, falso appellare Divi Andreæ, ubi intersectio fit ad angulos partim obliquos, partim acutos: cùm Crux An-

 „ dreæ

„ dreæ ad Sanctum Victorem Massiliæ eandem cum Cruce „ Christi figuram habeat. Lignum enim ligno affixum est „ ad angulos rectos. Hæc Molanus; quibus addi possunt, quæ Hugo Menardus habet in Martyrologii Benedictini Observationibus ad diem octavum Novembris pag. 739. ubi Crucem S. Andreæ in Benedictino S. Victoris Massiliensis Monasterio asservari testatur; quæ cùm olim quondam (*mmm*) ferro inclusa esset, nunc autem argento, & ab Angelo revelata S. Hugoni Sacristæ, cùm ob metum Saracenorum propè fluvium (*la Veaune*) infossa terræ fuisset. Hæc vero Crux non est decussata, sed recta, immissa, & Cruci Dominicæ omnino similis. Sed ipsius Menardi verba afferamus: „ Fuit „ Sanctus Hugo Monachus Sancti Victoris Massiliensis vir ma- „ gnæ sanctitatis. Huic rem divinam facienti revelatum est, „ ubinam esset Crux Sancti Andreæ, quæ amissa fuerat. Hæc „ autem Crux, quæ asservatur in dicto Cœnobio, creditur „ esse illa, in quam suffixus est Sanctus Andreas Apostolus, „ éstque ad angulos rectos, non verò ad angulos obtusos, „ quemadmodum vulgò depingitur.

Hoc ut verò Burgundi credant, animum ægrè inducent, cùm persuasissimum sibi habeant, Crucem S. Andreæ Apostoli esse suorum Principum insigne, quæ est Crux decussata, & vulgato nomine *Burgundica* appellatur. Et verò fuit, qui Crucem San-Andreanam, id est, Burgundicam tanto habuit in honore, ut eam ipsi capiti suo inscribere non dubitârit. Is verò est Venerabilis Ludovicus Blosius, Abbas Lœtiensis, Ord. S. B. scriptis Asceticis, & vitæ sanctimonia clarissimus, qui cùm in Aulâ Caroli V. Imperatoris inter illustres ephebos adhuc ageret, luculentam in capite plagam accepit, incerto quidem casu, sed Dei providentiâ jam tunc omnia ad salutem Blosii, multorúmque aliorum disponente. Curando vulneri dum chirurgus artem manúmque impendit, ferro hiatum perten-

tans,

(*mmm*) Gall. Christ. nov. edit. Tom. I. col. 650.

tans, deprehendit plagam ſanari non poſſe, niſi per inciſionem dilataretur. Quâ de re cùm Bloſium monuiſſet, & ut id vellet ac pateretur, facilè perſuaſiſſet, ex eo ſciſcitatus eſt, quâ figurâ vellet cicatricem induci. Volo, ait Ludovicus, *Crucem Burgundiam.* Ita factum fuit, non ſine adſtantium, atque ipſius adeò Bloſii præſagio, qui per piam alluſionem quodammodo de vitæ mutatione vaticinans, ſe hoc velut ſtigmate Crucis inuſtum in perpetuam JEſu Chriſti Crucifixi ſervitutem addicendum dixit: ut qui per luſum jocúmque Crucem acceperat, Crucem deinde ſuam ſponte & feriò tolleret, Chriſtúmque in Cruce fixum ſequeretur. Ex hoc ſanè velut novæ vitæ ſymbolo ſancta ſua conſilia auſpicatus eſt, vanitatem cum pietate, & jugum diaboli cum jugo Chriſti commutandi. Mox enim ab hoc vulnere capitis curato, vitale cordis vulnus accepit; & gaudium mundi in toedium, honoris deſiderium in faſtidium, divitiarum copia in nauſeam verſa eſt: cúmque amareſcerent illi terrenæ deliciæ, alias ſibi in Religioſæ vitæ paradiſo voluptates quærendas, & à Caroli caſtris ad Chriſti vexillum, Crucíſque militiam tranſeundum eſſe, Deo inſpirante decrevit. Felix omnino vulnus in Bloſio, quod pectus Sanctis Dei conſiliis aperuit. *Ex vitâ cap. 2. apud Belland. in Actis Sanctorum Tom. 1. Jan. pag. 433.*

§. II.

Crux SS. Amphibali & Albani Martyrum.

CUm S. Amphibalus Romanæ Eccleſiæ Clericus in Britanniam veniſſet, Verolamii ab Albano, viro eminentis dignitatis, hoſpitio acceptus fuit. Hunc cùm ad fidem Chriſtianam adduxiſſet, cruce ſecum allatâ donavit, quam is ſummâ habuit in veneratione. Morti adjudicatus Crucem

cem secum ad martyrii locum tulit. Ut verò capite plexus fuit, *Crux, quam vir sanctus*, primus Britanniæ Martyr, *jugiter in manibus ferre consueverat*, felici jam cruore resperfa super herbam decidit: eámque occultè quidam Christianus, paganis omnibus ignorantibus, rapuit & abscondit. Hæc Crux post plura sœcula sacrario denique Monasterii ad S. Albanum cessit, ut nos Mathæus Parisius, ejusdem celeberrimi loci Monachus, & Regius Historiographus his verbis (*nnn*) docet: *Crucem quoque S. Amphibali, quæ diuturno tempore Londoniis latuit abscondita, & quæ in possessiones multorum, videlicet patrum in filios transmigraverat, nobis prudenter acquisivit Abbas Gulielmus memoratus. Quæ quidem Crux talis existens schematis, tanto charius habuit custodiri, quod sicut historia de SS. Albano & Amphibalo protestatur, sanguine B. Albani in decollatione ejus fuit delibuta, & prima quæ in Britanniam fuit apportata.* Quò autem postea devenerit, postquàm Religio Benedictina unà cum fide orthodoxa ab Henrico VIII. in Britannia excisa fuit, dicant, qui compertum habent.

§. III.

Crux Sancti Latronis Crucifixi.

CRux boni latronis tincta sanguine primùm impii, postea verò justi & sancti, procul dubio ita est sanctificata, ut & ipsa cultû aliquô digna censeri possit, inquit eximius Theologus, Jacobus Gretserus Lib. 1. de Sanctâ Cruce cap. 99. ubi etiam scribit, quòd crux boni latronis adhuc existet in Cypro, in templo quodam montano, non procul ab urbe Nicosiâ. Hujus suæ assertionis testem laudat

(*nnn*) In vit. Abbatum Monasterii Sancti Albani. Vide etiam Acta SS. Albani & Amphibali in Actis SS. Bolland. d. 22. Junii.

dat Felicem Fabri è sacrâ Prædicatorum Familiâ, qui illam cum multis aliis vidit, qui & addit; communem esse persuasionem, quòd eò ab ipsa S. Helenâ Reginâ sit allata; quòdque vulgò censeatur, in sublimi pendere sine ullo retinaculo; non enim, ne à curiosis quidem animadverti posse, à quonam crux illa retineatur, in alto. Addit, ab Helenâ de Cruce Dominica inclusam particulam, ut honorabilior efficeretur; etsi, ut Gretserus rectè docet, per se quoque digna sit cultu & veneratione, quippe sanctificata ejus cruore, qui lectissimam illam vocem audiit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ecclesiam verò, ubi Crux boni Latronis asservatur, spectare ad Monachos Ordinis S. Benedicti, qui in Cyprô Insulâ Monasterium habebant, fidem facit Guilelmus Baldensel, oculatus testis, in suo Hodœporico his verbis: *Est in Cypro in quodam alto monte apud Monachos S. Benedicti Crux boni latronis, & pars clavi Domini, & aliæ reliquiæ venerandæ.* Vixit & scripsit Baldenselius an. 1336. Cypro verò Insulâ postmodùm à Turcis in potestatem redactâ, quid de Cruce boni Latronis factum fuerit, ignoramus.

Incerti etiam animi sumus, quam fidem Gervasio Tilberiensi adhibeamus. Erat is vir illustris & studiis (pro captu temporum) & militia clarus, qui ad Ottonem IV. Imperatorem, Henrici Leonis Ducis Bavariæ & Saxoniæ filium, Ottonis primi Ducis Brunsuicensis, patruum, librum misit, quem *Otia Imperialia* inscripit, ut in jucunda ejus lectione Imperator curas distinqueret. Hunc librum Illustris Leibnitius Scriptorum Rerum Brunsvicensium Tom. 1. cum literato orbe communicavit. Capite verô XLVII. *De Cruce Latronis Dominum in Cruce confitentis* Gervasius hæc memoriæ prodidit: „ In insulâ Cypro Crux est latronis confitentis „ Dominum, cui Dominus ait: hodie mecum eris in para- „ diso, erátque sub divo posita, eò quòd tempore inventio- „ nis Sanctæ Crucis, cùm S. Helena mater Constantini Impe- „ rato-

„ ratoris, & filia *Liacolli*, (*ooo*) *Regis Britanniæ majoris*
„ cum thesauro pretiosissimo Crucis, clavorum, & ampullæ
„ sanguinis & aquæ, quæ fluxerant ex latere Domini pen-
„ dentis in Cruce, transitum fecit per Cyprum, Romam re-
„ diens, tunc terra Cypri nullum cadaver poterat retinere.
„ Unde factum est, ut ad instantiam populi, de corruptione
„ aeris & miranda novitate conquerentis *Crucem* in insula
„ Cypro relinqueret, cujus virtute terra cadavera mortuorum
„ absorpta retinuit, cùm ante in tempus sepulta removere
„ consuevisset. Est autem hoc insigne Crucis illius mirabа-
„ le, quòd, cùm sit in Ecclesia inclusa, nullo fixorio firma-
„ tur, verùm in aere stans sine firmamento, osculum porri-
„ gentibus se offert, contactum manuum fugit. Si atten-
„ tatur manibus, statim movetur & fugam facit, nunc ad
„ latus declinans, nunc ad altum tendens. Hæc *Gervasius*, quibus omnibus, maximè postremis, an fides sit adhibenda, judicium lectoris esto. Mihi *Æneæ Sylvii* verba usurpare hîc liceat: *aliorum dicta refero, & plus scribo, quàm credo.*

Apud eruditos Bollandi Socios die 25. Martii pag. 543. Masinus in Bononiâ perlustratâ asserit, *S. Dismam bonum latronem in veneratione esse in Ecclesiâ SS. Vitalis & Agricolæ, ubi pars aliqua Crucis ejus adservatur, & in Ecclesiâ S. Stephani alias ejus reliquias credi esse.*

Non *Dismas*, sed *Dimas* bonus latro vocatur à Venerabili & doctissimo nostro Godefrido, Abbate Vindocinensi, & S. R. E. Cardinali Sermone X. qui licèt egregia Boni Latronis sit panegyris, non omnibus tamen Sodalibus nostris in promptu est. Vulgatus enim fuit à V. C. Jacobo Sirmondo, cujus opera tomis V. comprehensa non omnibus ad manum sunt. Unde hunc Sermonem in gratiam sodalium nostrorum adscribere non gravabor. Cuipiam forsan minùs arridebit, quòd eundem pœnitentem Latronem necessariò priùs baptizatum

(*ooo*) Cœllo.

zatum esse adstruat; cùm quô tempore Christus Cruci affixus fuit, nulla adhuc suscipiendi baptismatis obligatio data fuerit. At enim *Godefridus* nihil aliud dicere volebat, quàm quòd Christus suprema auctoritate per se ipsum Sacramenti baptismatis effectum Latroni sine Sacramento baptismi contulerit.

SERMO

Goffridi Abbatis Vindocinensis, & S.R.E. Cardinalis

DE LATRONE SALVATO IN CRUCE.

IN passione nostri Salvatoris latro ille, qui in sinistris positus fuerat, & adulabatur Judæis, & convitiabatur Christo, malam vitam pejori morte finivit, & recepit sicut meruerat. Et ideo diu loqui de eo inanis labor est, & mora inutilis. Loquimur igitur de alio, de quo loqui & materia fidelis est, & causa salubris. Hic verò in dextris positus, non quia crediderat Christo, patiebatur; sed credidit, dum pateretur. Christum hominem Crucifixum clavis in Cruce, toto corpore tensum vidit aspectû corporeo, & in ipso spinarum vulnera & sanguinem de membris radiantem, & sola signa afflictionis & mortis, sicut in homine mox morituro. Concepta autem & natâ in eo fide, operante Spiritu Sancto, Angelicis oculis immortalem & divinam in Christo contemplatur majestatem; admiratur, adorat, laudat, & confitetur. De Cruce pro fide pugnat, socium increpat blasphemantem, & in eo Judæorum, qui aderant, infidelitatem arguit; nec blanditur eis, nec eos verètur. Mirabilis divina potentia! Crux quæ ante ad supplicium gerebatur, jam suffragatur ad prœmium: & reus, qui pro suo scelere damnabatur in Cruce, de reatû suo antidotum, quo sanatur, conficit; & de Cruce ope-

operatur myſterium. Reatus in pœnitentiam, mortis interitus in æternam vitam commutatur. Iſta quidem felix commutatio; nec eſt inferior illa, quæ ſequitur. Latro confeſſor ex latrone efficitur, & martyr ex confeſſore: & tormenta quæ priùs in latrone cœperant, novâ gratiâ coronam & prœmium martyris ſortiuntur. Huic beato & mirando viro nullum ſalutare defuit Sacramentum. Nam quod per vicarios Chriſtus viſibiliter agit in aliis Chriſtianis, hoc inviſibiliter egit in illo per ſemetipſum. Per Chriſtum itaque baptiſmum in Cruce percepit, & cætera Sacramenta. Niſi enim à Chriſto baptizatus eſſet, & factus omnino perfectus Chriſtianus, ei Chriſtus minimè diceret. *Hodie mecum eris in paradiſo. Luc. 23. v. 43.* Jam enim dixerat: *Non intrabit in regnum cœlorum, niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto. Joan. 3. v. 5.* Vir iſte beatus quàm perfectus à Deo factus eſt, videamus. Eo tempore venit ad fidem, quo Petrus fidem deſeruit: & quam Apoſtolus perdiderat, hanc die ſequenti latro invenit. Ad vocem ancillæ primus paſtor Eccleſiæ illum ſe noſſe negat, quem voce publica latro prædicat: & quem Princeps Apoſtolicæ electionis ſe etiam hominem noſſe diffitetur, hunc Deum eſſe latro manifeſtè & piè confitetur. Tota illa Beatorum Apoſtolorum electio relicto Domino perturbatur & fugit: Latro inter ſævientes Judæos manet intrepidus, Chriſtum aſſerit innocentem, & ſe reum publicè dicere non erubeſcit, nec ſuum confiteri reatum. A Chriſto itaque veniam poſtulat, precatur miſericordiam, dicens: *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum. Luc. 23. 42.* Chriſtus veniam poſtulanti compatitur, miſeretur miſericordiam deprecantis: & Deus Crucifixus in homine Crucifixo latroni ſic loquitur: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Confirmationem utique, quam in die Pentecoſtes Apoſtoli per Spiritum Sanctum ſuſceperunt, Latro iſte poſitus in Cruce primus ſuſceperat, qui nec Judaicam perfidiam formida-

midabat, & nomen Christi perfectus Christianus, pius Confessor, & Martyr gloriosus, non in occulto, sed palàm portabat. Apostoli quidem à Christo vacati fuerant & electi, & sæpe privatim & publicè ab eo vitæ æternæ verba audierant; illum cœcos illuminantem, leprosos mundantem, ejicientem dœmones viderant, & mortuos suscitantem. Multa præterea, quæ nemo alius facere poterat, nisi solus Deus, in illo cognoverant. Illi etiam in ejus nomine quæ ipse faciebat & ipsi faciebant. In passione verò illius quam eis ante prædixerat, ita conturbantur, quod & illum ignorant, & seipsos, quales in ejus virtute fuerant, obliviscuntur. Latro sanctus nec fidem ante noverat, nec dilexerat sanctitatem, quippe qui initium bonæ vitæ nunquam perceperat; in morte autem Christi fidei cognovit virtutem, quam Petrus præsente corporea divinitate, & ipsum edocente didicerat. Mira res! ubi fidem deposuit Apostolus, latro recepit. Iste si Christum antea cognovisset utique, & in illo felici Apostolorum conventu non esset novissimus, qui in regno extitit primus, & nulli in fide secundus. Utraque autem, & primi electi in Christi passione negatio, & venerabilis Latronis in Cruce confessio, ex medicinæ cœlestis venit consilio. Permissus est cadere electus, ut unusquisque discat nulla perfectione de se præsumere. Erectus est Latro, qui lapsus fuerat, ut nullus de sua imperfectione, si tantum pœniteat, & dignè confiteatur, valeat desperare. Hunc Deus virga justitiæ castigat, & illum sustentat baculo misericordiæ. In isto justis, ne incidant in elationem, timorem excutit, & in illo spem tribuit peccatoribus, ne veniant in desperationem. Dicamus aliquid & breviter, quod dici potest & de Petro, & de Latrone veraciter. Petrus à Christo vocatus est, & electus est: Latro electus est, non vocatus. Petrus Apostolus & Martyr, Latro confessor & martyr factus est. In operibus bonis, in virtutibus, in miraculis, in laboribus, in ligandi & solvendi

 pote-

potestate Petrus Latrone longè excellior: Latro si non major Petro in fide, non tamen extitit minor. Uterque bonus valde: sed Latro est in his, quæ diximus, Petro inferior. Quicunque istorum minus potest apud Deum, ab illo obtinet quod rogat, quod petit, & quod desiderat. Nos autem & Beatum Petrum præcipuum Apostolorum & principem, & illum gloriosum Confessorem & Martyrem *Dimam* nomine, diligenter oremus, quatenus suis precibus & meritis apud bonum creatorem nostrum, & pium redemptorem nobis obtineant, ut ipse in exitu vitæ nostræ, animas nostras à diaboli potestate custodiat: & cùm in suum regnum venerit in illa scilicet regiam & admirabilem claritatem, qua vivos & mortuos judicaturus est, nostri meminisse dignetur, & unicuique nostrum dicere: *Hodie mecum eris in Paradiso*, qui vivit & regnat unus Deus cum Patre & Spiritu Sancto, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

§. IV.

Crux Sancti Benedicti Abbatis.

HAbet sanè Divus Patriarcha Benedictus, ut cum Regio vate Psal. 142. v. 1. gratâ erga Deum mente exclamet: *Benedictus es Domine Deus meus, qui doces manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Inseruisti dextræ meæ Crucem tuam, quæ hastæ & clypei loco esset, omniáque arma tam defensiva quàm offensiva subministraret. Hasta est, quâ contra diabolum, ejúsque conjuratam aciem, magos & veneficos depugno: clypeus est, quô meam implorantes opem contra omnium dœmonum ac maleficorum protego machinamenta.

De hac S. Benedicti Cruce, seu, ut vulgò vocatur, Numismate quatuor formari quæstiones possunt. Primùm, quæ sit ejus

ejus origo; tum quæ illius quidditas: deinde quâ polleat virtute, ac postremò, in quo ejusdem consistat usus. Et quidem quod ad originem attinet, ea ad sæculum XI. refertur. Hoc enim decurrente D. Benedictus cœlò delapsus, Brunonem nobilissimæ prosapiæ adolescentem, ac futurum postea Leonem IX. Pontificem Maximum, à stygio bufone lethaliter sauciatum attactu Dominicæ Crucis longo hastili præfixæ sanavit. Ab hac apparitione mos ille repetendus videtur, quô S. Patriarcha cum ejuscemodi Cruce in cusis Numismatibus repræsentari consuevit. Sacrum verò Benedictinum Numisma Cruce Christi insignitum circumscriptivè sic definitur: *Est res sacra, & quoddam sacramentale, in spirituale contra corporis & animæ mala, ac præprimis contra omne opus diaboli plerumque efficax remedium, quasique antidotum atque amuletum à religiosis, piisque viris Deo inspirante adinventum, & à SS. sede Apostolica approbatum, insignibúsque gratiarum muneribus & prærogativis accumulatum, perpetuóque robore ac valore confirmatum.* Quanta verò, quámque mirifica Crux S. Benedicti (quæ tamen nihil aliud est, nisi imago Crucis Christi) polleat virtute, salutares ejusdem effectus satis & abundè ostendunt, quos nemo legerit, nemo audiverit, quin non fateri cogatur, eam omne veneficiorum genus vel avertere, vel dissolvere, nulláque esse mali dœmonis, ejúsque satellitum, magorum & strigarum, machinamenta, adversùs quæ non sit fortissimum præsidium. Quid? quòd Numismatum, seu Crucicularum S. Benedicti *tanta est auctoritas & potestas* (liceat hîc D. Cypriani verba serm. de Pass. Dom. usurpare) *ut non solùm Israelitica limina muniat, sed etiam ab his, qui Israeliticè non vivunt, solum Sacramenti signum repellat dœmonia.* Unde meritò fidelibus ejusdem usus commendatur, qui in duabus rebus consistit, memoria & veneratione. Habendus est in memoria S. Benedictus, ut ceu fortissimus maleficorum debellator invocetur. Crux verò Christi Benedictino incisa Numismati

in veneratione habenda eſt, cùm haſta & clypeus ſit, quibuſcum D. Benedictus contra diabolicos inſultus & nos protegit, & pro nobis depugnat.

Hujus ſacræ Crucis ſi Lector uberiorem deſiderat notitiam, eum ad Diſſertationem remittimus, quæ noviſſimè Anno MDCCXLIII. Viennæ Auſtriæ ſub hac epigraphe prodiit: *Diſſertatio Sacra Numiſmatica de Origine, Quidditate, Virtute, pióque Uſu Numiſmatum ſeu Crucularum S. Benedicti Abbatis noviſſimè per SS. D. N. Benedictum XIV. P. M. inſtaurato ad preces Reverendiſſimi ac Ampliſſimi DD. Benonis Liberi ac Exempti Monaſterii Brzevnovienſis, vulgò S. Margarethæ propè Pragam Ord. S. Benedicti Abbatis, ejuſdem Sac. Ord. per Bohem. Morav. & Sileſiam Viſitat. Generalis Perpet. Præpoſiti Wahlſtat. in Sileſiæ, Regni Bohemiæ Prælati Inſulati.*

§. V.

Crux Sancti Magni Abbatis.

FAucenſis in Suevia Monaſterii quàm antiqui, tam celebris primus Abbas & Fundator erat S. MAGNUS, ante etiam MAGNOALDUS dictus. Aſſervantur ibidem theſauri pretioſi inſtar veneratione digniſſima ejusdem DIVI monimenta, inter quæ principatum quaſi obtinet CRUX argentea, quæ ſub initium ſæculi proximè præteriti pretioſæ alii hypothecæ deauratæ gemmis & chryſtallo exornatæ incluſa fuit. Continet eadem crucicula reliquias B. DEI genitricis MARIÆ, Ligni S. CRUCIS, SS. Martyrum MAURITII & Sociorum ejus, nec non BB. Confeſſorum CHRISTI COLUMBANI & GALLI. Eandem collo dependentem in viâ geſtare, cùm verò orationi incumbere vellet, vel ex arbore vel alicubi ſuſpendere, & coram eâ ſe proſternere ſolebat. Adhuc ſalutaris ejus uſus ſæpe invenitur.

nitur. Ubi enim tempore tonitrui asportatur, aërem mitigat, aëreas potestates expellit, segetes à grandinibus præservat: quin & Campana major hac cruce benedicta, magnam virtutem habet contra tempestates.

Quo loco meminisse etiam licebit Scipionis sive Baculi [vulgò St. Mangen Stab] quo ante S. MAGNUM usi fuêre SS. COLUMBANUS & GALLUS, cujus virtutes admirandas, vere atque æstate præsertim, fermè quotidie, experiuntur agricolæ. Quando enim vel in agris, aut hortis, seu plantis, arboribus, sive herbis nocivi grassantur vermes, aut cujuscunque tandem generis mures, erucæ, cyniphes, seu qualiacúnque demum animalcula, venenatæ bestiolæ, aut insecta, quæ lædunt aut arrodunt radices segetum, inficiunt, devorantve folia, flores aut fructus arborum, herbarum, cujuscunque generis plantarum: quamprimùm sacer iste baculus, terræ, ubi pestis illa grassatur, infigitur, mox fugatur, aut extinguitur. Eundem effectum habere ramos seu frondes arborum & fruticum, item terram, si baculo aut Cruce prædictis tangantur, signentur, & à Fratre quodam ejusdem Monasterii benedicantur, experientia penè quotidiana docet. Hinc etiam apud longè dissitas & exteras nationes S. MAGNUS honore, festóque die solenniter colitur, intérque eos Divos, quos ob speciales quasdam prærogativas *Auxiliatores* vocamus, præsentissimus Patronus habetur. „ *Hæc ex Caroli Stengelii Monasteriologiâ an. 1619. typis excusa.* Aquo tempore prodigiorum numerus non imminutus, sed auctus fuit. Certè gratitudinis ergò ob expertos salutares effectus tot undique donaria submissa fuere, ut ex eisdem machina argenteæ lampadis, quâ majorem aut elegantiorem non modò non Germania, sed nec totus orbis habet Christianus, fabrefacta fuerit paucis abhinc annis Augustæ Vindelicorum; ubi etiam ejusdem schema æri incisum prodiit.

§. V.

§. VI.

Cruciculæ S. Petri Cælestini.

MIraculorum gloria S. Petrus Cæleſtinus Pont. Max. fulgebat; quorum fulgorem in Cruciculas, quas bene multas in eremo uti ipſe faciebat, ita opem ejus implorantibus diſtribuebat, refundere ſolitus erat. Cujus rei fidem duobus adſtruemus exemplis.

Sulmonæ erat Catania quædam, filia Mag. Benedicti Medici, & uxor Notarii, Joannis Rizardi. Quæ cùm ſubitò cœca ac ſurda facta fuiſſet, per viſum admonita fuit, ut ad S. Petrum Cæleſtinum ſe conferret. Ad quem cùm à marito ducta fuiſſet, non cum ipsâ, fœminarum præſentiæ impatiens, ſed cùm ejus viro ſermonem de vita piè tranſigendâ inſtituit. Interim vicino in loco ſedens & expectans mulier obdormivit, viditque ad ſe portari ſanctum à magna hominum multitudine, ſupráque eam formare ſignum Crucis, uti fit ad Evangelium, atque ita ſibi viſum reſtitui, manere tamen ſupra oculos quoddam veluti pondus, de quo interroganti quid factum eſſet, reſpondere videbatur Sanctus: Accipe & liga, ac tibi repone. Sub hæc experrectæ maritus aſtitit, afferens à Sancto cruculam ligneam ex ejus collo ſuſpendendam: quam cum devotè accepiſſet, eáque à capite ad pedes ſeſe ſignâſſet; ſubitò cœpit videre clarè, omni infirmitate ſolutâ. Quare Catania devotè ſervabat cruculam, quà mediante obtinuerat ſanitatem; ac deinde ſupra multorum oculos malè affectos poſuerat, quorum aliqui omnino curati fuerant, aliqui multum levaminis ſenſerunt: quin etiam ad alias infirmitates eandem applicans ſimilem erat experta effectum, integra quandoque valetudine reddita ægris, & magno ſaltem ſolatio iis ſemper allato. *Lelius Marinus in ſupplem. Hiſt. ad vit. S. Petri Cæleſt. apud Bolland. d. 19. Maji pag. 509.*

Mag.

Mag. Rainaldus Medicus Sulmonensis, octogenarius, Testis XXIII. in processû Canonizationis, retulit, quod anno MCCCIV. transiens per Ecclesiam S. Mariæ ad Petram Alduni de Sulmona, ibidem viderit magnam multitudinem virorum atque mulierum; causámque requirenti dictum est, violenter illuc inductam fuisse Marsicanam, uxorem Nicolai de Coliana, à dœmonio agitatam. Intravit ergo, conspexítque, quòd mulier avertebat vultum, corpúsque torquebat, ne cogeretur intueri objectas sibi Deiparæ ac Sanctorum imagines, & ægrè teneri poterat. Transiit autem ad quoddam suum prædium, quò iter intenderat, indéque revertens adhuc ibi reperit eandem cum eadem muliere turbam. Tum recordatus Cruculæ ligneæ, quam penes se habebat olim acceptam à Sancto, cum ea signavit dœmoniacam dicens: In Nomine Domini Nostri JEsu Christi Nazareni Crucifixi, & per merita Fr. Petri de Murone liberet te Deus: & addidit Dominicam orationem, itáque discessit. Paulò autem post audivit populum transeuntem ac gratulabundum, quòd mulier illa liberata esset: modúmque liberationis quærens, intellexit; ipsam à vomitu coactam, mox à vomitû sibi ipsi Crucis signum fecisse, ac discessisse ab omni vexatione immunem: quod ut certiùs cognosceret, quæsivit eam ipse, inventámque rogavit, ac vidit formare Crucem absque impedimento ullo, nec dubitavit meritis Sancti Petri id acceptum referre. *Lel. Marin. loc. cit. pag. 530.*

§. VII.

Crux S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis.

EX Abbate Glastoniensi factus est S. Dunstanus primùm Episcopus Londoniensis, tum Archiepiscopus Cantuariensis. Quocunque verò progrederetur, eum Crux, itineris

A a Dux

Dux & Comes antecedebat. Cùm coronationi regis Angliæ Eduardi quidam principes adverſarentur, S. Dunſtanus *arrepto Sanctæ Crucis vexillo ſibi præferri ſolito, medius conſtitit, & regem conſtituit,* inquit Osbertus in vitâ S. Dunſtani, qui etiam refert, quomodo hæc ipſa Crux poſt mortem S. Dunſtani liberaverit à dœmone obſeſſum: *Elfwinus miſeratus vicem jacentis, Crucem quam B. Dunſtanus in corpore degens, tanquam Archiepiſcopus, coram ſe ferri volebat, dæmoniaco impoſuit &c. Mirum dictu: illico pulſo dæmone, æger levatis piè ſurſum oculis, lacrymans dixit: Gratias tibi ago piiſſime pater.* Osbertus l. c. apud Gretſerum lib. 1. de Sancta Cruce cap. 35.

§. VIII.
Crux S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani.

Nihil in Germaniâ celebrius, atque Crux S. Udalrici. De hac Rm̃us Bernardus Hertfelder Abbas ad SS. Udal. & Afr. Auguſtæ Vindelicorum in deſcriptione Baſilicæ Imperialis ac celeberrimi ſui Monaſterii memoriæ ſequentia prodidit.

„ Cùm Anno Chriſti CMLV. Ungarorum innumerabilis „ multitudo Germaniam infeſtaret, & Bajoariâ totâ vaſtatâ „ Auguſtam gravi obſidione premeret, Divus Udalricus Epi„ ſcopus Urbi pro muro fuit. Is de ſalute ſuorum Civium „ anxius, optimi Paſtoris officio functus orando, hortando, „ conſulendo omnibus proſpexit. Viros in prælium, Mulie„ res ad preces & ſupplicationes excitavit. Ipſe ſpem ac fi„ duciam in Deo ponens inſomnes aliquot in oratione duxit „ noctes; manè ſub primâ luce ſacris operatus omnem etiam „ populum cœleſti pane refecit. Crebris velitationibus cum „ hoſte interfuit non militaribus armis, verùm ſacerdotali „ ſtolâ tectus, ſecurus & illœſus, inter medios telorum ja„ ctus. Quadam ergo die parvam ab Angelo de Cœlo por-

„ tatam

„ tatam accepit *Crucem* victoriæ certò obtinendæ argumentum. Venit interea & approperat Imperator Magnus ille „ Otho cum valido exercitû, & prælium in die S. Laurentii „ commissurus, facto priùs voto sacrâ communione à Divo „ Udalrico instruitur. Itur mox in hostem, & sequitur victoria, quâ Barbari non solùm repressi, sed penitus extincti fuere, non tam Othonis armis, quàm Udalrici precibus „ & sanctitate.

„ Crucem hanc D. Udalrico de cœlo missam Majores nostri in magna semper veneratione habuerunt, eáque in hodiernam usque diem religiosè in hoc loco asservatur, & „ immeritò aliqui de illa dubitant, quod à multo tempore „ nemini visa fuerit; ajo enim eam & videri posse, & visam „ esse. Certè ex antiquo Codice MS. habemus Anno „ MCCCCLXXIV. Legatos ab Episcopo Gnesnensi Polono „ Romam missos Augustæ sacras visitasse reliquias, & hanc „ Crucem singulari pietate veneratos esse, affirmantes, ejus „ famam in plerisque Poloniæ Ecclesiis notam ac celebrem „ esse. Clauditur alia Cruce ex auro puro gemmis pretiosissimis ornata cum tali inscriptione

SACROSANCTAM HANC VICTORIÆ CRUCEM COELITUS DIVO UDALRICO PORTATAM D. JOANNES DE GILTINGEN MONASTERII SS. UDALRICI ET AFRÆ ABBAS. HIC OCCLUDI ET EXORNARI CURAVIT DICAVITQUE ANNO MCCCCLXXXIII.

Ante Rmum Abbatem *Bernardum* De Cruce S. Udalrici scripsit Carolus Stengelius, Monasterii SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum Cœnobita piissimus juxtà ac doctissimus; postea verò Anhusani in Suevia Monasterii dignissimus Abbas. Id autem fecit in libro de rebus gestis S. Udalrici, qui cùm ad manum mihi non sit, eorum operâ uti liceat, qui illum evolverunt, & quæ de prædicta Cruce diffusiùs exposuit,

fuit, summatim referunt. Sunt verò hi Conradus Janningus Jo. Bapt. Sollerius, & Joannes Pinius, eruditi è Societate JEsu Hagiographi, qui Acta Sanctorum, celeberrimum opus à Joanne Bollando cœptum magno labore atque industria, nec minori sacræ eruditionis copia prosequuntur. Hi ergo Tomo I. Julii in Commentario prævio ad vitam S. Udalrici Episcopi Augustani §. VI. p. 88. ita loquuntur: „ *Carolus Stengelius lib. 3. cap. 24. de rebus gestis S. Udalrici, pauca præfatus de pia Sancti, in Sacrosanctam Crucem Domini, veneratione, tam ex auctore vitæ, quam ex monumentis Monasterii Sanctæ Crucis Augustæ narrat voluisse Deum compensare illam pietatem spectabili aliquo munere; Cruce, inquam è cœlo per Angelum delata, & S. Udalrico porrecta, in signum victoriæ, postea consecutæ, hostibus innumeris, qui Augustanam urbem arctissima obsidione premebant, ab Ottone Imperatore ad internecionem usque deletis; de qua victoria refertur in vitâ S. Udalrici cap. 7. Narrat itaque Stengelius, S. Udalricum hanc Crucem, è cœlo acceptam collo appendisse, eúmque hac munitum armaturâ, imperterritum, vestitu episcopali indutum, hostibus obviam processisse, teláque inter & gladios illæsum perstitisse. Demum etiam dictæ Crucis longitudine & latitudine descripta, addit neminem repertum hactenus, qui materiem ejusdem potuerit dignoscere. Historiæ hujus veritatem probare conatur appellans* ad traditionem, continuo per manus, *inquit,* ad nos deductam. Citantur item *codd. MS. plures;* edita vita Latinè & Germanicè MDXVI. Chronicon editum MCDLXXXIII; Sigif. Meist. Chronicon lib. 4. cap. 9. Catalogus Abbatum MS. Gretserus Tom. I. lib. 2. cap. 49. de Sancta Cruce. *Præterea nonnullis interjectis, profert hanc inscriptionem:* Sacrosanctam hanc victoriæ Crucem, ab Angelo cœlitus divo Udalrico portatam, Dominus Joannes de Giltlingen, Monasterii SS. Udalrici, & Afræ Abbas hîc occludi fecit, & exornari curavit, dicavítque anno Domini MCDXCIV. *Accedit Martyrologium Germani-*

manicum die 4. Julii, Breviarium Auguſtanum, Romæ editum MDLXX. Pii V. auctoritate reſtitutum. Denique P. Bernardus Hertfelderus, antea citatus, in libro, qui inſcribitur Baſilica SS. Udalrici & Afræ *appellat ad antiquum codicem MS. quem habet, anni 1484.* legatos ab Epiſcopo Gneſnenſi Polono Romam Miſſos Auguſtæ ſacras viſitaſſe reliquias & hanc Crucem ſingulari pietate veneratos eſſe, affirmantes ejus famam in pleriſque Poloniæ Eccleſiis notam ac celebrem eſſe. Clauditur alia Cruce ex auro puro ac gemmis pretioſiſſimis ornata cum inſcriptione *ſtatim data.*

Jam vero huic Crucis miraculoſæ hiſtoriæ quò minùs integram adhibeant fidem, eruditi Hagiographi duo potiſſimùm in cauſa eſſe prætendunt. Primum; quòd traditio, cui Scriptores Stengelius & Hertfelderus innituntur, non ſatis antiqua, ſed potiùs novitia videatur. Alterum eſt ſcriptoris ſynchroni & coævi vitæ S. Udalrici antiquiſſimæ altum hac de re ſilentium. Ego qui hanc litem noviter intentatam nolo facere meam, reſponſionem ad argumentum, quod ab autoritate negativè ducitur cujúſque amore non admodùm afficior, doctiſſimis Cœnobitis, quorum copiam ſemper habuit San-Udalricanum Monaſterium, dandam relinquo, eíſque dico: *poſſidete, ut poſſidetis, atque ut tota credit Germania.*

§. IX.

Crux S. Joannis Gualberti Abbatis.

VOta Benedictina S. Joannes Gualbertus in Monaſterio S. Miniatis nuncupavit. Poſtea factus eſt Vallumbroſanæ Congregationis inſtitutor. Ex ejus ſacris Reliquiis in Vallis umbroſæ Monaſterio ſervatur Crux, quâ idem S. Abbas dæmones in fugam avertere ſolitus erat, de quâ Hieronymus Radiolen-

diolensis (*ppp*) Libro 1. de Miraculis ejusdem Divi sequens in literas retulit prodigium.

„ In Ipsius sanctissimi Joannis vita legitur, quendam Florentinum, cùm plurimùm eloquentia & vulgari prudentia polleret, nonnunquam contra Joannem inter alios cives pro Petro Simoniaco Episcopo Florentino insurrexisse. Hic cùm in extremis, quadam detentus infirmitate, laboraret, salutare sibi visum est consilium, cùm ipsemet sua conscientia ad inferos damnaretur, habitum à Joanne sanctissimo Religionis impetrare; ut negotium hujusmodi suis necessariis committens, à Joanne pio & injuriarum immemori facilè veniam impetravit; ad habitum tamen dandum, quia sine probatione fieri non licet, immobilem repererunt. Ægrotum igitur affines non sine difficultate ad S. Joannem deferunt; & denique precibus & lacrymis parentum, vel reverâ magis ipsius fide flexus, habitum ad extremum illi consentit. Proh bone JEsu! tanta S. Joannis virtus & gratia fuit, ut qui jam moriens videretur, sumpto eo amictu, surgeret & ambularet.

Sed nonnullo interjecto tempore, cum gravior quædam ægrotatio eundem corriperet, ita ut nullam evadendi jam spem haberet, P. Joannes, vocatis Monachis, eum visere pergit, & ipso & certis orantibus, ille ægrotus caput totum, lecti arrecto panno cooperuit. Quid vereatur rogat S. Joannes: Ille faciem enudans inquit tremens: Diabolum toto ex ore flammam ignitam & naribus hiulcis pestiferum sulphureúmque fumum edentem cominus me miserum intueor: Et B. Joannes, ubinam esset, interrogans, illicò arripiens manibus Crucem, umbram perquam strenuè percussit; qui diabolus statim ejulans ac fætens ceù fumus evanuit; & infirmus alacri voce exclamare: Deo gratias! Deo gratias! Abiit discessit. Ecce adsunt Virgo Dei gloriosa Mater, Petrus Apostolus, & pater Benedictus. His dictis animam felicissimè emisit.

Quam

(*ppp*) Extat in Actis SS. Mens. Jul. Tom. 3. p. 383.

Quam Crucem Monachi in sacrario inter sanctorum reliquias servantes, sæpius etiam nostrâ ætate fide & virtutibus S. Joannis ducti, ubi aliquis à dœmonio captus huc accesserit, utrùm captus sit à dœmone an non, eadem Cruce tentant; in primis tamen aquam sale & verbis exorcizatam aspergentes, qua solum, me præsente, quam plures discessere incolumes. „ *Ita Hieronymus Radiolensis Prior Abbatialis S. Donati in Vincla, inter scriptores Vallumbrosanos valde celebris.*

Cæterùm V.C. Papebrochius hanc Crucem putat esse eandem, quam S. Gualbertus Petro Igneo innoxiè flammas transeunti gestandam dedit. Quidquid sit de ea re constat, Crucem illam miræ virtutis esse contra dœmones, ita ut anno 1634 à R. D. Valentino Balduino Abbate argenteis ornamentis fuerit condecorata. Joannes Solerius in Comment. prævio ad vit. S. Joan. Gualberti §. 12. p. 341. col. 1. Act. SS. Mens. Jul. Tom. 3.

§. X.

Crux in S. Ansberti honorem erecta.

CUm venerabile corpus S. Ansberti Archiepiscopi Rotomagensis ab ipsius obitu ad Fontanellam monasterium, locum suæ professionis Benedictinæ, esset transferendum, in ditione quorundam illustrium virorum, Bertholdi scilicet & Radamasti, dissitâ à cœnobio Fontanella quatuor milliaribus pausaverat. Hîc verò in honore & memoria ipsius à fidelibus crux posita fuit lignea, ubi infirmi à diversis languoribus, Domino largiente, meritis sancti Ansberti plura frequenter perceperunt sanitatum munera. Ubi circa diem pausationis, sive adventus ejus ad eundem locum, quod est quinto Idus Martii ad honorem & intercessionem ejus plebes innumeræ pia Domino solenniter persolvunt vota, vigiliarum videlicet ac divinorum hymnorum, donorumque diver-

diverſorum, cum devotione ſummâ. Atque ibidem per merita ipſius multa aſſiduè fiunt miraculorum ſigna, quæ ſui enormitate (magnitudine) relatoris tranſcendunt ſcientiam. Ibi enim amiſſio corporeæ lucis viſum, ariditas greſſum, ac retinacula linguæ verborum ſeriem, officiúmque diu negatum aurium, recipit auditum, dœmonúmque frequens ab humanis corporibus fit expulſio.

Redeunte autem tempore die ſexto Idûum Aprilium in eodem loco, ubi ſanctæ Crucis vexillum fuerat erectum, mulier quædam, quæ per multa annorum curricula contracta extiterat, cum fide rectâ ad eundem pergens locum, priſtinæ ſanitati eſt reddita: tellúſque, quam diu debiles non preſſerunt greſſus, eſt ſtupefacta, ſe ab invalidis quondam tam ſubitò contingi veſtigiis. Agamus grates DEO noſtro innumeras, qui propter jam dicti famuli ſui merita, talia dignatur monſtrare miracula. Sequenti quoque tempore in præfato loco eccleſia eſt conſtructa, in honore S. Ansberti Præſulis, auguſto & polito opere, à Venerabili Hildeberto Abbate, ſucceſſore ejusdem ſancti Patris in ordine regiminis. *Aigradus in vitâ cap. XI. apud Bolland. in Act. SS. d. 9. Febr. p. 356.*

§. XI.
Crux Nigra.

CEleberrimæ hujus olim quondam in Anglia Crucis Capite I. meminimus, dum nobis ſermo erat de fundatione Benedictini Parthenonis in *Helneſtou*, in quo primum decenter repoſita, poſt ejusdem verô deſtructionem in Abendonienſe Cœnobium fuit translata, ut Wilhelmus Dugdalius & Rogerius Dodesworthus in Monaſtico ſcribunt Anglicano. „ Quorum teſtimonio ſancta adeò eſt, ut nullus „ jura-

„ juramento ſuper eam præſtito, impunè & ſine periculo
„ vitæ ſuæ poſſit affirmare mendacium; creditur etenim
„ ex clavis Domini ex magna parte conflata & facta. Nec
„ tamen à Conſtantino Magno, qui in ea regione Impera-
„ tor creatus fuit, ibi repoſita, ut quidam dicunt, ſed
„ credibiliùs quidem à benevolis ſuis *Britannis*, quos ſe-
„ cum *Romam* profecturus deduxerat, transmiſſa illuc, ut
„ memoria ſanctitatis & meriti utrorumque ſcilicet matris
„ & filii inſigniùs appareret, ubi & corporalis præſentiæ
„ ipſorum converſatio habita magnificabatur, vel certè
„ transmitente *Cæſare* ipſo, vel matre ejus ad honorem &
„ tuitionem patriæ, dequa ad imperium aſſumptus fuerat,
„ crucem illam repertam fuiſſe aſſerunt, per quam multa
„ ſigna indicantur, ſanctuarii illius virtutes monſtratæ ſunt.
„ Quot rei periurii ſuper eam deprehenſi ſunt, non eſt nu-
„ merus. Unde cùm tot virtutibus, quas enumerare non
„ poſſumus, mendacia & aſſertiones falſæ detegerentur,
„ reverentia, quâ debebat, honorabiliter tractabatur, &
„ volentibus fratribus (Monaſterii Abendonienſis) cum
„ auro & argento ornare, quidquid ei in una die circa
„ adaptabatur, totum altera decidiſſe, & diſſolutum eſſe
„ videbant, nec poterat aliqua parte aliquando aurum vel
„ argentum circa eam confirmari, tantum exteriùs per to-
„ tum involuta eſt.„ Hæc Dugdalius & Dodesworthus in Monaſtici Anglicani tomo 1. quam cùm paginâ 97. curâ & juſſu Ciſſæ Abbatiſſæ confectam fuiſſe affirmaſſent, paginâ aliâ Romæ factam, & inde in Angliam perhibent transmiſſam. Hæccine uni Cruci conveniunt? Vel igitur Viri eruditi hoc loco falluntur, vel non una tantùm CRUX NIGRA, ſed plures magnæ celebritatis in Anglia fuerunt. Quamquam hoc poſtremum qui aſſerat, neminem unum ſciam. Apud Hectorem Boethium in Scotorum Hiſtoria lib. XII. fol. CC. LXVI. N. LXXV. de NIGRA CRUCE

 lego:

lego: nempe cùm Wilhelmus Nothus, cognomento *Conquæstor*, Angliæ Regnum in ſuam redegiſſet poteſtatem, multos viros nobiles ejuſdem regni proceres ſibi ſuſpectos proſcripſit. Quorum ingens in Scotiam numerus ad Malcolmum pervenit, prdæiiſque ab rege acceptis perpetuò ibi manſere. --- Sed qui id temporis venere ex Anglia ad Edgarum inter exules præcipuum, vaſa cælata magno artificio, partim argentea, partim attulerunt aurea. Sanctorum quoque reliquias quaſdam, inter quas pretioſiſſima illa CRUX NIGRA, quam poſtea rex David Cœnobio ſuis impenſis in Lundonia ædificato donavit. Unde & nomen Sanctæ Crucis obtinet. Quantâ autem devotione per totam vitam ſuam illam proſecutus fuerit, indicio eſt, quod cùm in extremis ageret, poſt Miſſarum ſolennia venerandam Crucem, quam *Nigram* vocant, produci ſibi petiit adorandam.... Hanc igitur Crucem, omni Scotorum genti non minùs terribilem, quàm amabilem, cùm Rex devotiſſimè adoràſſet, cum multis lacrymis peccatorum confeſſione præmiſſa, exitum ſuum cæleſtium myſteriorum perceptione munivit. Fecit hoc Rex David exemplo Matris ſuæ S. Margaritæ Scotorum Reginæ, quæ ipſa etiam, teſte Theoderico noſtro, Monacho Dunelmenſi, qui Sanctæ Reginæ Confeſſarius morienti adfuit, ejúſque vitam (*qqq*) ſcripſit: *Ipſa quoque illam, quam NIGRAM CRUCEM nominare quamque in maxima ſemper veneratione habere conſuevit, ſibi afferri præcepit.* Jam verò ſciſcitari liceat, cùm hæc CRUX NIGRA in Scotiam ex Anglia fuerit delata, an illa ſit, quæ curante Abbatiſsâ Ciſsâ elaborata, ac primùm in Parthenone *Helneſtou* aſſervata, tum in Monaſterium Abendonienſe tranſlata fuit? Davus hîc ego ſum, non Oedipus. Gratias illi debebo, qui mihi in tenebricoſa *Nigræ* hujus *Crucis* hiſtoriâ caliganti clariorem affundat lucem.

§. XII.

(*qqq*) Extat apud Bolland. d. 10. Junii, ubi vid. append. pag. 336.

§. XII.

Crux Wintonienſis.

WIntoniæ, celebri Angliæ civitate, erat in Eccleſia Monaſterii S. Grimbaldi Crux magna, Crux ſancta juſſû regis Canuti dudum fabricata, & ab eodem auro & argento, gemmis & lapidibus pretioſis decentiſſimè adornata. Hæc quo tempore Henricns Wintonienſis Epiſcopus [cujus milites Warwellenſe S. Crucis Monaſterium ipſa die feſtivitatis Exaltationis S. Crucis ſacrilegis abſumpſiſſe flammis, Capite Imo narravimus] furore percitus & hoſtium vindictâ ardens, urbem incendi juſſerat, jam ſibi approximante incendio (quod mirum dictû eſt) quaſi imminens ſibi præſentiens periculum, intuentibus, qui aderant fratribus cœpit ſudare, nigreſcere, imò comburentium nigredinem exprimere. Sed & in ipſo concremationis ejus momento fragor horriſonus tonitrui magni tribus vicibus intonuit, quaſi de cælo. - - - Henricus verò Epiſcopus tulit ex combuſta Cruce quingentas argenti libras, auri quoque marcas 30. diademata tria cum totidem ſcabellis, ex auro Arabico puriſſimo, & lapidibus pretioſiſſimis undique operta, opere pulcherrimo & mirifico facta, eáque in ſüis recondidit theſauris. Continuator Florentii Wigornienſis pag. 677. & 678.

§. XIII.

Crux Brauweillerana.

COram hac miraculosâ Cruce, cùm adhuc eſſet in *Tonaburg* caſtro, quædam cæca viſum, ipſius nimirum (ut indubitanter credi poteſt Crucifixi Domini medicabili dextrâ adjuvante conſecuta eſt : propter quod eadem Crux Sancta

ad

ad venerationem ſui majorem, per ſeipſam Brauwillere honorificè translata eſt. Ita Anonymus Brauwillerenſis in Narratione de Venerabilibus Comitibus Palatini Rheni Erenfrido & Mathilde apud Leibnitium Tom. 1. Scriptor. Rer. Brunſwic. pag. 318. Eſt verò Brauweilleranum Monaſterium ad Rhenum ſitum, ab Ezzone ſeu Ehrenfrido Comite Palatino, ejúſque conjuge Mathilde, Ottonis II. filia conditum; in quo non ſuperioribus modo ſæculis, ſed hiſce præſentibus temporibus viri pietate & doctrina eximii florent, de quorum ſcientia & eruditione Opera ſanè quàm præclara in publicam emiſſa lucem perhibent teſtimonium.

§. XIV.

Crux Egmondenſis.

THeodericus II. hujus nominis Comes Hollandiæ magna devotione erga S. Adelbertum Diaconum, Ordinis Sancti Benedicti Monachum Eſternacenſem ferebatur. Nec ſine causâ id faciebat. Liberos enim habebat, qui ejuſdem Divi ope ac ſuffragio ſanitatem à Deo recuperarant. Ut igitur erga Sanctum Patronum, & apud Deum interceſſorem gratum ſe exhiberet, in honorem illius Egmondæ quæ eſt elegans urbs Hollandiæ Septentrionalis, Monaſterium Familiæ Benedictinæ magnis ſumptibus & impenſis conſtruxit. Inter donaria, quæ Deo ſanctóque Adelberto obtulit, multùm à nonnullis ob antiquitatem, artem, & religionem celebratur tabula altaris ex fulvo auro compacta, & pretioſis lapidibus reſplendens. In qua Crux viſitur, cum diademate & effigie Salvatoris. In Crucis dextro brachio inſcribitur, *Charitas*, in ſiniſtro *Spes*, pedi *Fides*, cum condecentibus imaginibus. Sed hæc, noſtra ætate, inquit Molanus in Hiſtor. S. Imag. lib. 2. cap. 61. p. 214. Geuſica rabies cum toto Monaſterio delevit. In publicis tabulis paulò poſt recitandis hæc tabula Altaris

ab

ab Hildegarda Theoderici uxore dono oblata fertur. Utcunque ſit, poteſt ab utroque conjuge Theoderico & Hildegarde donata fuiſſe. Filios progenuerunt duos, Arnulphum III. Hollandiæ Comitem, & Egbertum Archiepiſcopum Trevirenſem, Browero in Annalibus hujus Archiepiſcopatûs (*rrr*) laudatiſſimum Præſulem.

Hic igitur Egbertus puer etiamnum in Benedictinorum diſciplinam deditur, & jam inde à pueritia divino cultui, religione parentum conſecratus, tandem in Ordinem eum, adultâ jam ætate ſe adſcribi voluit. Mox ſubdiaconum factum perhibent graviſſimâ atque diuturnâ conflictatum febri; atque hoc morbo, eo ipſo die levatum, quo anniverſariis D. Adelberti miniſtrare ſacris, & pro muneris impoſiti conditione, aſtare ſacerdoti optavit ſacrificanti. Imbecillum porrò atque invalidum, adhibito deprecatore Sancto Adelberto, diutinâ vi morbi repentè liberatum, atque operatum ex voto tum etiam rei divinæ. Hoc igitur eximium virtutis atque indolis generoſæ ſpecimen attulit ad Epiſcopatum Egbertus. Fuit (*sss*) vir ſtaturâ corporéque procerus; oris dignitate tam excellenti, quàm, qui plurimùm inter omnes id ætatis Germaniæ primores. Formam antiſtitis mirificè commendabant inſignes animi dotes; quæ cùm per omnes in eo ætatis gradus, tum in ſacerdotio, vel maximè exſplenduerunt. Etenim adoleſcens Monaſticæ vitæ genus ſecutus, id ita deinde retulit & in omni actione virtutibus expreſſit, nihil ut videretur in quiete illa ac ſolitudine meditatus aliud; quàm ut hac ampliſſima functione ſuis & meritis dignitatem ſuſtineret, & moribus ornaret Epiſcopatum. Egmondam Abbatiam in Hollandia ſuperſtes tum aliis innumeris donariis, libris, tum aureâ tabulâ pretii immenſi, ac undique gemmis irradiante, tum *Cruce pretioſa* donârat: hujus verò *Crucis* mirificam virtutem ſunt experti incolæ Cœnobitæ, ut infirmis remedium

 poſcen-

(*rrr*) Tom. 1. p. 480. (*sss*) l. c. pag. 492.

poſcentibus ſalutem illa certiſſimam non rarò afferret; eáque cauſâ creditum à multis, Egbertum in Divorum etiam cætu ac numero reponi. Meminit Wilhelmus Heda Donationum, quæ publicis atteſtatæ tabulis, anno 1083, Henrico IV. Imperatore, Conrado Epiſcopo Trajecti, Stephano Abbate Egmondæ, publico in conventu Ulaerdingæ. In quibus ubi Theoderici comitis mentio illata, caput illud ſubjicitur.

Ornata autem bonis moribus uxor prædicti Comitis Hildegarda venerabilis; & ipſa obtulit Deo, Sanctóque Adelberto tabulam Altaris, fabricatam ex auro claro gemmíſque pretioſis. Textum Evangeliorum etiam auro gemmíſque decoratum, Hiſtoriam, id eſt, medicinalem librum: Egbertus nominati Comitis filius Dei gratiâ Treverica Eccleſiæ Archiepiſcopus honoravit, eundem locum Eckemundenſem offerens Deo, Sanctóque Adelberto Crucem auream, Caſulam pretioſam, ſtolam pulcherrimam, Cingulum auro contextum, Dalmaticam, ſubtile Miſſale, Capitulare, & Hiſtoriam vetus novúmque teſtamentum continentem, multóſque alios libros. Scrinium argenteum: plenum reliquiis Sanctorum. Hæc ibi:

Nobis de una *Cruce* prodigiis clara ſermo erit. In vita S. Adalberti Diaconi cap. 12. unum memoriæ proditur, quod hîc retuliſſe me non pœnitat.

„ Anno Domini MCXIII. Nonis Octobris dedicatum eſt
„ templum in Egmunda *(ttt)* à domino HARTBERTO
„ Trajectenſi Epiſcopo, præſente Theoderico nono Comite,
„ & uxore ejus Sophia, & congregato populo infinitæ mul-
„ titudinis, tanta præparatione neceſſariorum à Domino
„ Waltero Abbate proviſa, ut qui præſentes fuerunt, nun-
„ quam tali dedicationi ſe adfuiſſe hodieque teſtantur. Au-
„ ræ etiam derepente ſuperveniens jucunda ſerenitas feſtivi-
„ tati arriſit, cùm per ſex hebdomadas antè pluvialis aura
„ fue-

(ttt) Nunc quo loco ſit Eccleſia Egmondenſis Monaſterii ad Oceanum Germanicum, ſciunt omnes, qui profligatæ in Hollandia Religionis catholicæ ſtatum norunt. NOTA Mabillonii ad hoc 12. caput vitæ S. Adalberti, quam ſec. III. Ben. part. 1. p. 644. exhibet.

„ fuerit. Hujus eventus, immò miraculi Dominus Hart-
„ bertus Episcopus in sermone, quem locutus est ad po-
„ pulum, mentionem fecit: & dicebat se mirari, quòd
„ tantæ & tot Reliquiæ maximorum sanctorum Apostolo-
„ rum, Martyrum, Confessorum, & Virginum contine-
„ rentur in extremo margine mundi. Cùm autem Sancto-
„ rum Reliquiæ reconderentur à Domino Episcopo altari-
„ bus, *Fritbericus* pius & religiosus Monachus, in quæ-
„ rendis, videndis, dividendis & exportandis Reliquiis stu-
„ diosissimus omnium fuit. Quem Dominus è vestigio com-
„ pleta dedicatione castigans castigavit, & tam in cor-
„ pore quàm in sensu cito utrumque sanaturus flagella-
„ vit. Adscendente enim ad cerebrum infirmitatis humore,
„ à semetipso in tantum alienatus est, ut nec verba ejus, nec
„ gestus convenirent consuetudini & personæ ipsius. Post
„ aliquot dies cùm Frater ille infirmitatis immensitate, &
„ congregatio tota orando & vigilando super eo laboraret,
„ signatus est *Cruce*, quam Egbertus Trevirensis Archiepisco-
„ pus Egmundensi contulit Ecclesiæ: cujus virtutis effectum
„ sæpenumero experti sunt & narrare solent Fratres ejusdem
„ Ecclesiæ & laici quamplures ad eam pertinentes. Hac igi-
„ tur *Cruce* signato confestim Dominus reddidit lætitiam sa-
„ lutaris sui, & sensu integro devotis eam incliniis salutavit,
„ nec multò post ab ægritudine mentis & corporis convaluit.
„ Creditum est autem à multis, hanc eum plagam ex hoc
„ incurrisse, quòd tam audacter & minùs cautè Sanctorum
„ Reliquias tractaverit: ut discat homo, & putredo & ver-
„ mis, talibus se non præcipitanter ingerere, sed cum
„ tremore & summa reverentia tractare
„ divina.



§. XV.

§. XV.

Cruces Wiblingenses S. Crucis Thaumaturgæ imagines.

EAm S. Crucem, quæ in Wiblingensi Sueviæ inclyto Monasterio religiosè asservatur, esse veram illius ligni partem, quod sacratissimum salutis nostræ instrumentum fuit, vel illud indicio est, quod innumeris in credentes collatis beneficiis salutaris habeatur: præcipuè virtutem à sacratissimâ Christi carne & sanguine impressam contra veneficia & tempestates ostendit: Quæ causa est, ut continuô devoti populi accursû, donariis, & oblationibus frequentetur. Quemadmodum verò hactenus nemo unus fuit, qui expetere ausus sit, ut in sui gratiam vel minimum de Cruce Thaumaturga frustillum abscinderetur, ita plerique sat magno se beneficio mactatos existimant, si ejusdem imaginem, id est, ligneam aliam Crucem, physico illius contactû dignatam, secum auferant. Quare Ascetæ Wiblingenses, ut cultorum Thaumaturgæ Crucis devotioni satisfiat, ligneas variæ magnitudinis Cruces fabrefieri curant; quas primùm benedictas, tum attactu Dominicæ Crucis sacratas piè efflagitantibus prompto animo distribuunt. Quid? quòd multæ etiam in remotas distrahantur regiones ac provincias, tot prodigiis illustratæ, ut pro beneficiorum amplitudine peculiari libro describendæ veniant. Cujus lucubrandi Operis spem fecit, qui an. 1702. *Templum Honoris Wiblingensis* publicis vulgavit typis. Interea ex mox laudato *Honoris Templo* (*uuu*) Inscriptionem Honoribus Thaumaturgæ Crucis nuncupatam affere liceat.

(*uuu*) In epilogo seu appendice pag. 66.

PAR-

PARTI DE TOTO, ET TOTI DE PARTE

Insigni Particulæ
Prœmio Laboris

FUNDATORUM

Ob meritoriam pro Terrâ Sanctâ Expeditionem

SS. CRUCIS,

In Qua Salus Mundi Pependit,
Vita continetur æterna,
Mors captiva ducta;
Dulci Arbòri, Dulci Robori, Dulci Ligno,
Dulcem gerenti Fructum,
Benedicto summæ Propitiationis Altari,
In quo peracta est expiatio Mundi;
Triumphali signo Regis Æterni,
In quo debellati sunt Principes & Potestates Tenebrarum,
Justissimæ supernæ clementiæ stateræ,
In qua appensum & persolutum est debitum Captivitatis antiquæ
Et acquisita est Humano generi gratia libertatis æternæ.

CRUCI THAUMATURÆ WIBLINGANÆ

SExcentis jam annis, & ultra
Securissimo in Tempestatibus Asylo,
Efficacissimæ in Maleficiis Medelæ Salutiferæ,
Saluberrimo in ægritudine, morbísque Remedio,
Mirabili in attactis etiam particulis virtuti,

Plurimorum votis incessanter expetitis
Remotissimas in Oras;
Contra grandines, fulgura, tempestates, incendia,
Aquarum inundationes, Veneficia, Dœmonum insidias &c.
Probatissimo Præservativo,
Jugi Miraculo,
Laudem, Hymnum, & Gloriam
Dicit
Potitum votis suis, & numeris
Wiblingense Monasterium.

§. XVI.
Crux Buelliana.

DE primo Indiæ Occidentalis Apostolo Thomas Bozius Eugubinus S. Congregationis Oratorii in urbe Roma doctissimus Presbyter lib. 1. Signorum Ecclesiæ Dei sic loquitur: *Primus Evangelii Præco fuit Indiæ Occidentalis Buil Catalaunus ex Ordine S. Benedicti, quem Papa Alexander Sextus Sacerdotibus duodecim præfecit, suásque in iis regionibus illi partes mandavit, atque suum Vicarium, ut Genebrardus infra citandus asserit, apud illas Regiones nominavit.* Fuit enim hic Prælatus prius Abbas Montis Serrati in Catalonia, præ reliquis viris tum in sacris tum humanioribus doctissimus, ac illo tempore in Hispania multùm celebris. Quamcunque ad insulam seu regionem cum Christophoro Columbo appulit, vexilla S. Crucis expandit. Præcipuè (*xxx*) in Insula Cuba Crucis trophæum eximiæ magnitudinis cum sociis Benedictinis erexit, ad quam deinde multa prodigia facta fuerunt. Ait enim Franciscus Lopez c. 34. *que sanaron muchos enfermos con el palo ij de-*

(*xxx*) Vid. Honor. Philipon in Navigatione Monachorum O. S. B. in Nov. Mund. sive Americam pag. 56.

y devotion de una Cruz, que puso Christoval Colon la secunda vez, que passo en la Vega quellamaron por esso de la vera Cruz, cuio palo tomavan por reliquias. Id est: „ Sanabant multos
„ infirmos per devotionem cum quodam ligno S. Crucis,
„ quam posuit (ut quidam ait in oppido S. Jacobi de plani-
„ tie vulgò de la Vega) Christophorus Columbus, secunda
„ vice, cùm Vegam versùs viam instituеret. Et eam Crucem
„ in honore habent & amant Insulani, ab eáque reliquias
„ tollentes, quasi vera esset illa Hierosolymitana Christi Do-
„ mini.

Hic præterea silendum non est, quid de Cruce hac in Spagnola erecta miraculosè contigerit: Nostris enim hominibus longius ad interiora recedentibus: Ecce tibi derepente maligni Apostatæ fœdissimi Cacodoemones, vim Sanctissimæ Crucis persentientes, & expelli se hinc atrociter ferentes, suis cultoribus idololatris inspirabant, S. Crucem positam ut ad terram dejicerent, aut flammis exurerent. Continuò ultra sexcenti Barbari concurrunt, machinis suis instructi, solotenus hoc S. Crucis lignum deturbare conantur. Nihil verò proficere valentes (divina enim virtute prohibiti erant) ad alia malitiosa accinguntur. Ingentem enim subitò pyram comportant, incendunt, inflammántque, sperantes, se in favillam hanc S. Crucem redacturos. Sed Christo Domino renitente inanes illorum conatus & irritos Deus fecit. Nam ignis vim suam non exeruit, sed illibatum à depascente flamma hoc sacrum lignum Crucis reliquit. Insuper ut quidam fide dignissimi retulerunt, pulcherrima quædam Virgo, incredibilibus circumdata fulgoribus, vultû subirato Indis præfatis, dum ista satanico furore perpetrarent, apparuit: quare mirum in modum exterriti maximo cum timore & clamore in sylvas auffugerunt. Hanc verò non aliam fuisse, quàm Cœli Reginam, inter omnes nationes & generationes Benedictam Christi Dei Matrem Virginem Mariam autumandum est.

Cc 2 Sæ-

Sæpiùs enim deinceps illis in Regionibus mirabilia gratiæ opera fidelibus & infidelibus exhibuit: uti videre eſt in Inſulis S. Mariæ Hiſpanis dictæ *de los Remedios*, prope Cozumellam, ſive S. Joannis Inſulam à latere conſitis intra tropicum Cancri & æquatorem; Hiſpani *Cabo de elos S. Maria* nominant. Et quidem jam dudum illæ gentes quædam ſymbolica præludia de hac ſacroſancta Dei genitrice Maria, & filio ſuo ſemper benedicto JEſu Chriſto, Deo Salvatore noſtro habuere, ut jam ſupra memini, & apertè Petrus Martyr Hiſpanus in ſua Hiſtoria novi Orbis recitat, ubi in Guadalupea Inſula mirabile, colere ſolitos fuiſſe hos barbaros Americanos intemeratæ S. Virginis Mariæ ſimulachrum ſcribit. Hoc ergo ſolenni facto miraculo, cauſa extitit, ut inpoſterùm hæc S. Crux à Chriſti fidelibus maximo in pretio & honore etiam ab ipſis barbaris in Americana Eccleſia haberetur, illiúſque venerabilis ligni in diverſas & regionum ac inſularum terras expeti particulæ incœperint, & à populis exportari.

Neque immeritò hujus S. Crucis à Buellio Patriarcha Chriſto dedicatæ deinceps reverentia crevit, & incrementum ſumpſit. Nam ad ejus tactum concomitante fide in Chriſtum plurimos languoribus incurabilibus oppreſſos convaluiſſe, ac innumeros dœmoniacos energumenóſque hujus ſancti Ligni virtute liberatos & ſanatos expertum eſt. Adeóque frequentia miraculorum percrebuit, ut in qua poſita & erecta hæc S. Crux fuit Inſula, *S. Crucis Inſula* vocitaretur. Unde procul Fr. Gonzagæ fabulamentum rejiciendum eſt, qui ambitiosè nimis in Iconibus Provinciarum Franciſcanorum ſuis hominibus hoc poſitum à Monachis Ordinis S. Benedicti S. Crucis trophæum in Inſulis Americanis, aut novi Orbis affingit, quod tamen Buellium Patriarcham noſtrum erexiſſe audiviſti. F. Buellium enim ſecunda navigatione anno 1493. cum Chriſtophoro Columbo in Spagnolam navigaſſe demonſtravimus ſupra, inquit *Honorius Philoponus*, id eſt, *Caſpar Plautius Abbas*

bas Seittenstadianus in Nova Typis transacta Navigatione pag. 57. Et ex officio *Vicariatûs Pontificii* hæc Religionis signa adornare debuisse, quis est tam fatuus, ut controvertat, Politicóque potiùs adscribat Magistratui ac Capitaneo?

Nam diu post Ordinis S. Benedicti Monachos Franciscani Americam accesserunt, uti patet ex Bulla data per Adrianum Papam Sextum Anno salutis humanæ 1522. Bulla verò Apostolici gradûs & officii data est Ordinis S. Benedicti Monachis super dirigendas & construendas Indiæ Occidentalis Ecclesias ab Alexandro Papa Sexto Anno Domini 1482. ut superiùs ex Bulla, & cum doctissimo D. Genebrardo, multiplicibúsque locupletissimis testibus demonstratum est. Huic enim Buellio soli & suis ex officio competebat designare per S. Crucis signum loca Ecclesiarum: utpote SS. Petri & Pauli à S. Sede Romana delegato plenipotentíque super Indorum novi Orbis Ecclesias Vicario. Quemadmodum jam superiùs ex Fernando Consalvo Ovettensi clarissimo & oculato testimonio; qui Fernandus tunc Romæ cum Hispaniæ Legatis adfuerat, legisti; fuisse nimirum constitutum & esse Illustrissimum & Reverendissimum Buellium *Capo degli alteri Chierici & Religiosi al colto divino & alla conversione di questi Indiani, que no ÿva por Arcobispado ÿ Obispado en el Mundo Nuevo, muÿ ÿva por Vicario di Papa.* Id est; *Qui Buellius non pro Archiepiscopo nec Episcopo ad illas novi Orbis Gentes dimissus est. Sed pro ipso Vicario Papæ;* Huic Ovetensi consentit Franciscus Lopez c. 48. & c. 20. sic dicens: *Los Reies Catolicos Don Ferdinando ÿ Donna Isabella conforme alà voluntad ÿ mandamiento de su sanctitad, ÿ assa mandaron à Joan Rodriquez de Fonseca, Dean de Sevilla, Buscaron doce Clerigos de scientia ÿ concientia paraque predicassen ÿ convertiessen junta mente con Fraÿ Buill Catalon, de la Orden de S. Benito que ÿva por Vicario del Papa con Breve Apostolico.* Id est: *Reges Catholici Dominus Ferdinandus, & Domina Isabella suæ sanctitati voluntatique se conforman-*

formantes, Joanni Roderico Fonsecæ Decano Seviliensi mandabant, ut doctos & conscientiosos Clericos inquireret, qui & prædicare & convertere adjuvarent, unà cum Fratre Buellio Ordinis S. Benedicti Monacho gentes Americanas: qui F. Buellius ibat ad Indos cum Brevi Apostolico pro Vicario ipsius Domini Papæ. Item ulterius idem autor Franciscus Lopez cap. 34. 66. scribit: Fratrem Buellium Ordinis S. Benedicti Monachum & doctos Clericos Indianorum populorum Americanorum conversionem incepisse, & continuâsse. Fuitque primus Episcopus de la Vega Petrus Xuarez de Deca. Cui successit Alexander Geraldinus Romanus, Garzias de Podilla, Alphonsus de Fuen; Joannes Cabedus primus Episcopus de la Antiqua, Darien ac terræ firmæ in novo Orbe. Qui omnes à fratre & Monacho Ordinis S. Benedicti Buellio, utpote Patriarcha, ac novi Orbis summi Pontificis Romani & Papæ *Vicario* in Episcopos ordinati & consecrati. Ex quibus etiam redarguas erroris necesse est, ipsum Joannem Mayer Frisingensem in Epitomis Chronicorum fol. 76. & 77. & Joannem Metellum cum suo Cabedo Dariensi Episcopo; & alios qui sibi præmaturos Apostolici Vicariatus in Orbe novo fructus applicare videntur, ac primam columnam fidei Christianæ apud illas Americanas gentes alios quàm Ordinis S. Benedicti Monachos posuisse nugantur & blaterant. Quod quàm veritati contrarium sit, oculatorum testium auctoritatibus ac præstantissimorum virorum fidelissimis scriptis satis puto intellexisti & vidisti. Ferdinandum enim Cortesium Anno salutis 1521. Mexicam & Themixtitam navigasse patet; cùm Columbus Admiraldus jam pridem in fata mortalia concesserit, nempe anno salutis 1506. in Hispania: quo vocatus à Rege, causam suam iniquè accusatus defendit. Qua ratione ergo combinat Franciscanos cum Columbo Themixtitam & Mexinum navigâsse F. Gonzaga? eósque ibidem Vicariatûs Apostolici exercuisse officium? De quibus vide Joannis Myritii Cosmographiam fol.



CRUX APOSTOLICA REGUM HUNGARIÆ.
Quæ, internuntio S Anastasio, Archi-Cœnobii S. Martini Sacri Montis Pannoniæ Abbate, à Sumo Pontifice impetrata, inque Hungariam S. Stephano Regi fuit delata.

fol. 120. & mundi Theatrum titulo de Cofmographia fol. 266. 267. & Francifcum Lopez in fua generali Indiarum Hiftoria capitibus fupra citatis. Quàm ineptè igitur cùm plerifque aliis F. Gonzaga ifta eructet, clarum eft. Gloria proinde erectæ in Occidentali Indiâ primæ ac prodigiis claræ CRUCIS intemerata manet Patriarchæ Buellio.

§. XVII.

Crux Apoftolica Regum Hungariæ.

MIraris Lector, hujus Crucis mentionem hôc locô à me fieri? Mirari defines, fi intelligas, hanc ipfam Crucem à Summo Pontifice ex D. Benedicti Familia Regibus Hungariæ fingulari privilegio conceffam, iisdemque ab Abbate & Epifcopo ex eâdem facrâ Familia internuntio fuiffe delatam.

Author eft, præter alios idoneos Scriptores, Antonius Bonfinius Rerum Hungaricarum lib. 1. Decade 2. Opera, ftudio, ac indefeffo labore Monachorum Ordinis S. Benedicti Hungaros à beatiffimo Rege STEPHANO ad fidem fuiffe adductos. Fuerunt verò ii potiffimùm Monachi, qui fub S. Aftrico Abbate, in regio ac celeberrimo S. Martini Monafterio â Stephano Ungarorum Duce condito non vitam tantum Monafticam fibi excolendam, fed quo Chriftianæ religionis propagandæ zelo fervebant, Hungaros etiam ejusdem Sacris imbuendos exiftimârant.

Sed fine Paftoribus diu fubfiftere non potuit nafcens Ungarorum Ecclefia, huicque neceffitati beatus Princeps defiderans providere, Provinciam totam in decem Epifcopatus diftribuit, atque Colocenfi Ecclefiæ, uni ex illis, *Aftricum, quem doctrina & moribus praftantem effe noverat*, ut ait Bonfinius, *præfecit, eúmque, poft initum Pontificatum, Ana-*

Anastasium appellavit. Hoc ultimum meritò expungimus, cùm verum esse non possit; jam enim Joannes XV. in Bulla sua Pontificia, quâ Brzevnoviensis in Bohemia Monasterii Fundationem confirmavit, Anno 993. *Anastasium* eundem *Astricum* appellavit. Verùm hæc omnia (*yyy*) non satis tuto egisse sibi videbatur S. Stephanus, nisi accederet Sanctæ Sedis Apostolicæ Auctoritas. Quare Anastasium quadriennio post Patris sui Geysæ obitum Romam misit, tum ut Pontifex nascenti ecclesiæ benedictionem impertiret, ac novos Episcopatus erectos confirmaret, tum etiam, ut Regium Diadema sibi concederetur. Quanta cum prudentia hanc Legationem executus fuerit Anastasius, ipsius rei eventus declaravit; non enim Regium Diadema solummodò, verum etiam CRUCEM Insignia Apostolica Principi obtinuit: qua de re audiendus est præter Chartuitium Antonius Bonfinius.

„ Hunc Anastasium, quarto post obitum Patris anno, „ Romam ad Summum Pontificem mittendum esse censuit, „ mandata dat, ut à Christi Vicario in Ungaros, qui ejus „ fidem nuper iniverant, Apostolicam Benedictionem im„ ploret, & inter oves Petri adnumeret; post hæc, ut „ Strigoniensem Basilicam Metropolitanam esse jubeat: item „ cæteros Episcopatus in Ungaria nuper erectos sacrosancta „ auctoritate confirmet; demum quando potestas omnis à „ DEO est, & maxima cœpta sine divina ope confirmari „ nequeunt, Regalia Insignia cum Pontificia Benedictione „ assequatur. Astricus Romam properans, ut legationis „ officio diligentissimè fungeretur, die noctúque iter facit. „ Quid facit DEUS, qui piorum consiliis & honoribus „ semper incumbit? Nimirum dexterrimis eos prosequitur „ auspiciis. Eodem anno Misca, Poloniæ Dux, ad fidem „ cum populo conversus, eadem à Benedicto Pontifice Ma„ ximo,

(*yyy*) Vid. Mabill. Act. SS. Ord. S. B. secul. 6. part. 1. pag. 73.

„ ximo, per Legatos postulabat; Quare coronam Ponti-
„ fex ingenti sumptu comparat, ut religionis ac fidei ac-
„ cessione lætatus, Miscam Ducem, & novum Christi mi-
„ litem ob rem bene gestam regio diademate insigniret. Pri-
„ die ejus diei, quo Polonis destinata Corona tribuenda
„ erat, Astricus Urbem ingreditur; ecce in somnis superio-
„ re nocte DEI internuncius Pontifici apparet: Salve, in-
„ quit, Pontifex, cras Pannonicæ Gentis Legatum ad te
„ venturum esse scito, qui ut tuo beneficio & auctoritate
„ suum Principem regio diademate dones, exorabit; desti-
„ natam Polonis Coronam, quando ita merita postulant,
„ huic dato, proinde Divina mandata servato. Quum is
„ in auras recessisset, secunda hora diei Astricus in Sena-
„ tum Apostolicum admissus est; ubi quum Regis mandata
„ ex ordine retulisset, ejúsque sanctissimè gesta subjecisset,
„ & quantum Catholicæ fidei, ultraque Danubium, fe-
„ cisset, quam in Getas & Sarmatas usque propagaret, in-
„ credibili Apostolicum Ordinem gaudio complevit. Re
„ ad Senatum relata pro voluntate Regis, & Legati postula-
„ tione, nullo refragante, decernitur: ut non modò Chri-
„ stianissimus Rex Regia Corona donetur, in Regno Aposto-
„ lica auctoritate confirmetur, & Regis acta cuncta, cum
„ institutis Episcopatibus approbentur, verùm etiam, quia
„ verus & fidus Dei miles est, & Apostolus, ad exaggeran-
„ dam ejus dignitatem, in perpetuum Pontificiæ Legationis
„ Insigne, quâ sibi posterísque Regibus, semper fungi fas sit,
„ præferendæ *Crucis* potestate, honoretur. Quum Legatus
„ omnia non solùm è sententia, sed præter spem & opinio-
„ nem impetrâsset, magno refertus gaudio in Pannoniam se
„ recepit. Strigonio appropinquanti Rex cum singulari sa-
„ cerdotum Pontificúmque pompa obviam prodiit; Astri-
„ cum Pontificia munera deferentem & Coronam, & *Crucem*
„ ostentantem, honorificentissimè Deo gratias agens, excepit.

„ Apoſtolica Inſignia reverenter accepta; quando ad unam
„ quámque Romani Pontificis mentionem Stephanus, ſpe-
„ ctante populo, inclinato capite ſeſe ingeniculabat, ut
„ exemplo ſuo ad Romani pontificis, Apoſtolicíque Senatûs
„ obſequium, & obſervantiam omnes hortaretur.

Qua verò ratione Anaſtaſius pro totius Hungaricæ Nationis honore & gloria Legationem obire juſſus fuiſſet, niſi ad eam parem mentem, incredibilem induſtriam, ſummam judicii gravitatem, infinitámque prudentiam attuliſſet? tanta verò felicitate ſuam Legationem peregit, ut non exiſtimem, inquit Balbinus, (zzz) ullum ex *Ordine Sacro* nominari poſſe, cui plus debeat *Ungaria*. *Aſticus* benedictionem à Pontifice, quod erat imperatum, retulit; *Aſticus* Ungariam Chriſto, & ejus in terris Vicario obedientem & morigeram repræſentavit; item cæteros erectos nuper in Ungaria Epiſcopatus confirmari obtinuit; ſed duo reliqua in Ungariam Aſtici merita longè ſuperant, primum Regno, alterum Regi & Regno datum: quod Coronam ſanctam & decus Regium ad Hungaros attulerit, & Crucem *Apoſtolicam*, quæ Hungariæ Regibus velut Apoſtolica Legatione fungentibus præfertur, impetrârit. Narrantur hæ Prærogativæ multis verbis apud Chartuitium, Bonfinium, Baronium, & in eorum ſcriptis, qui de S. Corona Ungariæ ſcripſerunt; cujuſmodi eſt *Martini Schmeizelii Commentatio Hiſtorica de Corona Regni Hungariæ.* Verbo: Corona Poloniæ Regibus, deſtinatione Pontificis Sylveſtri II. ex Ordine S. Benedicti parata, divino juſſu Aſtico, ſeu Anaſtaſio ceſſit, S. Stephano Regi in Ungariam deferenda, Regéſque Ungariæ Apoſtolici appellati, quos procedentes *Crucis* Inſigne præcedat. Res eſt digna memoratu, ſed obvia, & à pluribus Auctoribus pertractata. Nobis ejus mentio hîc facienda viſa eſt, quòd *Crux Apoſtolica Regum Hungariæ* ad cæteras Cruces, quæ in Sacrariis Benedictinis aſſervantur, eo nomi-

(zzz) Miſcell. L. 4. part. 2. Tit. 2. pag. 10.

nomine quodammodò pertinere dici poſſit, quod & ab Abbate Epiſcopóque Benedictino impetrata, & à Pontifice Benedictino conceſſa fuerit, indultáque.

Cæterùm hujus Crucis Apoſtolicæ jactura non immeritò ſcriptoribus Rerum Hungaricarum dolet. *Utinam*, exclamat *Inchoferus* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MXIV. pag. 304. *Utinam eam ab initio diligentiam adhibuiſſent in cuſtodienda Cruce illa gemina, Apoſtolatus inſigni, quam Romanus Pontifex unà cum Coronâ transmiſit: opinione omnium res Hungarorum meliori loco ſtarent. Scilicet, eâ amiſsâ, ſive temporum injuria, ſive hominum incuria (quando enim & quomodo perierit incertum eſt) præſagium univerſis inceſſit, futurarum calamitatum, quibus Hungaria ab aliquot ſeculis conflictata eſt.* In eandem ſententiam Petrus de Rewa, Illuſtr. Comes Comitatûs de Turócz in celebri Tractatu, quem de ſacra Regni Hungariæ Corona edidit, Crucis hujus Apoſtolicæ amiſſionem his verbis pag. 6. deplorat. *Crux hæc exſpectandarum adverſitatum præludium & ſymbolum, neſcio temporúmne injuria, an hominum potiùs incuria? amiſſa deſideratur; auctis ejus loco hucuſque graſſantibus calamitatibus, ita ut Ungariam, non omnino abs re Angariam, quod illam perpetuo angore agi oporteat, quidam alius dixerit.* Hodie ſolemnitatibus, Crucem aliam, veteris illius à Pontifice Maximo transmiſſæ loco adhiberi oportet. *Vid. Math Bellus Notit. Hungar. Nov. Tom. 1. pag. 351.*

§. XVIII.

Crux Regii Parthenonis in Caſtro Pragenſi ad S. Georgium.

ANno 1252. Menſe Julio *Pomienus* Judex Curiæ Regis Bohemiæ dum in templo S. Georgii ad S. Ludmillæ tumulum, in arce Pragenſi coram Crucifixi Domini ſimulacro piè

Christum patientem veneratur, ex pede *Crucis* sanguinem stillare animadvertit, quem ipse suâ manû extergere conatus est. Hoc signum hodiéque in S. Georgii Ecclesia servatur & spectatur. Idem miraculum repetitum, & â plurimis mortalibus visum commemorat Hagecius An. 1283. antequàm Bohemia bello, fame, & peste, conflictaretur; sed illud quod hoc tempore accidit, significatio fuit malorum vicinorum: nam anno sequenti 1253. Bela Rex Ungariæ iterum cum suis *Cumanis*, Turcarum, qui postea Ungariam invaserunt, anteambulonibus, Christianorum quietem sollicitavit, totámque Moraviam, non parcens ætati, nec sexui, cæsis omnibus, pervastavit: barbariem hanc urbes, arces, & loca mœniis cincta evaserunt; templa ipsa pessumdedit, sacrorum omnem apparatum rapuit &c. *Balbinus Epit. rer. Bohem. lib. 3. c. 14. p. 267.*

§. XIX.
Crux San-Henriciana.

S. Henricus Imperator connubio sibi junxerat S. Cunegundem nobilissimæ prosapiæ virginem, cui postridie nuptiarum ex more Germanorum *munus*, ut vocant, *matutinum*, vulgò *Morgengabam* dedit. Fuit hæc Crux eximiæ magnitudinis, ex auro, ut ferunt, puro, ingentis pretii, operis Græci vetustissimi, uti inscriptiones atque imagines argumento sunt. Ipsa verò sanctissima Imperatrix Crucem ceu sacrum pretiosissimúmque cimelium Cœnobio S. Michaelis à se cum piissimo conjuge Bambergæ condito dono concessit, perpetuum amoris sui pignus atque munificentiæ monumentum. Utverò Crux sacris usibus aptaretur, Abbates Michaelitæ, hastile oblongum seu perticam ex argento fieri curârunt, cui Crux imponi possit, Latinis istis versibus ad instaurandam identidem

dem

dem ſanctiſſimorum Conjugum ac Fundatorum memoriam circumductis : *JEſu Chriſte bonum clemens Crucis accipe donum, quod dabit Heinricus pius Cæſar atque ſecundus.* Solet hæc Crux uſque hodie in feſtis majoris ſolemnitatis, cùm inſtituuntur proceſſiones, à Michaelitis circumgeſtari. Ejus iconiſmum exhibet Joannes Petrus Ludewig in volumine ſuo de Scriptoribus rerum epiſcopatûs Bambergenſis; multo verò accuratiùs Joan. Bapt. Solerius S. J. Commentario prævio ad Acta S. Henrici Imp. Tom. III. Julii pag. 785. ubi etiam in ejus ætatem, artificem, fabricandi cauſam & intentum, adjunctáque cætera inquirit. & pro viribus illuſtrat.

§. XX.
Crux Eccleſiæ Fuldenſis.

Mille anni, multum ſanè temporis, ſupra hanc noſtram ætatem (*aaaa*) fluxerunt, exquo Eccleſia Fuldenſis condita fuit. Dicere verò liceat de Fulda, Monaſterio S. Salvatoris, quod Divus Leo Pont. Max. de Chriſtianâ religione ſapienter pronuntiavit, *eam ſuper crucem eſſe fundatam.* Fuit igitur Fulda ſuis à primordiis Aſceterium S. Crucis. Vixerunt in eo Aſcetæ, qui cùm teſte ipſomet Fundatore S. Bonifacio, Germaniæ Apoſtolo, accuratæ vivendi diſciplinæ obſervantiſſimi eſſent, fieri non potuit, ut S. Crucis non in ſpiritû & veritate eſſent cultores. *Vita* enim *boni monachi*, ut Author libri de Imit. Chriſti inquit, *crux eſt.* Vita illi non lingua, factis non dictis, moribus non ſermonibus Crucem Chriſti venerabantur. Tum verò ſibi licere exiſtimârunt, ut ſtatis diebus, *ſingulis Dominicis*, inſtituta ſolenni proceſſione, ſacram Crucem *circa vicina quaque loca Monaſterii* geſtantes, hymnis, canticis, ac laudibus conce-

(*aaaa*) Annus MDCCXLIV. erat Eccleſiæ Fuldenſis Jobilæus Millenarius.

concelebrarent. Quam processionem *Crucis gloriationem* nominare consueverant. Hoc cultu non contenti in calamum incubuerunt, atque Authore B. Rabano Mauro, scriptis, supra quàm dici potest, ingeniosis, doctis, summæque cum pietatis significatione conjunctis ejusdem laudes extulerunt. Quibus in libris, quasi quadam in tabula, ardentissimæ Fuldensium Ascetarum erga S. Crucem devotionis imaginem intueri licet. Quid jam dicam, quòd Crucem Christi, Judæis scandalum, Gentibus stultitiam, per vastissimas Saxoniæ terras incredibili Christianæ fidei propagandæ ardore succensi annis quàm multis prædicaverint? Verè eximios Crucis Christi cultores, encomiastes, atque præcones. Quid plura? Ut paucis omnia complectar, verba Divi Basilii in Op. 63. ad Neocæs. de Fuldensibus hisce Ascetis usurpo: *Hi sunt, qui in fronte, vultúque toto quasi scriptam ferunt mortificationem JESU Christi, quem unusquisque suâ cum Cruce sequitur.*

Sed verò his silentio prætermissis, orationem ad se convertit *Helinfridus* Abbas X. Fuldensis. Hujus laudatissimi Præsulis exemplo, si quid auro magis aureum, si quid gemmis magis gemmeum in orbe habetur terrarum, næ illùd præ cedro & argento rectè deligitur, ut Vivificæ Crucis imago ex illo adornetur. Quod nemo sanæ mentis iverit inficias, nisi qui genus humanum in Dominicâ Cruce à teterrimâ mali dœmonis servitute fuisse redemptum nesciat, vel bipedum omnium ingratissimus tantum tamque infinitæ magnitudinis beneficium nihili faciat, habeátque despectui. Certè *Helinfridus* pro insigni suâ devotione, quâ erga sacratissimam Crucem ferebatur, in id genus icone concinnandâ nec auro nec gemmis pepercit; quâ deinde ad stuporem præfulgidâ Principalem suam Ecclesiam donavit. Quia verò plerumque fit, ut res pretiosæ non hominum modò oculos,

los, sed sæpiùs etiam manus ad se convertant, ita etiam progressû temporis pretiosissimâ hac cum Cruce actum est.

Henricus VI. Germaniæ Rex, quia diadematis honori quærendo in animo erat profectio Italica, Henricum Comitem de Widaha subornavit, qui à Conrado Abbate & Principe Fuldensi, Regis nomine postularet de S. Bonifacii templo crucem auream, quia sumptus itineri deerat, mille talentûm argento pignus opponendum. At ille postulata abnuere, moram innectere cupiditati. Sed Henricus Fuldam usque prosecutus avidiùs instare. Tabulas itaque pro cruce subjicere visum binas, auro & gemmis insignes, sedandæ siti cupidorum; quas cùm Ludgero Haselsteinio Imperii Legato Rex tradidisset, clàm mandata dedit, seu pœnitentiâ consilii, seu pertinaciâ Cœnobitarum Crucem subtrahentium, ut eas Ecclesiæ S. Bonifacii restitueret; id quod eo promptiùs factum, quòd anno sequenti diadema Romæ accipiens, hoc nomine à Cœlestino reprehensus est. Quamobrem ipse in Germaniam rediens, magna populi ac Cœnobii gratulatione die Palmarum ad ecclesiam retulit. Ita factum est, ut Crux auro gemmísque præfulgida Ecclesiæ Fuldensi salva & intacta relinqueretur. *Vid. Brower Fuld. Antiqq. lib. IV.*

§. XXI.

Monserratenses Cruciculæ.

MOnserratense in Catalonia Asceterium, nisi à Thaumaturga Imagine Magnæ DEI Matris, multísque aliis nominibus, toto Christiano orbe esset celeberrimum, vel eo solùm nomine apud alias Christianas gentes in famam iret, quòd Cruciculas ab Abbate suo benedictas per totum Catholicum dispergat orbem, quæ vulgò *Monserratenses*

ses vocantur. Benedictus verò XIII. Pontif. Max. edito Apostolico Brevi anno 1727. die 2. Jan. multas iis largitus est Indulgentias, qui easdem secum devotè gestarent; jubens tamen, ut in distributione & usu istarum Cruciculárum Alexandri VII. Decretum typis impressum 6. Febr. Anno 1657. observetur; ad quod Lectorem ut brevitati consulamus, remittere liceat.



CAPUT IV.

Apparitiones Sanctæ Crucis, & quid eædem portenderint.

Visionem illam magnam, ac stupendam, quæ ad unum omnibus futura est hominibus, cùm in extremi die judicii Signum filii hominis in cœlo apparebit, multæ hactenus Sanctæ Crucis apparitiones antecesserunt. Memorabilis præ primis illa est; quam Jerosolymis ipsa Pentecostes die, omnibus non sine ingenti admiratione ac stupore aspectantibus, contigisse Divus Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus in epistola ad Constantium Imperatorem data perhibet. Ejus verò significandæ atque Augusto perscribendæ hanc affert rationem: *Operæ pretium fuerit, cælestes hasce à Deo datas visiones silenter non præterire, sed potiùs eas divinæ tuæ pietati his literis significare, ut bono illius, quæ priùs inte fuit, fidei fundamento, cognitionem eorum, quæ nuper divinitùs contigerunt, superinædificans, firmiorem in Dominum nostrum JEsum Christum fiduciam assumas.* Quibus verbis adducor, ut non inanem sumpturus operam mihi videar, si quæ Divinæ Crucis apparitiones Majoribus nostris, vel certè quidem circa

ea,

ea, quæ ad ipsos attinebant, factæ fuerunt, hoc loco accumulem, atque literis consignem. Fiduciam namque erga Divinum Redemptorem nostrum non parùm in animis nostris augere possunt. Nec illæ penitus prætermittendæ videntur, quibus vel Angelici Spiritus, vel Sancti Cœlites cum Cruce se Ordinis nostri alumnis aspectabiles præbuerunt. Non minùs enim ex his posterioribus, quàm illis prioribus, si piæ & attentæ considerationi à nobis subjiciantur, utilitates atque emolumenta ad nos redundare possunt.

§. I.

Apparitio Crucis super cellam S. Petri Cælestini.

Hanc nobis Petrus ab Alliaco in vitâ sanctissimi hujus Pontificis lib. 2. cap. 19. in hæc verba describit: *Quidam milites, qui eum* [S. Cælestinum] *custodiebant in carcere, tam Papæ* [Bonifacio VIII.] *quàm aliis pluribus retulerunt, quod à feria sexta usque ad horam mortis ejus viderunt ante januam camerulæ suæ Crucem coloris aurei, non affixam alicubi, sed mirabiliter pendentem in aere. Quo miraculoso Crucis signo patenter ostensum est, Crucem pœnitentiæ, quam ille per carnis mortificationem jugiter portaverat, Deo placuisse.*

Hujus apparitionis etiam meminit Eminent. Cardinalis Robertus Bellarminus in Epistolâ Nuncupatoriâ quâ ceu Protector Congregationis Cælestinorum Monachorum Ordinis Sancti Benedicti eidem venerabili Congregationi Libros duos *De septem Verbis* à Christo in Cruce prolatis inscripsit. Cùm verò isthæc Epistola apparitionem Crucis non parùm illustret, digna mihi videtur, quam integram hîc adscribam.

„ Sapienter omninò Pynuphius Abbas apud Cassianum
„ (*bbbb*) perfectum Monachum cum Christo Domino Cruci-

 „ fixo

(*bbbb*) Lib. 4. de Inst. Renunc. c. 4.

„ fixo comparandum censuit. Virtutes enim, quæ in perfecto Monacho potissimùm requiruntur, tres numerari solent; paupertas, omnem proprietatem excludens; castitas carnalium voluptatum semper expers; & obedientia, à nutû Præfecti omnino dependens; quibus in regulâ Sancti Benedicti loci stabilitas adjungi solet. Si quis autem velit voluntariæ paupertatis usque ad omnimodam nuditatem, & egestatem exemplar cernere Christum Crucifixum intueatur, qui sicut dum viveret, non habuit, ubi caput reclinaret: sic in morte, ipsa etiam vestimenta, quæ sola illi reliqua erant, inter Crucifixores dividenda dimisit. Et si quis cupiat speculum intueri mortificationis carnis, quæ castitatem impollutam custodiat, in Christo Crucifixo sine dubitatione reperiet; quippe quem à planta pedis usque ad verticem capitis dolor continuus occupabat. Quòd si & obedientiæ perfectum typum requirat, nusquam alibi clariùs cernet, quàm in illo, *qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Neque solam obedientiæ virtutem, sed etiam comites ejus individuas, patientiam, & humilitatem, & principium ejus & finem, ardentissimam charitatem, & in his omnibus perseverantiam usque in finem, quæ per stabilitatem significatur, in Christo Crucifixo, tanquam in eminentissimâ virtutum omnium Idea conspiciet. Verè igitur & Christus in Cruce pendens exemplar est clarissimum Monasticæ perfectionis: & perfectus Monachus Crucifixum Dominum verissimè repræsentat. Hanc Christi Crucifixi repræsentationem vel similitudinem Sanctus Petrus Cælestinus ad vivum expressisse videtur: ejus enim vita ab ipsa pœnè infantia usque ad extremam senectutem, & mortem, nihil fuit aliud nisi assidua meditatio Crucis, & perpetua imitatio Crucifixi. Ad quam rem propriè designandam, CRUX AUREA in aere, divino miraculo pendens, visa est ante fores cubiculi ejus morien-

„ tis,

„ tis, à feria sexta usque ad vesperam Sabbathi, in quâ Spi-
„ ritum Deo felicissimè reddidit. Quam Crucem à multis
„ conspectam cum stupore fuisse refert Petrus ab Alliaco Car-
„ dinalis Cameracensis; & res eadem, ut planè cæleste si-
„ gnum, in ipso Canonizationis ejus diplomate commemo-
„ ratur. Quæ cùm ita sint, jure mihi videor libros meos de
„ septem verbis in Cruce à Christo pronuntiatis, Cælestinis
„ meis offerre, ac dicare potissimùm debuisse. In his enim
„ libris explicare conatus sum Crucifixi virtutes præcipuas,
„ quæ omnibus quidem fidelibus valde utiles sunt, sed iis,
„ qui Crucis mortificationem ex proprio instituto sequuntur,
„ omnino necessariæ. Qui enim cum Christo Cruci affixi
„ sunt, & mundo mortui, per externam observantiam regu-
„ larem; & virtutibus Christi Crucifixi carent, ii cum infe-
„ lici latrone Crucis ignominiam, & dolores patiuntur; sed
„ Christi Crucifixi gloriam & prœmia non assequuntur, &
„ *melius erat illis*, ut loquitur Sanctus Petrus, *non cognovisse*
„ *viam justitiæ* (perfectæ) *quàm post agnitionem retrorsum con-*
„ *verti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Quare
„ Monachos omnes, sed in primis Cælestinos meos admoneo,
„ ut si velint esse, quod nomine præferunt, librum Crucis
„ Christi assidue legant, & iterum atque iterum volvant &
„ revolvant: ac ut commentarium habeant ad obscura loca
„ intelligenda dilucidum & fidele, Beati Petri Cælestini, &
„ aliorum Sanctorum vitas frequenter legant, & quæ didi-
„ cerint, opere complere studeant. Sic enim fiet, ut quo-
„ tidie magis Crux illis dulcescat, & imitatio Crucifixi sic
„ illis suavis, amabilísque reddatur, ut facilè contemnant
„ scribas & Pharisæos, id est, carnem & sanguinem claman-
„ tes: *Descende de Cruce.* Sic olim discipuli Sancti Francisci
„ cùm libros sacros nondum haberent, ut Sanctus refert Bo-
„ naventura, librum Crucis Christi continuatis aspectibus,
„ diebus ac noctibus revolvebant, exemplo Patris & eloquio

 „ eru-

„ eruditi, qui jugiter faciebat eis de Cruce Christi sermonem.
„ Accipite igitur Venerabiles Patres munusculum à Protecto-
„ re vestro, quod erit etiam post obitum ejus pignus amoris,
„ quo vos omnes corde dilexit; & virtutum S. Petri Cæle-
„ stini hæredes, & Christi Crucifixi veros discipulos, & imi-
„ tatores semper esse cupit.

§. II.

Crucis Dominicæ signum in brachio S. Ansberti apparet.

Cùm Monachi Fontanellenses S. Ansberti, sui quondam Abbatis, ac postea Archiepiscopi Rotomagensis, sepulchrum post septendecim dies à sacro ipsius obitû aperuissent, & putarent, venerabile illius corpus, ob tam prolixi temporis intervallum jam fœtere, tanta suavissimi fragrantia odoris inde manavit, quasi diversis aromatum floribus ac balsami gutulis omnis repleretur Ecclesia. Et cùm Fratres, qui ad eum visendum ex propriâ provinciâ advenerant, cum his, quos secum in exilio habuerat, ablatis ab eo vestibus, cum quibus in sepulchro reconditus fuerat, mutare eas vellent, novis eum indumentis indui cupientes, veluti fecerunt, invenerunt in brachiis ejus signum Dominicæ Crucis, rosei coloris similitudinem gerens, ut patenter cunctis daretur intelligi: quia cujus arma vivens portaverat in corde, ejus stigmata defuncti monstrarentur in corpore. *Aigradus in vit. cap. 10. apud Bolland. in Act. SS. d. 9. Febr. pag. 355.*



§. III.

§. III.

Crucis apparitio in corpore S. Leonis IX. Papæ.

S. LEO IX. Pont. Max. ab incunabulis Sacræ Crucis miraculum fuit. Nobiliſſimam ſortitus originem ubi primam aſpexit lucem, in toto ejus corpore Crucis ſigna comparuerunt. *Ubi in hanc lucem fuſus eſt*, ſunt verba Wiberti vitæ ſcriptoris, *totum ejus corpuſculum invenitur charaxatum* [ſcalptum] *quaſi crucicularum ſtigmatibus. Cujus rei novitate mater permota à nulla niſi à ſe ipſa pertulit eum ſuſtentari lactis alimonia.* Quid ſibi verò in tenelli corpore infantis tot Cruces voluêre? Nobis innumeras illas curas, ſollicitudines, atque angores, quibus in regimine totius Eccleſiæ aliquando gravandus erat, portendiſſe videntur. Cùm *Chriſtiana Religio*, ut S. Leo Magnus docet, *ſuper Crucem fundata ſit*, fieri non poteſt, ut ſine Cruce Eccleſia bene regatur. Jam verò ſi conſiderare velimus, quæ fuerit tunc temporis in Eccleſiâ diſciplinæ obſervantia, quô S. Leo clavum illius moderari cœpit, eam vix non penitus fuiſſe collapſam intuebimur. *Omne ſal*, inquit S. Bruno Epiſcopus Signienſis, *omne ſal erat infatuatum, neque erat aliquid, in quo condiretur. In hac igitur tantâ tempeſtate B. Leo Apoſtolici culminis cathedram ſuſcepit, &c.* Ut verò Eccleſiaſticam inſtauraret diſciplinam, ſimoniam exſtirparet, concubinatum clericorum exterminaret, aliáque eliminaret vitia, graviſſimos illum exantlaſſe labores, difficultates, perſecutiones, atque adeò vitæ incurriſſe pericula, præclarè ejus geſta teſtantur. Sed quàm admirabilis erat illa viſio, quâ deformem quandam Canidiam reddere Crucis ſigno venuſtam, vitæque reſtituere, in ſomno ſibi viſus eſt? Imago hæc erat Eccleſiæ, cui ut priſtinum redderet nitorem, id ſine Cruce fieri non poſſe, admonebatur.

„ Quodam tempore illi per ſomni quietem videbatur, „ quòd quaſi perſona cujuſdam deformis vetulæ eum importunè impeteret, & veluti familiari, ſed tamen ſincero colloquio ſibi adjungi expoſceret. Quæ tam horridi vultus, „ diſciſſæ veſtis, hirſutis capillis, atque turpiter erectis viſebatur, ut vix quidquam humanæ formæ in eâ recognoſceretur. Cujus deformitatis horrore nimium perculſus, „ eam plurimùm volebat evitare: ſed ipſa tanto magis illi „ nitebatur inſiſtere. Quâ importunitate motus vir Domini, ei ſignum Crucis in faciem imprimebat: at illa ad terram veluti mortua proruens in admirabilem pulchritudinem denuò reſurgebat. Cujus viſionis terrore experrectus, ad nocturnas ſurrexit vigilias: denuóque in hujus rei „ admiratione ſopori tradidit membra. Cui videbatur in „ ſomnis adeſſe venerabilis Abbas Odilo Cluniacenſis [qui „ tum recenter ad ſuperos migraverat, ſanctorum faſtis ſubinde adſcriptus] quem quaſi rogabat, ſibi portendere, quæ „ eſſet hujus viſionis ſignificatio. Qui lætiſſimus ei tali reſpondebat oraculo: Beatus es tu, & tu animam ejus de morte liberâſti. Hæc non eſſe ficta probat idonea virorum „ venerabilium teſtificatio; Domini videlicet Walteri Leucorum clauſtri Decani, nec non intimi conſecretalis ejus „ Warnheri, qui aſſerunt, ſe audiſſe talia cum lacrymis ab „ illo referri, & quid ſignarent, quam plurimùm admirari. „ Nec incredibile eſſe videtur, talia ei à ſumma divinitate „ præmonſtrata fuiſſe: cùm crebrò nocturna in lecto ſuſpiria, & frequentes pectoris tunſiones, ac ſtratus ſæpe à veridicis cubiculariis repertus irrigatus lacrymis, oſtendant „ illum divina fuiſſe viſione dignum. Nulli autem dubium „ eſt, quid ſignificet prælibatæ mulieris viſio, quicunque legit pene ſimile ſomnium Magni Conſtantini pro reſtituenda „ urbe Byzantio. Nam certum eſt horribiliter extabuiſſe „ per diverſas orbis partes eccleſiaſticum decorem, imò Chri-

„ ſtianam

„ stianam religionem; & per eum Christi adminiculante suf-
„ fragio, ad pristinum reductam esse honorem. Wibertus in vit. lib. 2. c. 1. n. 3. apud Mabillon. in Act. SS. O. S. B. sec. 5. part. 2. & apud Bolland. d. 19. April. p. 657.

§. IV.

S. Gerardo Abbati Majoris Sylvæ Crux apparens locum condendi Monasterii designat.

S. Gerardi frater erat Abbas S. Vincentii apud Laudunum Clavatum, qui postquàm defunctus est, S. Gerardus omnium votis adhunc honorem, invitus licèt, provectus est: tum quantum maximè potuit, enixus est monachis vitæ integritate prælucere. Illi verò ad terrena proni, cœlestium pertœsi ab ejus moribus non parùm dissonabant. Quod cùm animadverteret sanctus Abbas, de abdicando munere cogitavit. Quam obrem cum quodam incluso sui monasterii consilium inire cœpit, qui satis idoneum dedit. Milites enim quidam haud ignobiles mundum fastidientes nuper eum convenerant, & apud illum pura confessione peccatorum nævos absterserunt, mentémque suam de mundo repudiando aperuerant. Quod cùm videret inclusus ille, id statim S. Gerardo manifestavit, qui milites tanquam sibi à DEO missos in discipulos adoptavit, & cum quibusdam monachis S. Vincentii Laudunensis de consensu Episcopi in Aquitaniam monasterii condendi gratia DEO duce profectus est. Gloriosi igitur illi milites duce beato Gerardo rectà ad cœnobium S. Dionysii tendunt, ubi advocato Martyrum auxilio: inde Aureliam devenerunt, ubi in Ecclesia S. Crucis DEUM deprecati, inde Turones profecti sunt, & implorata S. Martini ope Pictones venerunt. Illis urbem ingressis Widonem Comitem Pictaviensem conspiciens

ex

ex altera parte urbis advenientem Abbas Gerardus ſtatim cum ſociis adiit. Comes perſpecta eorum voluntate ſe omnia neceſſaria ad monaſterium ædificandum ſubminiſtraturum promiſit. Interea adeſt Rudulphus Burdigalæ præpoſitus, qui ſe illos ad locum idoneum deducturum comiti ſignificavit. Lætus comes eo præpoſito commendavit, qui eos in locum, qui ſylva major dicitur, inter duo maria ſitum deduxit, eíſque ædiculam non ex lapidibus, ſed ex terra conſtructam oſtendit, ad quem ob vepres & dumos non patebat aditus; quibus ferramento acciſis ad eam perventum eſt. Locus beato Gerardo ſolitudinis amatori placuit, egítque cum Augerio de Riuntio aliíſque ejusdem ſylvæ Dominis, qui eam ad monaſterii ædificationem DEO virginíque matri Mariæ ultrò condonârunt. Sanctus autem Gerardus de loco, ubi monaſterium eſſet ædificandum ſollicitus, quadam nocte DEUM obnixè deprecatus eſt, ut locum, in quo monaſterium conſtrui vellet, oſtenderet. Inter orandum ſopore gravis in ſomnis vidit duos boves ab oriente currum vehentes, qui cùm longiùs proceſſiſſent, in equum unum viſi ſunt mutati, qui per eundem tramitem incederet; pro quo ſtatim viſus eſt Chriſtus in Crucis patibulo, cujus pars ſuperior cœlum, inferior terram pertingebat. Quo viſo in genua procumbit, Chriſtúmque in cruce ſuffixum adoravit, & tam felicibus auſpiciis in loco, ubi *lignum crucis* defixum, erat ædificavit monaſterium. Felicem verò ſitum hujus Cœnobii, in quo, ut verbis utar B. Petri Damiani, *Crux jungit cœlum & terram;* (*cccc*) ut omne genu ei flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

(*cccc*) Serm. de Exalt. S. Cruc.

§. V.

§. V.

Apparitio Crucis S. Landradæ Abbatissæ facta.

S. Landrada virgo nobilis, & Abbatissa Belisiensis Monasterii prima, atque adeò fundatrix, cùm vitam adhuc degeret solitariam, aliquando „ stabat in medio noctis silentio, incomitata & sine arbitris, & ultra omnem hanc „ luteam infirmitatem elevata, libero mentis pede in odo„ rem cœlestium unguentorum currebat. Cùm subitò pa„ tefactis cœlis, comitante lumine, mirifici operis crux „ delabitur, & Landradæ, quæ jam mundo crucifixa erat, „ velut pro munere super contiguum lapidem deponitur. „ Sicut enim mollis cera impressam sigilli imaginem recipit, „ & repræsentat; ita & durissimus lapis, adhuc nobis ejus„ dem crucis totam impressionem integrè demonstrat. Vox „ interim administratorii spiritûs audita est: Accipe Lan„ drada hoc ab immortali sponso charitatis pignus. Ipse „ tibi crucis mittit sponsalia, qui in cruce moriens restau„ rat omnia. Amatoris tui hæc sunt munera. Tali muni„ mine hoc in loco deinceps non nocebunt spiritus immun„ di, fames, mortalitas, rerum inæqualitas, morbi, & „ pestilentiæ.

„ Virgo Dei gavisa de munere; roborata de consolatio„ ne; oblita sexûs & ætatis, in quandam virilitatem accin„ gitur; propriis manibus negotium, quod non potuerat, „ aggreditur: Vepres & spinas extirpare, humum sarcire; „ Ecclesiam in honore, & memoria Dei Genitricis, & per„ petuæ Virginis Mariæ conari fundare: propriis manibus „ lapides effodere & comportare, lineam ducere, fundamen„ ta jacere, & in loco sibi destinatæ *Crucis*, non alius, quàm „ ipsa collocavit ipsum, quod adhuc perdurat, altare. Ad„ fuit indefessæ laboratrici suæ manus Omnipotentis usque

 „ ad

„ ad consummationem perfecti operis. Tunc verò Lambertum Episcopum, postea Christi Martyrem futurum, evocat, & pia commonitum familiaritate, quâ se ab initio sanctæ animæ obligaverant, novæ suæ & Ecclesiæ consecrationem, & reliquiarum impositionem ex voto impetrat.

„ Ex hinc jam crescente religione, videbat diabolus, & „ ingemiscebat, ingentes animos in fragili sexû mirabatur. „ Aliæ patientiâ, aliæ pugnabant obedientiâ; aliarum tepens „ calor moderatis jejuniis refrigerabatur; aliarum tepidius „ studium exemplis & consolationibus accendebatur. Tanti dux fœmina facti. In cujus ore pallor ex jejuniis, eleemosyna in pauperes, constantia in adversis, modestia in „ prosperis, in servos Dei juge obsequium, humilitas cordis „ & vestium; sermo etiam modestus, idémque sufficiente sale „ conditus, quem non frangerent, quem ad virtutem non „ accenderent? Hac tali virginum militia, his gymnasiis in „ brevi locus adolevit, & in omnis humanitatis crescens annositatem, non, ut priùs, à belluis Belua, sed Belisia, hoc „ est, bene Elysia vocari cœpit.

Ita Theodericus Abbas S. Trudonis in vita, quam exhibent Surius & Bollandus d. 8. Julii. Mabillonius verò nec in prætermissis Sanctorum vitis Ord. S. B. habet; ejus tamen Menardus & Bucelinus in suis Menologiis meminerunt.

§. VI.

Crux S. Lamberto Trajectensi Episcopo in cælesti visione ostensa locum sepulturæ S. Landradæ designat.

Cùm S. Landrada, Abbatissa Belisiensis, ex hâc vitâ migratura esset, Divum Lambertum „ accersiri præcepit, ut „ in morte quoque ejus foveretur colloquiis, cujus in vitâ „ sem-

„ ſemper jocundabatur conſiliis. Accepto triſti nuntio, „ ſanctus ſenex omnibus ſe expedit, viámque dum maturat, „ Landrada interim de hac corruptibili domo in æternita- „ tem transmigrat. Pontifex in itinere, ingruentibus tene- „ bris, dulci viſione jucundatur. Somnivigilanti & velut in „ extaſim rapto, quadam gravi majeſtate venerabilis virgo „ apparuit, & ſenilem arguens tarditatem, ſolita & fami- „ liari allocutione de mora reprehendit, cur ſcilicet abeunti „ myſteria ipſe ſuis manibus non tradiderit.

„ Ille negligentiam excuſat, de illis quæ ſuperſunt: ut- „ pote de ſepulchri loco ſe paratum reddens. Et illa: Ar- „ rectis, inquit, oculis cælum ſuſpice, & quo ſe extendat „ per medium lucis nimbum Crucis ſignum diligenter in- „ tende. Lambertus totum ſe in viſionem extendens, & ve- „ lut quoſdam fulguris tractus, quô poterat, conatû ſequens, „ notat locum, Crucis fulgore deſignatum cum admonitio- „ ne Virginis. Hîc, inquit, ſepulturæ locus: hîc cinerum „ meorum erit tumulus uſque in diem, quâ juſſerit Domi- „ nus.

„ Hâc jucundâ illius demonſtratione, iſtius attentione „ Virgo cœlis recipitur: Epiſcopus à ſomno erigitur, & re- „ legens viſionis ſuæ libellum, feſtinato & præter vires cur- „ ſu delatus Belyſiam, invenit eos agentes de ſepulchro in- „ fra Eccleſiam. Expleta oratione, epiſcopali facundia ple- „ bem ſuam alloquitur. Poſtremò de revelatione ad eum „ facta ſermonem ingreditur. Submurmurant ſtatim uni- „ verſi, & necdum perorantem clamore tumultuario impe- „ diunt, & velut impugnant. Hîc, ajunt, fuit conſecrata „ & prælata. Ejus operibus hæc crevit Eccleſia. Hîc per „ eam puellaris adolevit turba, hîc cœcos illuminavit, hîc „ claudos erexit; hîc omnibus incommodis ſe oppoſuit. Tu „ ipſe hîc ſtudiorum ejus adminiculator, tu virtutum atte- „ ſtator, ipſiúsque hujus Eccleſiæ conſecrator. Non eſt epi-

„ ſcopi populum lædere: non eſt Paſtoris, oves velle ſpolia-
„ re, ut quam vivam tenuimus, mortuam amittamus. Nul-
„ lum hoc pietatis, nullum hoc officium humanitatis, ſan-
„ ctam à nobis dimittere, virtutum operationem aliis relin-
„ quere. Age tua pro officio, cætera nos curabimus pro
„ tempore & negotio.

„ Hac tumultuariæ plebis Lambertus permotus pertina-
„ cia, facile eſt, inquit, præeſſe civibus, ſed difficile place-
„ re omnibus. Obedire quidem Deo oportuit, magis quàm
„ hominibus. Sed certus cùm ſim, nihil poſſe mutari de
„ omnibus, quæcunque voluerit Dominus, ſciens, & pru-
„ dens manum in flammam mitto, & voluntati veſtræ inte-
„ rim me præbeo. Sic ad votum populi Virgo ſepelitur:
„ ſed Epiſcopo nihil de priſtina ſolicitudine imminuitur.
„ Sciebat enim facilius elementa poſſe mutari, quàm Landra-
„ dam mentiri. Jejunium ſibi Epiſcopus indicit, orationes
„ cum jejuniis continuat. Demúmque exacto triduo, in
„ concione pro re pauca declamat. Dei, inquit, voluntati
„ nolle obedire, contra torrentem brachia eſt;tendere. Ideó-
„ que tempus eſt, de noſtro quoque ut pendeat judicio, quid
„ illa nobis dudum expoſita ſibi velit noſtra viſio; ocularia
„ fides adhibeatur; tumba virginis aperiatur, ut omnis ſu-
„ per hoc negotio ſcrupulus amoveatur.

„ Acclamatur ab omnibus: pedibus eunt in ſententiam,
„ & apertâ tumbâ, non modò corpus, ſed neque ipſe repe-
„ ritur corporis loculus. Expallent tacito murmure cæteri
„ ſolus Epiſcopus Deo gratias agens, & ut filios paternè de-
„ mulcens: Quia, inquit, jam quievit diffidentia, experia-
„ mur nunc, quid Dei poſſit magnificentia. Prædux ipſe
„ viam arripit: populus comes ſecum Wintreshovum uſque
„ percurrit; in quo ſcilicet fundo idem Epiſcopus olim à
„ venerabili genitore ſuo Apro, ſancto archipresbytero Lan-
„ doaldo commendatus, nutritus, & adultus, in ſanctitatis

„ api-

„ apicem excrevit. Ibi relegens suæ illius visionis indicia, „ & ostensæ *Crucis* vestigia, effosa humo (o rem novam & „ novè semper stupendam!) Virginis glebam cum ipso sarco- „ fago inveniunt transportatam, eo ordine, eâ decenti re- „ verentia locatam, ut nulli sit dubium, Angelorum id effe- „ cisse ministerium. *Abbas Theoderic. l. c. in vitâ S. Landradæ.*

§. VII.

Apparitio Crucis ante Martyrium S. Lamberti E. & M.

Cùm S. Lambertus Episcopus Trajectensis Martyrio afficiendus erat, *Crux* supra ædes ipsius conspicuam se dedit, eo fulgore & splendore, ut vel ipsorum hostium oculos perstringeret: *Viderunt enim signum admirabile Crucis Dominicæ effigie supra Episcopi domum rutilare, tanta luminis claritate & splendore, ut nec conspici facilè posset, nec ullis verbis exprimi. Quod sanè*, inquit Stephanus Episcopus Leodiensis in vita (*dddd*) S. Martyris, *Christus Dominus idcirco mortalibus apparere voluit, ut per id liceret perspicuè animadverti Sanctum Episcopum mundo huic & ejus cupiditatibus atque desideriis esse crucifixum.*

§. VIII.

Apparitio Crucis in loco Martyrii S. Bonifacii Germaniæ Apostolici.

IN Trajectensi Diœcesi in Doccum, ubi S. Bonifacius martyr trucidatus fuit; Crux visa est in ejusdem Martyris festo die, ingens sanè & albi coloris, perinde ac si trabi altera trabs trans-

(*dddd*) Apud Sur. d. 17. Sept.

transversim artificiosè impacta esset. *Gretser. de S. Cruc. l. 1. p. 54.*

§. IX.

Crucis apparitio in morte S. Hildegardis Abbatissæ.

SAnctæ hujus Abbatissæ, prophetiæ dono illustris, felix ex hac vitâ transitus apparitione Crucis à Deo fuit illustratus. „ Supra habitaculum, inquit Theodericus Abbas in „ vit. lib. 3. cap. 27. in quo Sancta Virgo primo crepusculo „ noctis Dominicæ diei felicem animam Deo reddidit, duo „ lucidissimi & diversi coloris arcus in firmamento apparue- „ runt, qui ad magnitudinem magnæ plateæ se dilataverunt, „ in quatuor partes se extendentes, quorum alter ab aquilone „ ad austrum, alter ab oriente ad occidentem procedebant. „ At in summitate ubi hi duo arcus jungebantur, clara lux „ ad quantitatem lunaris circuli emergebat, quæ latè se pro- „ tendens, tenebras noctis ab habitaculo depellere videba- „ tur. In hac luce *Crux* rutilans visa est, primùm parva; „ sed crescendo postea immensa, circa quam innumerabiles „ varii coloris circuli, in quibus singulis singulæ rutilantes „ Cruciculæ oriebantur cum circulis suis, priore tamen mi- „ nores conspiciebantur. Et cùm hæ in firmamento se dila- „ tassent, latitudine sua ad orientem magis pertingebant, & „ ad terram versùs domum, in quâ sancta virgo transierat, „ declinare visæ totum montem clarificabant. Et creden- „ dum quod hoc signo DEUS ostendit, quanta clari- „ tate dilectam suam in cælestibus „ illustraverit.



§. X.

§. X.

Crux S. Elisabethæ Schœnaugiensi Abbatissæ apparet.

HAbuit hæc S. Abbatissa plures Crucis apparitiones, quæ in ejus vita legi possunt. Ego unam refere ipsius verbis contentus sum: „ Accidit quadam vice, inquit, cùm „ frequenter se mihi obtulisset columba nivea illa, de qua „ dixi, ut apud me ipsam dubitarem de illa, & quærerem à „ Domino Abbate, utrùm posset sathanas se transfigurare in „ columbam. Qui cùm negaret se unquam hoc legisse, & „ ego dubia permanerem; aspexi quadam die Crucem, quam „ videre soleo; & venit ex adverso columba illa & resedit „ in ea. Sic ergo certificata sum, non esse hoc sathanam, „ quoniam inimicus est Crucis. *Ex vita cap. 2. extat apud Bolland. in Act. SS. d. 18. Julii pag. 613* Qui autem fiat, quòd dœmones aliquando Cruce non modò non terreantur, sed & eâdem ad varias superstitiones & incantationes abutantur, præclarè ex S. Augustino docet insignis Theologus, Jacobus Gretserus lib. 4. de S. Cruce cap. 44.

§. XI.

Crux splendida præsignat locum futuri Monasterii.

COnditor perillustris Monasterii Sigebergensis est sanctus Anno, Archiepiscopus Coloniensis. Cùm aliquando in cryptâ Ecclesiæ S. Petri residens secretiùs psalleret, à quodam superveniente sene his verbis est admonitus: Ne mora sit, venerande præsul, in extruendo requiei tuæ loco, quem DEO prædestinante in monte, qui à præterfluente flu-

fluvio *Sigeberg* cognominatur, habebis. Accessit huic adhortationi prodigiosa S. Crucis apparitio. Interiacente propè milliario, vicus quidam Stieldorp dictus, memorato distat à monte. Hujus incolæ Dominicæ diei festo tracti, sub iisdem diebus Ecclesiam petentes, cum licentia populari varia conferentes, liberum quaquaversùm dirigerent intuitum, contra montem prospicientes, repentè signum Crucis cœlo contiguum, quasi dependens vertici ejus imminere cernebant. Quod dum pulchrè ex colorum varietate distinctum mirarentur, qui prudentiores erant, ingens dicebant esse ostentum, per quod portenderetur, triumphum Crucis inibi digna veneratione frequentandum, cultoribus loci fide Crucis, non armis visibilibus, semper triumphantibus. Quare nihil cunctandum ratus ad construendum in monte victrici monasterium, diversis vallatus artificibus pontifex accessit. Quid multa? De cœlis auxilio præstito consummatio templi prosperata est, quod anno Dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo sexto, decimo Calendas Octobris, nomini S. Michaelis Archangeli specialiter assignans, in honore omnium cœlestium Virtutum sub patrocinio gloriosi ducis Mauritii, sociorúmque ejus consecravit. Cúmque sanctæ Crucis aram sanctificare, & in eam Reliquias imponeret, lux igneo cœlitus radians fulgore, pariter introire visa est. *Surius d. 4. Decemb. tom. VI. p. 710.*

§. XII.

B. V. MARIA apparens Cruce aurea S. Egwinum benedicit.

ANno gratiæ DCXCII. tempore Regis Ethelredi, filii Pindæ, Regis Merciorum, & Brithwaldi Archiepiscopi, S. Egwinus DEO dilectus Wigorniensis Ecclesiæ præsula-

ſulatum ſuſcepit, cui glorioſiſſima Virgo MARIA cum *Cruce*, decimo anno ſui Epiſcopatûs, in loco, qui dicitur *Hethome*, nunc verò Evesham, nominatur, manifeſta viſione apparuit; quæ in ipſius vita his verbis deſcribitur.

„ Illis diebus locus erat in territorio Wigornienſi, du-
„ mis & vepribus condenſis incultus, qui à modernis Eoves-
„ hamium appellatur: hunc B. Egwinus à Rege Mercio-
„ rum Ethelredo expetiit & obtinuit. Super illam quoque
„ ſylvam quatuor paſtores gregum ad victualia ſervorum
„ DEI nutrienda conſtituit. Ex quibus unus Eoves nomi-
„ ne, quadam die ad interiora ſylvæ progreſſus eſt: & ec-
„ ce adſtabat in loco quodam virgo quædam cum aliis dua-
„ bus virginibus præclariſſima, omnem mundanam pulchri-
„ tudinem & ipſius ſolis fulgorem ſui ſplendore & gloria
„ devincens, librum in manibus tenens, & cum ſacris vir-
„ ginibus cœleſtia cantica pſallens. Expavit vir ille tam
„ coruſca viſione hebetatus, nec ferens cœleſtia conſpice-
„ re, tacitus ac tremens domum redit; quæ viderat ſancto
„ Epiſcopo intimare curavit. Vir autem DEI tacitè rem
„ conſiderans, poſt jejunia & preces quadam die cum tri-
„ bus ſociis, & cum pſalmis & orationibus devotis, nudus
„ pedes ad locum deſignatum pergit, eminúsque relictis
„ ſociis ipſe interiùs proceſſit, diutiúsque terræ accubans,
„ cum gemitu & lacrymis implorabat reſpectum miſericor-
„ diæ redemptoris. Surgente illo ab oratione, tres virgi-
„ nes non minoris ſplendoris & gloriæ, quam priùs appa-
„ ruêre: quarum quæ media erat præcelſior, domni nitore
„ ſplendidior præfulgebat, liliis candidior, roſis vernan-
„ tior, ebore inæſtimabili fragrantior, librum quoque ma-
„ nibus præferens, *crucem auream luce radiantem.* Cúm-
„ que cogitaret hanc Domini genitricem eſſe: virgo præ-
„ cellentiſſima, quaſi favens tam piæ æſtimationi, adoran-


„ tem prætensâ quam tenebat Cruce benedixit, & cum ta-
„ li valefactione disparuit.

Quem quidem locum S. Episcopus Egwinus, in quo à Virgine Parente benedictionem cum Cruce acceperat, consentiente Rege Ethelredo, atque donante statim ædificare inchoavit in honore ejusdem gloriosæ Virginis MARIÆ. Sexto siquidem anno posthæc Episcopatum prædictum ex toto reliquit, & apud Evesham primus Abbas, Pastor, & Patronus effectus est, ubi sanctissimè ac religiosissimè novem annis vivens cum Patribus devotissimè perrexit ad Dominum, videlicet 3. Kalend. Januarii anno gratiæ DCCXVII. Vid. Monast. Anglic. de Abbat. Evesham. & etiam S. Egwini in Actis Sanctorum Ord. S. B. sec. 3. part. 1. p. 333.

§. XIII.

Angelus apparens signo S. Crucis inconsideratum tollit timorem.

TEutonicus quidam *Eppo* nomine à beato patre *Hugone* Abbate Cluniacensi in Monachum susceptus, toto quo postmodùm vixit tempore, religiosè conversatus est. Qui appropinquante horâ vocationis suæ, infirmitate correptus, in domum infirmorum secundùm morem delatus est. Erant ibi & alii fratres, morbis & ipsi diversis laborantes. Quorum quidam cæteris morti proximiores, ultimum pene spiritum natura succumbente trahebant. Interea frater jam dictus valetudine ingravescente, & ipse ad extrema perductus, inter vitæ mortisque discrimina agonizabat. Adhuc tamen sensu & verbo integer conspexit infandam dœmonum turbam cum titionibus igne fumigantibus irruentem, per domum illam infirmorum furioso ubique impetu discurrere. Qui cùm ita bacchantes huc illúcque verterentur, ecce beati Apostoli de cæle-





Apparitio S. Patris Benedicti.

cæleſtibus advenientes perterritos fratres ne timerent blandè hortati ſunt, & mox glorioſa ſui adventûs præſentiâ latrunculos illos effugaverunt. Verba verò loquentium Sanctorum ab aſtantibus audiebantur, ſed perſonæ minimè cernebantur. Sic domo Dei Apoſtolica præſentia ab immundis ſpiritibus emundata, cæleſtis viſionis gloria augmentatur, & beatis Apoſtolis Sancti Angeli conjunguntur. Habetur autem in domo media locus, unius corporis capax, ad hoc aptatus, ut fratres ibidem in cinere & cilicio compoſiti, extremum Deo inde ſpiritum reddant. Hunc locum frater, hujus viſionis conſpector, quodam inconſiderato timore ita abhorrebat, ut nullatenus ei ſe appropinquare pateretur. Dum ergo ea, quæ dicta ſunt, contemplaretur, reſpexit, vidítque Angelum Domini manum in ſublime porrigentem, ſigno Sanctæ Crucis locum eundem ſignâſſe. Quô factô viſio ab oculis ejus ſubtracta eſt. Jam omni à corpore ejus ſtulto timore ſublato, poſt paululum ſe in loco eodem reponi fecit, ſícque animam ſuam ſanctis qui apparuerunt, alacriter tradidit. *Petrus Venerabilis de Miracul. lib. 1. cap. 19.*

§. XIV.

S. P. Benedictus apparens attactû Sanctæ Crucis moribundum ſanat.

S. LEO, Pont. Max. cùm adhuc eſſet adoleſcens, Bruno dictus, in ædibus ſuorum parentum, præpotentium in Alſatia comitum, grave adiit vitæ diſcrimen. „ Nam quo-
„ dam æſtivo tempore dum ex more cum eis apud nobile ca-
„ ſtrum, Eginisheim nuncupatum, moraretur, ſuperveniente
„ cujuſdam nocte Sabbati, in amæniſſimo cubiculo ſopora-
„ tur. Cujus dexteram faciem venenoſa illa rana, quæ bufo
„ nuncupatur, ſive rubeta, conſcendit, eíque ex anterioribus

 „ pedi-

„ pedibus unum in genis, alterum autem ſub labio, & ex po-
„ ſterioribus priorem poſt aurem, alterum verò ſub mento
„ affigens, ſugere ac ſtringere immaniter cœpit. Quo dolo-
„ re expergefactus, horribilis animalis deprehendit faciei ſuæ
„ incumbere pernitioſum pondus. Tanto itaque, támque
„ novo periculo attonitus à ſtrato ſe ocyùs corripuit, & im-
„ modicum non perferens cruciatum, ictû palmæ poſt au-
„ rem libratæ, viroſum illum in eundem ſtratum ſuum de-
„ cuſſit, timens ne ſi manû medium arreptum extrahere
„ tentâſſet, acriùs irreperet. Tunc nequam ille, licet in ſuo
„ ſuper lectum caſu eliſum ſonitum ediderit, tamen capita-
„ lem pulvillum denuo conſcendere, ipſo perſpiciente, non
„ diſtulit; nam lunaribus radiis tunc illuſtrabatur omne pe-
„ netral cubilis. Nec mora famulorum turba repentino di-
„ lecti domini ſui clamore accita accurrit, lucernam ſecum
„ exhibuit, ſed peſtiferum illud animal ſub illorum ingreſsû
„ nuſquam comparuit. Inquiritur paſſim diligentiſſimâ ve-
„ ſtigatione vernaculorum, ſed omni ſupellectili cubilis ever-
„ ſa ac perſcrutatâ, minime fuit repertum. Sed ſive illud
„ verum aut fantaſticum fuerit, plagas tamen veras, & do-
„ lores veros reliquit. Quibus etiam totum vultum, gut-
„ tur, ac pectus tumefactus, uſque ad deſperationem aliqua-
„ tenus recuperandæ ſoſpitatis eſt infirmatus. Uterque ejus
„ parens, omnéſque ſui ſuper hoc miſerabiliter duobus men-
„ ſibus plenis conſternebantur, ſolum funus jam efferri ſu-
„ ſpicantes, lugubrem illam exſequiarum pompam continuis
„ ſuſpiriis & lacrymis præſtolabantur. Verùm benigniſſimus
„ JEſus, deſperatis rebus ſuccurrere ſolitus, ſuper plenaria
„ ejus ſoſpitate ſubitò parentes ejus eſt conſolatus: & Eccle-
„ ſiæ ſuæ per hanc relevandæ ſecundùm propoſitum ſuum
„ recordatus. Nam cùm jam duobus menſibus à lecto per
„ ſe minimè ſurgere potiſſet, jámque concreſcente infirmi-
„ tatis nimietate, ſine loquela octo diebus permanſiſſet: tan-

„ dem

„ dem quâdam die apertis oculis, ſupino, ut recubabat vul-
„ tu vigilans conſpexit quaſi luminoſam ſcalam ab ipſo ſuo
„ grabato per ſeipſum erigi & feneſtra ad pedes ejus tranſita
„ uſque in cælum porrigi, atque per eam quendam nimiæ
„ claritatis, reverendæ canitiei ſenem deſcendentem in ha-
„ bitu monachali, *cujus dextera geſtabat Crucem conſpicuam*
„ *in longo haſtili.* Qui ad ægrotum ut pervenit, ſiniſtrâ
„ manu ſcalam retinuit, dextrâ verò eandem *Crucem* primum
„ ori ejus appoſuit, deinde loca tumoris ex ipſa ſignavit, &
„ totius veneni incoctam putredinem poſt aurem extraxit;
„ ſtatímque via, qua venerat, reverſus, dimiſit infirmum ha-
„ bentem ſe melius. Nec mora denique Adalberonem ſuum
„ clericum, tunc tantummodò ejus aſſidentem lectulo, allo-
„ cutus, per eum optato nuntio paternam domum repreſſit
„ à diutinis clamoribus. Poſt aliquot autem dies omni ve-
„ neno puſtulæ illius, ruptâ cute poſt aurem ejecto, ſoſpes
„ & incolumis evaſit, ſub maximo cunctorum miraculo at-
„ que gaudio. Qui ſicut nunc uſque inter commonitoria
„ colloquia tam evidentem Dei miſerationem ſuper ſe agni-
„ tam recitare ſuis familiariſſimis eſt ſolitus, profitetur ſe in
„ præfatâ ecſtaſi beatiſſimum patrem Monachorum BENE-
„ DICTUM illicò luce clarius agnoviſſe ex qualitate vultûs
„ & habitûs. Cujus corporis accidentalem dignoſcentiam
„ ita commemorat, quaſi præ oculis carnis adhuc habeat.
Hactenus Wibertus auctor gravis & coævus in vita S. Leonis IX.

Ab hac verò deſcriptione cæleſtis illius apparitionis, quâ D. BENEDICTUS cum Cruce ſe conſpiciendum præbuit, mos ille videtur repetendus, quo idem S. Patriarcha cum Cruce longo haſtili præfixâ depingi conſuevit.

§. XV.

Apparitio Crucis ſuper Monaſterium Corbeiæ Novæ in Saxonia.

FUndatorem ſi ſpectemus, *Corbeia Nova* Cæſareum, Auguſtum, & nulli ſecundum Aſceterium eſt, ut quod à Ludovico Pio Imperatore per S. Adalardum Corbejæ veteris Abbatem anno 822. fundatum & dotatum fuit. Si primos ac veteres illius Aſcetas contemplemur, in firmamento Religionis Benedictinæ aſtrum eſt primæ magnitudinis, quod doctrinæ, virtutum, ac Apoſtolici zeli radiis non Germaniam modò, ſed ſeptentrionem totum mirè illuſtravit. Populus Daniæ, Norwegiæ, Sueciæ, aliarúmque provinciarum ac regnorum ambulabat in tenebris, donec ex Corbeia Nova lux orta eſt eis. Habebant verò S. Anſcharius, aliique Monachi Corbejenſes linguas diſpertitas vitæ & doctrinæ. Faciebant & docebant. Quò factum, ut totum ferè ſeptentrionem ad Chriſtiana ſacra amplectenda adduxerint. Igitur Corbeia Nova, ut dicebam, ceu aſtrum primæ magnitudinis miro virtutum ac doctrinæ fulgore Eccleſiam Catholicam multo tempore illuſtravit; poſt elapſa verò aliquot ſæcula negari non poteſt, quin ecclipſin paſſa ſit: neque enim in perpetuo obſervantiæ regularis meridie inviolabili ſplendore perſeveravit; ſed primo deſpoliata fervore in diſciplina monaſtica tepuit, atque magnis paſſibus ad occaſum properavit.

Tum verò anno MCXVI. *aurea Crux cælo delapſa ſuper Corbejam tantum de ſe ſparſit ſplendorem, ut omnes rapti fuerint in ſtuporem.* Singulare verò ac eximium Divini Numinis erat beneficium hæc Crucis apparitio; per eam ſiquidem monachi tepidi, diſſoluti, exleges ſui officii admoniti fuerunt. Vita enim monachorum nihil aliud eſſe debet, quàm aſſi-

assidua Crucis meditatio, & perpetua imitatio Crucifixi. „ Qui vero, ut Eminentissimi Cardinalis Bellarmini verba „ superiùs allata hîc repetam, qui verò cum Christo cruci „ affixi sunt, & mundo mortui per externam observantiam „ regularem; & virtutibus Christi crucifixi carent: ii cum „ infelici latrone crucis ignominiam, & dolores patiuntur; „ sed Christi crucifixi gloriam & prœmia non assequuntur, & *melius erat illis*, ut loquitur S. Petrus, *non cognovisse viam justitiæ* (perfectæ) *quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

Sic igitur felici sanctæ Crucis sidere in Monasterio Corbejæ Saxonicæ collapsa disciplina Monastica instaurata est, cujus chorda ne æquo laxius iterum remitteretur, Religiosissimæ Congregationi Bursfeldensi anno 1486. se adiunxit. Quo etiam labente sæculo, ut in Chronico Huxariensi pag. 135. legitur, Anno MCCCCLXXIV. „ Excellentissimus & „ Nobilissimus Vir veniens Corbeiam cum stupore & summa „ reverentia intuitus est *admirabilem locum*, Deo gratias agens. „ Idem quoque fecit Nicolaus de Cusa Presbyter Cardinalis „ ad Vincula, & Sedis Apostolicæ Legatus per Germa- „ niam &c. Hic sanctitate & gloria Corbejæ permotus Min- „ dâ, ubi tunc erat, huc accessit. Aream Monasterii ingres- „ sus, in terram prostratus, eam osculatus est, dicens eleva- „ tis ad cælum manibus: *O sancta tellus! quæ tot genuisti Apostolos & Episcopos.* Sit Dominus in sæcula benedictus.

Apparuit igitur *aurea Crux* super Corbeiam Novam: *species ejus in visione gloriæ.* Eccles. cap. 43.

§. XVI.

§. XVI.


S. Crucis apparitio ſuper ergaſtulum S. Bavonis.

S. Alloinus, ſeu Allowinus, cui cognomen Bavoni inditum, Francorum principum genus, & Auſtraſiæ Ducum hæres fuit. Ab uxoris obitû nomen ſuum inter Gandavenſes Monachos ſub S. Floreberto Abbate profeſſus eſt. Vitam, ſupra quam dici poteſt, egit auſteram. Poſtquàm in cellâ recluſus fuit, non modò gradum è tugurio nullum extulit, ſed etiam tenaci utrumque pedem cippo incluſit, quibus in pedicis ferè quatuor menſes hæſit, deditque veteri libertati pœnas. Dira, ô cælites! ſupplicia! quæ tamen Allowinus inter nugas habuit: idcircò invenit, quî corpus totum ſubigeret, vexaret, funus faceret. Accitis nimirum S. Amando Epiſcopo, & Floreberto Abbate, huc & huc ora vertit, nihil eſſe pœnæ queſtus cippum ferre: proinde cupere exire, & corpus totum in arcto compingere: & ſi liceat, complicare. Illi mitte quæſumus, inquiunt, inſolitos hujuſmodi cruciatus. Saltem da tibi inducias. Non tamen deſtitit ille rogare per ſacra, ut probarent, quæ ſupplex peteret. Tandem precibus fracti ſignificarunt ſe permiſſuros. Quid fit? Cippo excluſus foras, ergaſtulum mediô domûs æquore molitur, quod ſolum hominem unum admitteret, pedibus inſiſtentem, huncque adeò arctè coerceret, ut caput neque dextrorſum, nec lævorſum avertere poſſet: ſi vellet tamen, inclinaret, Chriſti in Crucem ſublati effigiem exhibiturus. Quod igitur bene eveniat, anno poſt ſalutem partam ſexcenteſimo nono, V. Id. Novembris vivere Bavo, quantum potuit, deſivit: morti ſe dedit: Age verò, quid deinde virum facturum putas? ſepulchrum vitâ nondum amiſſa ſubit. Quid non aggredimur mortales, ſi magna nobis prœmia proponuntur? Porro ne quicquam in hoc funere deſiderares, Clerus populúſque

júſque Gandavenſis fuit accerſitus: prælata Crux: admota fumantia thura: præluxere faces: auditæ lugubres voces: viſæ lachrymis natantes genæ, ut cadaver efferri nullus dubitâſſet. Parochi munere functus eſt Sanctus Amandus, in egregio Mauſoleo Bavonem vivum condendo. Non modò is ſiccus, verùm etiam lætus intravit, quaſi poſt longam jactationem fidiſſimo portu tandem potitus eſſet, duobus ampliùs annis nec pedem inde diſceſſit. Noſtrum eſt, *Laudare Dominum in Sanctis ſuis.*

Cùm verò non deeſſent, qui pollicem roderent, atque auſteritatem hanc pro temeritate acciperent, DEUS, illam ſibi probari, prodigiô oſtendit. Fortè in ſummum faſtigium ſol radiis vallatus evaſerat, cùm lux in crucem diſpenſata ſe cœlo in Allowini cellam demiſit. Confertam populi turbam attonitis oculis in ſpectaculo hærentem ſacer corripuit horror, divinam majeſtatem à quopiam mortali in terras deduci potuiſſe. An ſtipendium illi numerare cœpit DEUS, etſi nondum militia ſoluto? Inde ſemper in ore habuit: *Me autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri JEſu Chriſti.*

Poſt hæc in lethalem morbum incidit; quo etſi frangeretur, nihilominus ora pallore imbuta præbuit orationi: circumfuſos Monachos, vacuas aures admoventem plebem ad æternam beatitudinem erexit: ſingultientes & complorantes blandis dictis demulſit. Interea venitur ad ultimam lineam rerum, felici anima ſponte ſua è vinculis eluctante. Sub hæc defluunt Angeli, quin ipſe Rex cœlicolum, ducturi funus. O terra! Allowinus prægaudio ſui propemodum incertus, qua licuit per defectas vires vocem raucam intendit paſſis brachiis. *Vale*, ingeminans *vale ſervorum Dei Eccleſia. Chriſtus adeſt: egredere in occurſum ejus anima mea.* Hiſce cum verbis vitam effudit, ac felici S. Crucis ſidere ad ſuperos migravit. *Yepeſius in Chron. Gener. O. S. B. cent. 2. p. 99.*



CAPUT V.

Per ſignum Dominicæ Crucis res prodigioſè geſtæ à Sanctis Benedictinis.

BEnedictinam ergaCrucem Chriſti devotionem miraculorum fulgor mirificè illuſtrat. Quî enim futurum fuiſſet, ut Majores noſtri vel ſolo Crucis ſigno tot tantáque ederent prodigia, niſi eandem ſummæ habuiſſent venerationi? In permultis eorum divinum illud Marci 16. oraculum adimpletum fuit: *Signa eos, qui crediderint, ſequentur.* Quod ſic interpretari liceat. Cùm Majores noſtri in JEſum & huncCrucifixum fide non illâ mortuâ & inani, ſed viva & igne charitatis ſuccenſa crederent, ut ſacra ejus Cruce nihil pretioſius, nihil charius, nihil veneratione magis dignum ſe habere teſtarentur, in pium & laudabilem induxerunt morem, ut ſigna S. Crucis non minùs ſæpe quàm devotè facerent; ſed hæc ipſa Sanctæ Crucis ſigna alia ſigna, id eſt, prodigia & miracula non raro ſequuta fuerunt, quibus Deus magnam eorum erga S. Crucem devotionem ac pietatem quodammodo remunerari & compenſare voluit. Fuit igitur in Ordine Divi Benedicti, ceu illuſtri parte congregationis & Eccleſiæ eorum, qui crediderunt, miraculorum ſigno Sanctæ Crucis editorum multitudo & fulgor; è quibus nonnulla commemorare nemini ingratum fore ſperamus, quàm plurimis, ne lectori prolixa narratione tœdium afferamus, ſilentio prætermiſſis.



§. I.

§. I.

S. Maurus Abbas Coeco deprecanti signo Crucis lumen restituit.

Cùm S. Maurus ex Monte Casino iter in Gallias faceret, Agaunum pervenit in agro Octodurensi, nunc Diœcesis Sedunensis. Ibi prodigium memoratu dignum edidit, quod S. Faustus itineris socius his verbis in vitâ (*eeee*) ipsius describit. „ Exinde cùm Ecclesiam pretiosorum Martyrum „ Christi Mauritii ac sociorum ejus, gratiâ orationis omnes „ simul fuissemus ingressi, cœcus quidam ex matris utero „ pro foribus ejusdem Basilicæ sedens, & ab intrantibus ac „ egredientibus quotidianum mendicando victum deposcens, „ comperit à sociis itineris nostri illic Maurum advenisse, di- „ scipulum beatissimi Benedicti, cujus fama sanctitatis jam „ ubique percrebuerat. Cùmque oratione completâ ostium „ Basilicæ fuissemus egressi, Coecus isdem in pavimento toto „ prostratus corpore deprecari & obtestari beatum Maurum „ cœpit dicens: Adjuro te, Maure serve Dei, per hos pre- „ tiosissimos Thebaidæ (*ffff*) Legionis venerabiles Marty- „ res, & per Magistri tui venerabile nomen Benedicti, ut „ tuis sanctis precibus lumen oculorum mihi conferri obti- „ neas à Domino. Sanctus ergo Domini hoc audito, parum „ per figens gradum substitit, eúmque de pavimento surgere præcepit. Cùmque stetisset ante illum, interrogavit illum dicens: Dic mihi, homo, quantum temporis jam emensum est, ex quo hæc Sancta Sanctorum adisti limina? Cui respondit dicens. Undecimus penè jam elabitur annus. Et Sanctus Domini ad hæc ait: Nunquid si voluissent hi sanctissimi ac Domino charissimi Martyres, qui corpora sua sancta pro Christo gladiatoribus perimenda exposuerunt, ut animas pro ipso

(*eeee*) Extat in Actis Sanctorum Ord. S. B. sec. 1. p. 255. (*ffff*) Thebeanæ.

ipſo ponerent, lumen oculorum tibi à Domino dari impetrare non potuiſſent? Iſtos itaque attentiùs exorando deprecare, quorum magis hæc quàm noſtra ſunt opera, & quorum ipſi non minùs cæteris indigemus ſuffragiis. Et hæc dicens cœpit abire. Cœcus verò horrenda quædam & pavenda vociferando inclamare ſacramenta non intermittebat, uſquequo ſanctus vir nobis etiam compellentibus, ſedibus oculorum ejus, quibus eatenùs lucicorni ſolis non ſplenduerat claritas, lacrymis madefactos (*gggg*) dexteræ manûs ſuæ impreſſit digitos, cælóque aliquantiſper intendens, ac ſuper eos ſignum noſtræ redemptionis edens, Dominus, ait, & Salvator noſter JESUS CHRISTUS, qui eſt vera lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ipſe te per invocationem ſancti ſui nominis & merita horum beatorum ſanctorum ac Magiſtri noſtri Benedicti illuminare dignetur, ut videns mirabilia opera Altiſſimi, quibus diſtinquere mundanæ voluit formam creationis, ipſum conditorem horum ac reſtauratorem noſtrum voce exultationis & opere veræ credulitatis collaudes.

Hæc Sanctus Vir cùm oraſſet, ſtatim ſanguis ubertim ab oculis ejus defluere cœpit, & continuò clariſſimis luminibus ſphæram ſolis reſpectans hymnum trium puerorum ex ordine decantare clara voce cœpit. Vocabatur autem vir ille LINUS; qui ut ab ipſo comperimus, tam Pſalterium, quàm omnia & diurna & nocturna audiendo didicerat officia. Habitatores autem loci illius videntes tale miraculum per beatum Maurum celebratum, ſimul in unum conglobati deprecabantur eum, ut benedictionem ſuam ſuper eos daret. Quibus ipſe hac tantùm reſpondit voce: Benedicat vobis Dominus Deus noſter, qui habitat in Sion, ut videatis quæ bona ſunt in Jeruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ. Dedítque mandatum illi, qui illuminatus fuerat, ut nunquam jam ab ipſa

(*gggg*) al madefactis.

ipſa Eccleſia diſcederet, ſed jugiter ibi Domino & Sanctis Martyribus deſerviret: quod ipſe poſtea devotiſſimè implevit. Cùm enim poſt tranſitum beati Mauri ad noſtrum reverteremur Monaſterium, Clericatûs eum functum officio in ipſa invenimus Eccleſia, & decrepitam jam agentem ſenectutem.

§. II.

S. Placidus Martyr multos infirmos uno Crucis ſigno ſanitati reſtituit.

S. Placidus cùm à Divo Benedicto ex Monte Caſino in Siciliam miſſus fuiſſet, ac juxta civitatem Calatiam (*hhhh*) iter ageret, quidam languidus ei factus eſt obvius, conquerens, quòd accolæ regionis illius gravi tædio laborarent. Vir autem Dei illius fidem admirans, oratione præmiſſa, ſalutiferæ Crucis vexillo languidos cunctos, qui præſentes erant, conſignans, priſtinæ ſaluti reſtituit. Tunc temporis quædam mulier filium parvulum habens in ultimo flatu palpitantem, jamjámque moriturum, ante Sanctum Domini Placidum obtulit, dicens: Placide pater honeſtiſſime, qui ſanitatis gaudia quamplurimis reddidiſti, reſpice quæſo voces ancillæ tuæ, attende fletum, ſuſcipe preces, & mihi unicum filium jam in extremis poſitum redde, ut plena gaudio, vacua gemitu, cuncta regentis laudare poſſim magnalia. Vides infelicem extorquente morte rapinam, aut mihi filium reſtitue, aut pariter cum ipſo funeratam me obtine. Indulge pater Placide, miſeræ, per magiſtrum tuum Benedictum te adjuro, quam dolor reddit audacem. Quâ flebiliter poſcente, mox ut beati Placidi dextra ſupra expirantem ſignum ſalutiferæ Crucis expreſſit, quaſi evigilans de ſopore matris papillas expetiit,

(*hhhh*) Gajazzo.

tiit, qui jam frigebat in mortem. Ita in momento temporis filius de mortis fauce, mater tollitur de mœroris funere. Gratia creatori & gubernatori ab omnibus redditur, Patris Benedicti sanctitas cunctorum ore prædicatur, qui talem dignus fuit nutrire discipulum, à quo morbis jugiter ac languoribus imperabatur. Post hæc oblatus est ei quidam Paralyticus universorum membrorum damnata ferens officia, nullúmque vigorem retinens plantæ vel dexteræ. Sanctus autem Domini Placidus, qui dona larga præstabat mortalibus, super eum salutiferæ Crucis signaculum fecit, confestímque morbus excluditur, salubris vigor illabitur, recreatísque visceribus meliùs renascitur salute, quàm germine: plus acquirens, & plus sumens ex munere, quàm sumsit ex origine. *Vid. vit. sec. 1. Ben. pag. 55.*

§. III.

S. Gregorius M. equitans magorum incantationibus occidendus equum crucis signo sistit.

PAterfamilias erat Romæ, valde rebus ditissimus, sed religione nimis egenus, qui non vitiis minùs plenus, quàm rebus, cùm uxor sua ei displicuisset, fecit ab eà contra præceptum Domini nostri Salvatoris JEsu Christi divortium. Res verò beatissimum Gregorium Pontificem piissimum latere non potuit, quia & magnitudo mali, & agnitio personarum se facilè prodidit; quem B. Gregorius multis & suavissimis monitionibus, seu districti divini examinis terroribus studiosissimè & sæpissimè immò indesinenter persuadere contendit, ut uxorem suam in pacatam gratiam reciperet, à qua quoquo modo divelli nisi morte aut amborum consensu intercedente nequiret. Sed is diabolica præventus irremediabiliter pertinaciâ monita beatissimi Gregorii

viri

viri DEI ſprevit. Quem ipſe ſanctiſſimus Papa Gregorius Apoſtolica auctoritate ab Eccleſia ſub anathemate, niſi reſipiſceret, ſequeſtravit. Quam excommunicationem idem ægrè admodum ferens, & peccata peccatis accumulans duos magos pecuniis ex placito locat, ut in ſanctum apoſtolicum ad vindictam ejus apodixem ſuæ artis exercerent. Qui eum facie ignorantes, dum quâdam die ad proceſſionem ex more pergit, ſibi eum rogant inſinuari. Quibus reſponſum eſt, ipſum eſſe, qui ſolus Pontificali dignitate equitans, præcedentem & ſubſequentem cuneum Eccleſiaſticorum virorum haberet. Et intuentes eum, repentè equum illius maleficiis ſuis à dœmonibus vexari fecerunt: ſtatímque B. Gregorius, invocato nomine Domini noſtri JEſu Chriſti & edito ſigno Crucis, ab equo perturbavit dœmonia, reſpiciensque in partem, mox ut magos eſt contemplatus, illi cœcati, ab eisdem dœmoniis pervaſi, ceciderunt retrorſum. Intellexit inde vir Domini eorum id perpetratum nequitiâ: & cùm juſſiſſet eos ad ſe adduci, interrogati, rei ordinem prodiderunt. Quibus reſpondit beatiſſimus Pontifex. Perpetuò cœci eſſe debetis, ne videntes ad conſuetam perverſitatem redire tentetis: in nomine autem Domini noſtri JEſu Chriſti, operante beato Petro liberi à dœmonibus liberati, & credentes fonte ſalutari perfuſi ſunt, ac permanente cœcitate damnati, jubente B. Gregorio de cetero ſtipe ſunt eccleſiaſtica aliti. *Joan. Diac. in vit. S. Greg. M.*



§. IV.

§. IV.

S. Amandus Episcopus Trajectensis serpentem signo Crucis pellit.

QUadam die dum ei, adhuc novitio monacho, à Fratribus imperatum fuisset, ut obedientiæ causa per insulam Ogiam deambularet, fit ei repentè obviam miræ magnitudinis serpens, sicut idem vir DEI narrare consueverat, ita ingens atque immanis, qualis nec post, nec antea in eâdem visus est insula. Quo viso, perterritus puer, sicut ipsa patiebatur ætas, quid ageret, ignorabat. Tum subitò superna respectus gratia ad orationum confugit auxilia. Statímque solo prostratus cùm aliquantisper orationi incubuisset, *signum Crucis* contra immanem opposuit anguem, potentíque virtute verborum ut ad latebras quantocyus rediret, imperat. Qui dicto obediens, atque ad signum viri DEI fugiens, rapidóque cursu ad latebras remeans, in eadem insula ulteriùs nusquam comparuit. Sícque eandem insulam per orationem beati viri Amandi omnipotens Deus ab imminenti liberavit periculo. Hoc initium signorum ejus ad nos multorum famâ volitante perlatum est, inquit Baudemundus ejus discipulus & Abbas Blandiniensis in vitâ apud Bolland. VI. febr. p. 849.

§. V.

S. Tillo Monachus Sollemniacensis ægram crucis signo curat.

QUædam mulier propè jam mortua vulnus gestabat in collo: occurrit ergo sancto viro, obsecrans, ùt super hoc signum Crucis armaret, quia jam mori timebat. Cúmque

que ſuper vulnus plenum vermibus, Chriſti ſignum exprimeret, repentè mortui ſunt vermes, & fæmina rediit incolumis. Ex vita apud Bolland. d. 7. Jan. c. 3. n. 27. pag. 380. col. 1.

§. VI.

S. Joannes Abbas Parmenſis fluvium exundantem Cruce munitus tranſit.

Cùm vir iſte beatus quodam tempore iter peragere vellet, ad quendam fluvium (Hetruriæ) nomine Arnum per venit. Cúmque idem fluvius inundatione facta ſui curſûs alveum egreſſus eſſet, & omnia transvadando iter denegaret, ac multa populorum turba propter transvadandi difficultatem, ibi turbata permaneret, Vir Domini prædictus in Chriſto confiſus ſigno ſe Sanctæ Crucis armavit; & cum ſuis omnibus, velut athleta, per medium furentis fluvii alveum tranſire promeruit. At cùm ipſe fluvius in tantum creviſſet, ut vix ibi navis curſum tenere potuiſſet; Vir ſanctus ita cum ſuis recto tramite, adjutus Chriſti gratia, ſecurus equitando tranſivit, ut nec etiam unda furens eorum pedes madefactaret. Quod cùm gens equitatura, quæ ad hoc ſpectaculum cum multis aliis diverſi generis hominibus aderat, vidiſſet, ac temerè ſimiliter equitando transvadare vellet, & vir Sanctus magno cum clamore illis, ne hoc facerent, prohiberet; atque ipſi econtra ſancto viro reſiſtendo in fluvium temerè introirent; ita vim ſuam aqua contra illos extorſit, ut ſtatim in ipſo fluvio necati eſſent, niſi vir ſanctus orationibus ſuis protegendo, & per ſemetipſum eos adjuvando, citò ſuccurreret. Quo ſtupefacti miraculo univerſi qui affuere, magnificas laudes Chriſto reddiderunt; & manibus in cælum erectis diutiſſimè Deum glorificaverunt, qui ita quotidie

tidie suos non destitit Sanctos magnificare. *Monach. Parmens. Synchron. in vit. apud Bolland. Tom. 5. Maij d. 22. p. 181.*

§. VII.

S. Odilo Abbas Cluniacensis signo Crucis oculum particulâ corticis inhærente læsum sanat.

NObilis quidam vir dum jaceret sub arbore, particula corticis in ejus oculum cecidit, cui non modò lumen omnino turbavit, sed & aliarum calamitatum multiplex pondus invexit. Nam cùm id, quod oculo semel insederat, nullo modo potuisset expelli, fugit somnus ab oculis; & non modò homo jam non dormire, sed nec ciborum quidem valebat alimenta percipere. Quem seorsim vir sanctus abducens, signum sibi Crucis impressit, ac mox insufflans super locum doloris halavit. Deinde promittens se salutares pro eo victimas oblaturum, abiit. Abscedente itaque viro Dei, protinus homo suaviter obdomivit. Evigilans autem particulam corticis ab oculo non sine lanugine quadam projecit; & è vestigio factus incolumis, nullam de cætero doloris hujus molestiam sensit. Cæcum etiam ab incunabulis puerum signo salutiferæ Crucis in fronte depicta illuminavit. In Paterniacensi Monasterio Rudolphum puerulum Monachum struma non deturpaverat modò, sed claritatem vocis ei etiam ademerat. Ejus S. Odilo misertus signum Crucis strumæ impressit & sanavit. Ejusdem signi impressione vulnus brachii, quo Turonensis quidam Clericus laboravit, persanavit.

Vide S. Pet. Dam. in vita apud Mabill. in Act. Sanctor. Ord. S. B.

(***)

§. VIII.

§. VIII.

S. Hermelandus Abbas Atrensis in Gallia signo Crucis vinum auget, & lampadem extinctam accendit.

QUodam die dum vir sanctus per pagum Nanneticum cum Fratribus aliquibus iter necessarium carpendo conficeret, contigit, Arnaldum, juxtà dignitatem sæculi prædivitem, clientulorum stipatum cuneo, ei devenisse obviàm. Vir quoque Domini diutiùs eum spiritualibus ex auctoritate divinarum Scripturarum instruens eloquiis post verbi documentum dixit cuidam Fratri: Quia pro captû nostri intellectûs huic illustri viro spiritualem ministravimus potum, caritate suggerente etiam corporalem nihilominùs sumamus. Qui respondens ait: non plus ibi vini adesse, nisi in parvissimo pendente ad sellam vasculo, quod parùm plusquàm heminam caperet vini. Sed ipsum jussit afferri, confidens vir Dei, plenus illius fide, qui inter quinque millia hominum panes quinque distribuens augmentavit (nam potestate divinâ, postquam omnes ubertim sunt refecti, plus reliquiarum multò superfuit, quàm integritatis, ante distributionem Apostolorum in turbas fuisset pondus) impresso editóque signo Crucis vir Domini prædicto Arnaldo cum omni comitatû suo jussit distribui. Qui cùm omnibus distribuisset, omnésque cum gratiarum actione, ipso distribuente, singulos calices bibissent plenos, vinum tamen tanti sacerdotis merito dispertiendo crevit ex tam parvissimo vasculo. Ipsum quoque vasculum, in testimonium hujus miraculi in ejus servatur Monasterio. Nullus, ut reor, ambigit in hoc miraculo virtutem Eliæ eum imitatum fuisse: quia sicut ille invocato Majestatis nomine oleum, ita iste vinum crescere fecit in vase per virtutem Crucis Christi.

 Quod

Quod prodigium in augendo vino per ſignum Crucis alia occaſione ſemel atque iterum repetiit; ſed his omiſſis audiamus, quomodo noctû inter orandum viſitans Eccleſias lampadem extinctam ſigno Crucis accenderit: „ Quâdam nocte dum ſollicitè orationis gratiâ baſilicas ſui cœnobii circuiret, in unâ earum extinctum cuidam Fratri recuperare juſſit lumen. Quo ſecum deferente, in manû Fratris, flante procella venti lampas extincta eſt. Cúmque iſdem frater, ut eam iterum accenderet, feſtinatò ire cœpiſſet, vir Domini ut ſubſiſteret, innuit, & extentâ manû ſignum edidit Crucis, atque ex tenebrarum caligine amiſſum, Chriſto juvante, reſtauravit lumen. Nam poſtea atrociùs ingruente procella venti, lumen divinitùs datum, nullius defenſionis munimine tectum, inextinctum uſque ad locum, quò deferebatur, ſolidúmque perlatum eſt. *Vid. Bolland. in vit. 25. Martii p. 580. & 582.*

§. IX.

S. Pontius Abbas Andanoenſis ſigno Crucis furem manifeſtat.

MOnaſterium Andanoenſe juxtà Avenionem ſitum eſt. Cum Sanctus Pontius in eo aliis ſplendore virtutum præluceret, omnium ſuffragiis & votis Abbas fuit renuntiatus. Quâdam die dum ſe ad trajiciendùm Rhodanum accingebat, ſacro prius pro more facto cum amplo ſatis comitatu, ecce occurrunt ei bubulcus vomerem manû tenens & agricola Monaſterii, qui altercabantur de vomere: agricola bubulcum furem appellare, quod vomerem nuper à ſe ſub terrâ abſconſum ſuſtuliſſet. Alter furtum audacter negabat. Res erat in medio. Sanctus Pontius litis arbiter præcepit, ut vomer in Rhodanum mitteretur, & facto ſuper fluvium Crucis ſigno juſſit eum, de quo major erat furti ſuſpicio, primum è fluvio vome-

vomerem extrahere. Miser ille ausu temerario manum in aquam intulit: quam inde tanquam ex cacabo ferventi elixam sine vomere retulit: & sic furti veritas innotuit. *Monach. Andanoensis Anonym. in vit. S. Pontii apud Hug. Menard in Martyrol. Benedictin. pag. 515.*

§. X.

S. Frodobertus Abbas Trecensis, adhuc puer claret miraculis, & matri signo crucis visum restituit.

Contigit enim matrem ejus oculorum suffragio destitutam luminis dispendium incurrisse: cúmque longam in cœcitate noctem trahens, vitam mœrore consumeret; die quadam filium inter amplexus demulcens obsecrat, ut manû suâ Crucis signum super oculos ejus exprimeret. Quod cùm ille abnueret, mater verò importuniùs perurgeret, tandem maternâ permotus instantia, invocato Domino, salutiferum signum super oculos genitricis expressit: illicò cedentibus tenebris, lux amica revertitur; & parvuli merito filii magnum matri beneficium cumulatur.... Jam verò in effugandis dœmonibus ea virtutis præstantia præpollebat, ut cuicunque energumeno in fronte vel pectore signum Crucis imprimeret, mox ejus compellente imperio malignus spiritus abiret. Jure enim tanta ei potestas in expulsione dœmonum applaudebat, ut eis fiducialiter imperaret, qui totum se divinorum submiserat obedientiæ præceptorum. Auctor Anonym. *Mon. Cellens. in vit. apud Boll. d. 8. Jan.*

§. XI.

S. Wulstanus Episcopus Wigorniensis, Crucis signo labentem servat.

Cùm quidam de campanili præceps rueret, Wulstanus eminus stans & intuens condoluit, & signum Crucis opposuit: casúsque ruentis corpus non solùm non attrivit, sed nec animum, frigente sanguine, ut solet, hebetavit. Surrexit incolumis, suæ temeritati imputans quod cecidit, & Wulstani sanctitati, quod evasit. *Auctor anonym. in vit. apud Boll. tom. 2. Jan. d. 19. p. 246. col. 2.*

§. XII.

S. Cunegundis Crucis signo incendium extinguit.

COnfugia monasterium Ordinis S. Benedicti fuit, situm apud Cassellas in Hassiâ. Hîc S. Cunegundis Imperatrix, mortuo Henrico Imperatore ac Conjuge suo mundo se abdicans, Monialis Benedictina facta est. Quæ statûs mutatio in ejus vita his verbis describitur. „ Denique Cunrado sibi succedente in regno, ipsa curis secularibus sicut jam diu desideraverat, exonerata, in ipso Anniversario die transitûs S. Henrici, Archiepiscopos cum Episcopis ad dedicationem Confugiensis Ecclesiæ convocat. ubi inter Missarum solemnia, imperiali decentissimè omni cultu ornata ante principale altare, Virgo DEO devota processit, ibíque thesaurum incomparabilem, ligni Dominici Crucem, parvam quidem in materia, sed maximam in virtute, DEO obtulit. At ubi lectio Evangelii, in quâ super arborem Crucis ascendens suspicien-

„ tem

„ tem ſe (*iiii*) JEſum ſuſcipere, & ab eo benedictionem
„ puſillus meruit accipere, lecta fuit; regalem purpuram
„ exuens, tunicam fuſciorem, quam ipſa ſibi manibus ſuis
„ operata fuerat, veſtem religionis, datâ ſacerdotali bene-
„ dictione, induit. Et multis quidem pro ſe flentibus,
„ pro illâ autem gaudentibus, quæ jam ſæculum damnâſ-
„ ſet in veſtibus, capillis, qui huc usque in eodem mona-
„ ſterio pro ipſius ſervantur honore, præciſis, impoſito ſi-
„ bi ab Epiſcopis velo annulo fidei ſubarrhata, gratula-
„ bunda ſuccinuit; Poſuit ſignum in faciem meam, & an-
„ nulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus JESUS Chriſtus.
Vixit verò S. Cunegundis in Ordine D. Benedicti per XV. annos.

Aliquando cùm poſt orationis frequentiam inter lectionis laſſitudinem ancilla Chriſti in lecto, non plumis exſtructo, ſed cilicio ſtrato, membra ſopore gravata remiſiſſet; puella ſacrata de more illi aſſidebat, ſacros collices legens, cùm ferè ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clauſit, luménque è manibus illius prolapſum paleas corripiens, ſui fragore circumjacentes ſorores excitavit. Clamore ex concurſu facto, Virgo Chriſti de ſomno excuſſa, dum colluctantes inter ſe, & concrepantes flammas circa ſe adſpexit, ad orationis arma ſe convertit, & *ſigno Crucis* aduſtionem illam absque omni ſuarum læſione veſtium avertit. Tua ſunt hæc, Chriſte, opera, qui olim Babylonium Regem in ſuo furore confudiſti, & Chaldaicos ignes, ut pueri tui liberarentur illæſi, tua virtute exſtinxiſti.

Ex vita apud Bolland. d. 3. Martii p. 174. & 175.

(*iiii*) De Zachæo & arbore ſycomori ob dedicationem Eccleſiæ.

§. XIII.

§. XIII.

S. Richimirus Abbas signo Crucis captivos liberat.

QUadam die ad urbem Cenomanicam venit, ut Egilberti Episcopi benedictionem perciperet: eo portam urbis ingrediente capti clamârunt, ne se sine stipe præteriret: venit ad ostium carceris; quòd cùm esset obseratum, *signo Crucis* à Sancto Richimiro facto repentè apertum est, & captivi inde exilientes auffugerunt. *Hugo Menard. in vitâ, quam exhibet in Observat. ad Menol. Benedictin. lib. 2. pag. 483.*

§. XIV.

S. Anselmus senem moribundum ab horrificis spectris librat.

Cùm S. Anselmus Prior Monasterii Beccensis in Normannia factus esset, plures habuit æmulos. Quidam verò ex antiquioribus ipsius Cœnobii Fratribus, qui veteri odio plurimùm erat infestus Anselmo, nec ullatenus poterat super eum respicere simplici oculo, infirmitate pressus ad extrema perductus est. Cùm itaque Fratres meridiana hora in lectis ex more quiescerent, ipse in domo infirmorum, in quâ jacebat, cœpit miserandas voces edere, & quasi quorundam horridos aspectus subterfugere gestiret, pallens & anxiè tremens, vultum suum delitescendo hinc inde commutare. Territi Fratres, qui aderant, quid haberet percunctantur. At ille: Geminos immanes lupos me inter brachia sua compressum tenere, & guttur meum impressis dentibus jam jam suffocare videtis; & quid mihi sit quæritis? Quô auditô unus ex Monachis, Riculphus nomine, ad Anselmum, qui tunc in claustro

ſtro emendandis libris intendebat, concitus perrexit, & eo extra clauſtrum educto, quid circa infirmum fratrem ageretur, patefecit. Juſſus ergo Riculphus ad ægrum rediit, & Anſelmus in ſecretiorem locum ſolus ſeceſſit. Poſt modicum, domum, in quâ frater, qui patiebatur, erat, ingrediens, levatâ manû *ſignum Sanctæ Crucis* edidit, dicens: In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Ad quod factum ſtatim æger conquievit, exhilarato vultû, intimo cordis affectû Deo gratias agere cœpit: dicebat enim, quod Anſelmo oſtium ingrediente, & extensâ manû *ſignum Sanctæ Crucis* edente, viderit ex ore illius flammam ignis in modum lanceæ procedentem, quæ in lupos jaculata eos deterruit, & celeri fugâ delapſos procul abegit. Tunc Anſelmus ad Fratrem accedens, atque cum eo de ſalute animæ ſuæ ſecretiùs loquens, ad pœnitudinem & confeſſionem omnium, in quibus ſe Deum offendiſſe recordari valebat, cor ejus inclinavit. Paterna dehinc auctoritate à cunctis abſolutum dixit eum horâ, quâ Fratres ad Nonam ſurgerent, præſenti vitâ deceſſurum. Quod & factum eſt: nam Monachis à lecto ſurgentibus, ipſe ad terram depoſitus eſt; & illis circa ipſum in unum collectis, defunctus eſt. *Eadmerus in vit. cap. 3. quæ in ejus Operibus ad calcem Operum S. Anſelmi editionis Pariſ. 1657. & 1721. fol. habetur.*

§. XV.

S. Wiborada Virgo & Martyr vas diſſolutum ſigno Crucis reparat.

CONſuetudo fuit huic Beatæ Virgini ter in anno balneo uti, non tamen ſine licentia Abbatis ſui. Quâdam autem die cum ei balneum in tina (Germanicè *Wannen*) paratum eſſet, repentè vinculis reſilientibus, diſſolutio tegularum

aquis profluendi dedit locum. Super hac re cum ejus serva nimis contristaretur, consolatoriè dixit ei beata Virgo: Noli mœrore affici, sed exspectemus misericordiam Domini. His dictis consignans semetipsam & vas per Sanctæ Crucis impressionem, conglutinavit omnem ejus dissolutionem. Quod vas non solùm tunc & deinceps quamdiu in corpore vixit ad usus balnei utile fuit, sed etiam post ejus martyrium pro diversis languoribus medicabile fuit, & est. *Hepidanus Monachus Sangall. in vitâ S. Wiboradæ cap. 20.*

§. XVI.

S. Petrus Cælestinus paralyticum Crucis signo sanat.

THomas Joannis Gualterii de Rocca-Moricii, quinque continuis mensibus mansit sic debilis ac dissolutus membris omnibus, cum totius corporis inflatione enormi, ut neque in pedes stare, nec ambulare, nec sedere posset, neque tangere quidquam, nedum manibus apprehendere, adeóque sive manducandum seu bibendum esset, seu alteri alicui corporali necessitati serviendum, opus habebat alienis manibus juvari ad singula: nec profuerant remedia copiosè adhibita. Quare illectus famâ miraculorum quæ spargebatur, portari ad Sanctum voluit, & à consanguineis suis Gualterio de Granella, atque Bartholomæo de Abbateggio, supra asinum ligatus, Orsentémque deductus, propter multitudinem hominum, qui illuc accurrerant, non potuit, sicut erat offerri sancto, sed solutus ab asino, per manus assistentium promotus est usque ad cancellos altaris, ad quos Petrus Missæ sacrificium faciebat, ejulans interim propter cruciatus, quos gravissimos tolerabat. Finito autem sacrificio venit ad eum Sanctus interrogatúmque de suo malo audivit longanimiter, ac denique

om-

omnia ejus membra suis pertractans manibus, *signum* ei *Crucis* impressit, Deúmque oravit. Hoc facto, subitò in pedes surrexit Thomas, ambulavítque & manducavit coram omnibus ibi præsentibus, clamantibúsque, Benedictus sit Dominus: Miserere nostri, Sancte Pater, miserere nostri. Thomas autem pedes inde recessit, multis eum deducentibus domum suam, pro admiratione tam grandis miraculi. Post triduum verò etiam tumor omnis evanuit, nec ullas mali reliquias ampliùs pertulit. *Lel. Marin. in supplem. Histor. ad vit. B. Petri Cælest. cap. 5. apud Boll. Tom. 4. Maij p. 511.*

§. XVII.

S. Gregorius VII. ignem sistit signo Crucis.

ANno MLXXXII. Henricus IV. Imp. in Italiam assumpto apostata suo Guiberto, iterum Romam invasurus proficiscitur, advocatâ multitudine schismaticorum: ibíque eâ æstate moratus, pene in cassum laboravit, quia eum nec hac vice Romani intrare permiserunt. Ignem quoque in domum S. Petri per quendam traditorem immittere voluit, sed Dei misericordiâ protegente non potuit: cogitavit enim, ut de improviso portas irrumperet, si Romani derelictis propugnaculis ad incendium restinguendum concurrerent; sed Dominus Apostolicus huic versutiæ obviavit. Nam primùm viso incendio, omnes milites Romanos ad gubernacula defendenda transmisit, ipséque solus, fiducia S. Petri fretus, *facto signo Crucis* contra incendium ignem ulteriùs progredi non permisit. Igitur Henricus capto Venerabili Episcopo de Sutria, aliisque nonnullis suóque apostata Guiberto in Tiburtinâ urbe ad infestandos Romanos derelicto, ipse Longobardiam revertitur. *Bertholdus in Chron. Constant.*

§. XVIII.

S. Swithunus Episcopus ova per nequitiam fracta redintegrat.

S. Swithunus, Wintoniensis Fpiscopus, pontem suæ urbis construxit. Cúmque ei ædificando solicitam navaret operam, quodam die, illo ad opus residente, quædam paupercula mulier eò venit, ova venalia in vase deferens: quam apprehensam operarii lascivientes & ludibundi, magno incommodo affecerunt, ovis universis non ereptis, sed confractis. Illa igitur pro illatâ injuriâ & damno dato, cum lacrymis & ejulatû coram Episcopo conquerente, vir sanctus pietate permotus, vas, in quo erant reposita ova, corripit, dextrâ signum Crucis exprimit, ováque incorrupta & integra restituit. *Gotzelin. Mon. in vit. apud Sur. d. 2. Julii.*

§. XIX.

S. Adelbertus signo Crucis panem signans ægram sanat matronam.

Cùm S. Adelbertus, Episcopus Pragensis, Romæ in Monasterio SS. Bonifacii & Alexii adhuc Monachus esset, nobilis quædam fœmina Monasterium hoc causa orationis ingreditur, & cùm caritatem ibi facere jussa foret, jam septem annis panem se non gustâsse profitetur: ille verò (S. Adelbertus) hunc abstinentiæ morem pro infirmitate ei adhæsisse recognoscens, allato pane salutiferæ Crucis signaculum impressit; ac deinde prandenti matronæ eundem apponens, in nomine Domini mei JEsu Christi, filia, inquit, manduca panem; non licet tibi Sanctam Christi caritatem violare: pro ejus enim amore hoc parum prandii accipere jussa es. Ad hanc

hanc vocem credula mulier, panis munera deguſtans, cum gratiarum actione regreditur in domum ſuam; exhinc ergo communi cibo uſa, rem novam ſibi contigiſſe civibus narrat, ac glorificat vox omnium Dominum Deum. *Monach. Coav. in vitâ die 23. April. apud Boll. Tom. 3. p. 183.*

§. XX:

Vener. Drogo ſigno Crucis ignem fatuum extinguit.

VEnerabilis Drogo fuit Monachus Cœnobii Floriacenſis in Gallia, poſtea eremita, in loco Balma dicto. Cùm feſto quodam die Sancti Benedicti exploraret horam, quâ Deo laudes perſolvere deberet, apparuit ei cacodœmon ementitus ſpeciem proceræ arboris, quæ undequaque ardens ad ejus tugurium incendendum accedere videbatur. Sed vir Dei facto ſigno Crucis hunc ignem fictitium eſſe cognovit. Statímque ei viſus eſt Sanctus Pater Benedictus claritatis immenſo lumine circumfuſus, albâ indutus ſtola; qui eum conſolatus ad perſeverantiam eſt adhortatus. *Aimoinus libro de Miraculis S. Benedicti cap. 4. & ex eo Menardus in Menol. Ben. p. 138.*

§. XXI.

S. Urſmarus Abbas Lobienſis ſigno Crucis febres tollit.


IN Monaſterio Malbodienſi monialis ægrota jacebat tam peſſimo languore obſeſſa, ut qui eam viderent, recuperari poſſe ſanitatem omnimodis deſperarent. Quæ cùm audiſſet tanti viri (S. Urſmari) adventum, cœpit virtute, quâ poterat

terat dicere. Obſecro, ut rogetis illum venire ad me: confido enim in Deo, me recuperaturam ſanitatem quantocyùs, ſi eum videre meruero. Quod cùm B. Urſmaro fuiſſet indicatum, confeſtim properavit ad domum, intuitus febricitantem, elevans manum, ſignum Crucis ſuper eam edidit, & febre decedente, illicò convaluit. Quæ palàm prædicabat omnibus, ſe ſancti viri ſanatam fuiſſe orationibus. *Anſo Abbas Lobienſis in vit. apud Bolland. d. 18. April. Tom. 2.*

§. XXII.

S. Hugo Abbas ſigno Crucis tempeſtates pellit.

S. Hugo, Abbas Cluniacenſis, loco non procul à Baſileâ ſito, à Ludovico Comite & Sophia uxore, magnæ dedevotionis conjugibus hoſpitio ſuſceptus fuerat. Deinde poſita in viridario menſa commotus aer tempeſtatis ſigna præmiſit. Turbati diſcurſant miniſtri, quid fieret ex appoſitis jam dapibus ignorantes. Cæterùm DEI famulus elevans manum Crucis ſignum oppoſuit, & imminentem ſic abegit tempeſtatem. Quæ ne caſu potiùs quàm meritis Abbatis abſceſſiſſe videretur, circumquaque pluviis deſœvientibus & tonitruis, locus ille tempeſtatis expers, & ſerenus remanſiſſe perhibetur. *Ven. Hildebertus in vit. c. 4. n. 27, quæ extat inter ejus Opera conjunctim à V. C. Beaugendre è Congr. S. Mauri vulgata.*



§. XXIII.

§. XXIII.

S. Enneco Abbas Oniensis ex energumeno dæmonem signo Crucis ejicit.

VIr quidam, nomine Timotheus, sic à maligno spiritû torquebatur, ut passim cogeretur caput in parietes impingere; ex quo multis periculosísque vulneribus affligebatur, ita ut miser ad ultimum vitæ terminum properaret: nam cùm tabes ex vulneribus emanans fœdos progenuisset vermiculos, isti cutem, ossa, & cerebrum corrodebant. Tantam miseriam videntes consanguinei, ægrotum ad cœnobium Onesiense advexerunt. Cujus spectaculum intuens Eneco, cor ad DEum elevans, fide & spe plenus, signum Crucis super energumeni corpus expressit: cujus tactu dœmon vociferans, liberum reliquit Timotheum; & quod plus est, vulnera vermibus scatentia illicò curata sunt, nec locum dedere cicatricibus. *Bolland. in vit. d. 1. Junii c. 3. tom. 1. p. 116.*

§. XXIV.

S. Arnulphus energumenam signo Crucis liberat.

S. Arnulphus ex Monacho Vindocinensi Episcopus Vapingensis in Gallia vixit sub Alexandro secundo circa annum millesimum septuagesimum. Quædam verò sanctimonialis multis sceleribus contaminata malè in ipsa civitate audiebat, unóque gravi admodùm recens perpetrato peccato, justo DEI judicio à dœmone arrepta est: quæ tanto furore agitabatur, ut vinculis ferreis esset constringenda. Tandem ad virum DEI adducitur: qui signo crucis, & oratione ad DEUM fusa dœmonem ejecit. *Hug. Menard. in Menol. p. 329.*

§. XXV.

§. XXV.

S. Sequanus Abbas paralyticum Crucis ſigno ſanat.

QUidam paralyticus ei oblatus eſt in ipſa Paſchæ vigilia: ſanctus Sequanus in oratione pernoctavit, artúsque paralytici oleo ſanctificato perunxit: craſtino illuc eſcente die Paſchæ rem divinam fecit, ipſúmque infirmum Chriſti corpore & ſanguine recreavit, & ſublatis in cœlum oculis *ſignum Crucis* ſuper jacentem efformavit, eúmque ſanitati reſtituit. *Menard. in Menol. p. 326.*

§. XXVI.

S. Benno ſigno Crucis aquam in vinum vertit, & Albim ſicco pede tranſit.

Cùm die quâdam ad operarios in prato exiiſſet, illis ſiti ac labore fatigatis, ſigno Crucis edito, aquam in vinum commutavit. Quod cùm puer ſuus animadvertiſſet, allata ſibi unda. En, dixit, faciam ſicut Dominus meus. Qui interrogatus, quidnam feciſſet; Crucem, reſpondit, deſuper edidit. Cúmque puer idem faceret, meritis beati viri & ſimplicitate pueri aqua mox vini ſaporem induit.

Cùm autem jam dies ad occaſum tenderet, & Divus Benno recta via per pontem ad civitatem pervenire non poſſet, iter ad proxima Albis fluenta deflexit, & Cruce ſe muniens, fluvium ſicco pede pertranſivit. Quod videns ruſticus quidam, qui eum cum plauſtri fœno ſequebatur, protinus per aquam inſecutus eſt, & incolumis transvexit: Benno autem audaciam hominis vehementer increpans, prohibuit, tum ne id amplius faceret, tum ne cuiquam quod

fa-

factum erat, eo vivente detegeret. *Hieron. Emser in vit. c. 4. in Actis Sanct. d. 16. Junii p. 169.*

§. XXVII.

S. Corbinianus signum S. Crucis fronti latronis imprimit, cujus mira est efficacia.

IN vita S. Corbiniani, primi Episcopi & Fundatoris quàm antiqui tam inclyti Episcopatûs Frisingensis in Bavaria mira virtus & efficacia signi S. Crucis fronti impressi his verbis consignatur: „ Contigit, ut Carolus Martellus Major Domûs, seu Prorex Galliæ, Corbinianum, verbo DEI in Galliis disseminando intentum, ad Aulam accerseret. Paruit Vir Sanctus, & in viam ocyùs se dedit, experturus, ecquid se Major Domûs vellet? In eo autem itinere constitutus, cùm oppido cuidam immineret, vidit eminùs turbam hominum, & inter eos Latronem, resti collo inserta, manibúsque post terga revinctis jamjam in furcam ob ausus nefarios agendum. Misertus itaque hominis piissimus Pater, sonipedem acriter impulit, & ad consertum populum quanta potuit festinatione properavit, jámque factus propinquior magnis vocibus clamavit, ut ante feralis mandati executionem justitiæ Ministri nonnihil subsisterent. Quod cùm ex Episcopi voto illi annuerent, ipse ex equo prosiliens, prono in terram corpore supplex judicibus accidit, ut reum sibi donare, vel certè ejus supplicium eousque differre vellent, dum ipse cum Pro-Rege, ad quem aliàs iter haberet, ea super re egisset, & vitæ veniam reo impetrasset. Verum nihil evicit Corbinianus, Judicibus Episcopum obtestantibus, ne supplicio tam necessario, támque justo moras vellet injicere. Actum esse de hominis vita, Legis mandato, non sua auctoritate eum damnatum esse. Si veniam

 Latro-

Latroni darent, fore, ut ipsi in sua capita consciscerent patibularii pœnas. Actum proinde agere Corbinianum: obstare Leges Patrias: moriendum esse Latroni. At saltem, inquit Episcopus, eam mihi veniam dabitis, ut remotis tantisper arbitris, parvula ei monita salubria in aurem instillem? Id assecutus, qua potuit paternâ ac solitâ sanctáque facundia reum cohortatus est, ut amore salutis æternæ sibi omnes animæ recessus panderet, peccata omnia fideliter exponeret, nihilque sileret, quidquid vel cogitatu, vel locutione, vel ipso pravo opere unquam contra DEUM, contra proximum, contra seipsum deliquisset. Et verò mitissimo, atque salutis alienæ cupidissimo Episcopo facilè annuit miser, peccatáque omnia, quæ quidem animo occurrerant, integerrimâ confessione non sine ingentibus contriti animi indiciis exposuit, veniámque postulavit. Corbinianus ad hoc *S. Crucis signum*, velut absolutionis & salutis æternæ indicium, ac munimen contra quævis occurrentia mala, fronti pectoríque hominis impressit, reum bene sperare jussum, Deo, Judici supremo, commendavit, eíque vultu subtristi valefaciens, sonipedem rursùs conscendit, & iter ad Carolum Pro-Regem profecutus est, quàm potuit celeriter, Latrone interim ex furcâ à lictoribus suspenso. Posthac alterâ die (nam longiùs ab aula supplicii locus aberat) ad Carolum venit Corbinianus: in cujus conspectum delatus in genua confestim cecidit, summis precibus obtestatus, ut, quidquid ageretur de latrone quodam herì in furcam acto, saltem cadaver illius sibi dono daret: pretiosum sibi munus fore latronis exuvias. Addidit, quâ ratione summis precibus apud Ministros Regios nihil effecisset, ut adeò ad eum, penes quem Regia potestas esset, confugere opus haberet, à quo proinde eam gratiam sibi humiliter flagitaret.

Obstupuit utique ad eas preces Carolus, cùm non caperet, quorsum ea Viri sancti petitio spectaret? quid enim? nefa-

nefarii hominis, infami ſupplicio affecti, exuvias peteret Vir Sanctus? quo id fine? qua utilitate? quo conſilio? humiliorem eſſe eam poſtulationem, quàm ut vel ab Epiſcopo fieret, vel Pro-Regi exponeretur. Verùm cùm precationem ſuam urgeret Epiſcopus, negari nihil poterat piæ importunitati. Carolus itaque precibus annuit, miſitque, qui Latronis cadaver ad Aulam aſportarent. His è ſuis quoque nonneminem adjunxit Corbinianus; additæ etiam fuerunt ad loci Magiſtratum literæ, ne Principis juſſa exequentibus obex poneretur, & Corbiniani preces irritæ eſſe pergerent. Ventum igitur eſt bonis avibus ad patibulum, è quo Adelbertus (id Latroni nomen erat) ſpectabatur pendulus. Jámque ſcalæ admotæ erant, paratúsque currus, in quo ad Aulam deveheretur, cùm ecce! ſpirantem, viventem, imò in eo ipſo valetudinis robore, in quo ante triduum *Sanctiſſimæ Crucis ſigno* munitus à Corbiniano fuerat, conſtitutum deprehendunt: qui è furcâ ſolutus ſtatim cum iis, quos Princeps & Epiſcopus miſerant, ad aulam venit, ingentem populi frequentiam excivit ad inſolens illud ſpectaculum concurſantis. *Tunc idem Adelbertus* (ſubdit Aribo ſcriptor vitæ S. Corbiniani) *quaſi paſſer à laqueo pænarum habitum mutavit*, Benedictinum induit, *& in Sanctæ Converſationis vita ſub Magiſterio Viri Dei poſt multa temporum ſpatia finem vivendi fecit.* Vid. Carol. Meichelbeck Hiſtor. Friſing. Tom. I. pag. 6.



CAPUT VI.

Obsequia Benedictinæ Devotionis erga Sanctam Crucem.

PRobatio cultûs Sanctæ Crucis est exhibitio obsequiorum devotionis. Hæc si desint, frustra cultum jactes. Deo autem sint laudes, quòd pietatis exercitia magno suppeditent numero, quibus Majores nostri Dominicam Crucem devenerati fuerunt. Ea verò sin minùs omnia, certè quidem præcipua hoc loco in medium adducere visum est, ut non Benedictinæ modò in S. Crucem venerationis indubio sint indicio & argumento, sed fortissimo etiam incitamento, ut quæ à Majoribus nostris piè peracta fuerunt, à nobis posteris haud segniter prætermittantur. Cæterùm non sum nescius, quòd hæretici hæc hujusmodi devotionis obsequia, quæ S. Cruci à nobis impenduntur, non derideant modò, sed etiam blasphement, ac detestentur: quorum tamen impiè dicta prætermitto, quod à multis Romanæ Ecclesiæ Doctoribus solidè sint refutata; neque mihi contra Sectarios hoc loco scribere constitutum sit. Alioquin quem finem nostra habitura esset oratio, si nobis pro legitimo S. Crucis cultû, & quibus eum testamur Christianæ pietatis exercitiis contra impura hæreticorum dicteria declamandum foret? Nam in permultis nos circa Dominicæ Crucis venerationem superstitionis & idololatriæ accusare non verentur. Quos cum Paulo Apostolo lugere potiùs quàm confutare malim; qui enim à Cruce Dominica se elongant, longè etiam absunt à fontibus Salvatoris.

§. I.

§. I.

Obsequium Devotionis I.

Frequens usus signi Sanctæ Crucis.

VEnerabilis Hildebertus noster sermone de Laudibus S. Crucis docet, signum super frontem corporis, & cordis imprimendum esse, *ut foris appareat operis exhibitione, & intus resplendeat fidei veritate.* Solet verò signum S. Crucis à Benedictinis potissimùm fieri in Choro, Missæ Sacrificio, Laboratorio, Refectorio, Dormitorio, ante egressum è monasterio, in tentationibus, ad intuitum diaboli, in morbo, in horâ mortis, atque aliis locis & occasionibus, de quibus cursim agemus.

I. *IN CHORO.* Cùm divina officia celebrantur, signum Crucis persæpe fieri solet; sed quia parùm hoc est, nisi etiam devotè fiat; unde in Cœremoniali Monastico Congregationis S. Mauri (*kkkk*) *De modo & tempore formandi signum Crucis* sequentia præscribuntur. 1. Quoties in Officio divino fratres nostri se signabunt à fronte ad pectus dicendo, *In nomine Patris &c.* ponent sinistram manum digitis junctis infra pectus extensam, & dextram pariter extensam junctis etiam digitis, ita elevabunt ad caput, ut volâ manus ad signantem conversâ, digitis supremis tantùm frontem attingant, nulla ratione caput inclinantes. Ad verba, *Et Filii, &c.* demittent eandem dextram, ac iisdem supremis digitis illius tangent pectus; sinistra infra illud retenta: tum dicendo, *Et Spiritus*, ducent eandem dextram ad humerum sinistrum; tandémque reducent ad dextrum, dicendo, *Sancti.* Ultimò ad particulam, *Amen*, jungent manus, si fieri conveniat. 2. Ad versum *DEUS in adjutorium;* cùm dice-

(*kkkk*) lib. 1. cap. 2. pag. 7.

dicetur *DEUS*, oculos ad DEUM levabunt : ad particulam *In*, tangent frontem, finiſtra infrà pectus admota : ad verbum *adjutorium*, tangent pectus ; dicendo *meum* ducent manum ab humero finiſtro ad dextrum : ad Verbum *intende*, jungent manus. Celebrans verò paratus, antequam incipiat, junget manus. 3. Cùm Hebdomodarius dicet, *Domine labia mea aperies*, tum ipſe, tum alii omnes ſignabunt labia pollice dextro, reliqua manu non omnino extenſa, verùm digitis non nihil inflexis, & volâ manûs ad ſe converſa, ſiniſtrâ infra pectus ad cingulum poſitâ. 4. Ad Evangelium, quando dicitur *Initium*, vel *Sequentia ſancti Evangelii &c.* ſiniſtram tenebunt infra pectus, ſéque ſignabunt in fronte, ore, & pectore, dextri pollicis palpæ extremitate, ut ad *Domine labia*. 5. Signamus nos Horarum initio, ad verſum, *DEUS in adjutorium* (non autem cùm ad *Pretioſa*), vel ad preces, aut in Pſalmo dicitur ille verſus) Similiter ad verſum *Adjutorium noſtrum &c.* ante Confeſſionem : ad Primam, & ad Completorium, ad *Indulgentiam, abſolutionem &c.* Præterea initio Completorii ad verſum *Converte nos*, ſignamus nos pollice dextro, in pectore, interim ſiniſtra extenſa, & infra pectus admota. 6. Fiet quoque ſignum Crucis à fronte ad pectus, cùm in fine Completorii dabitur Benedictio ad verba, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Nec non quotiescunque ſolemniter Epiſcopus benedicet. 7. Lecturus matutinam meditationem in Choro, ſerotinam, & regulam in Capitulo, non incipiet legere, quin ſigno Crucis ſe munierit à fronte ad pectus; non tamen propterea dicet, *In nomine Patris &c.* nec aliud quid ſimile.

II. *IN SACRIFICIO MISSÆ.* Cùm legitur à Diacono in Miſſa Evangelium, tam ipſe, quàm Sacerdos & Conventus ſignant ſe & quidem ad hæc verba: *Initium*, vel *ſequentia Sancti Evangelii*, fronti, ori, & pectori Crucis ſignum imprimentes. Ad *ſurſum Corda* ut Sacerdos Crucem pectori imprimat

primat cum pollice dextræ manus, in Ordinario Bursfeldensi præcipitur. Quod spectat ad Cruces in Canone faciendas, observandum, hac de re consultum fuisse olim à S. Bonifacio Episcopo, Germanorum Apostolo Zachariam Papam, quot scilicet, quibúsve in locis faciendæ essent, ut videre est in epistola Zachariæ, quæ extat in ejus vita sæc. 3. Benedictin. part. 2. Apud Bursfeldenses ad *Pax Domini sit semper vobiscum* Conventus fronti, ori, & pectori pollice dextræ manûs Crucis signum imprimit. Apud eosdem Bursfeldenses jubetur, ut Sacerdos in fine Missæ Crucem pollice imprimat altari, ipsum osculando: & mox erectus dicit sub silentio *Cælesti benedictione bene ✝ dicat nos*, Crucem faciendo ante se versùs Crucifixum; deinde vertens se ad meridiem dicendo: *Omnipotens Pater*, & ad occidentem dicendo: *Et Filius* ✝ & ad septentrionem quoque dicendo: *Et Spiritus* ✝ *Sanctus*. Singulas Cruces faciat sinistrâ manû ante pectus collocata. *Vid. Edm. Marthene de Antiq. Monach. Rit.*

III. *IN LABORATORIO.* Labori manûum signum Crucis præmittebant, & auxilium divinum invocabant veteres Benedictini, dicentes tertiò *Deus in adjutorium &c. Gloria Patri &c.* & *Adjutorium nostrum.* Vid. *Concordia S. Dunstani.*

IV. *IN REFECTORIO. Hoc denique salutis nostræ præsignaculum non solùm sacris, sive sacrandis rebus imprimimus, sed etiam alimentis, sive quibuslibet etiam rebus domesticis adhibemus, ut evidenter appareat, quod & homo & quæque humano usui sunt necessaria, hujus virtute signi à jure sunt dæmonum absoluta.* S. Pet. Dam. serm. de Exalt. Cruc. Cujus rei memorabile exemplum habemus in vita S. Legislatoris Benedicti lib. 2. Dial. S. Greg. Papæ cap. 3. (Et cùm vas vitreum in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti Patri *ex more monasterii* ad benedicendum fuisset oblatum, extensâ manû Benedictus signum crucis edidit.)

Apud

Apud multos etiam veteres Benedictinos usitata erat *S. Pirminii*, ut vulgò vocant, ducta cruce *benedictio*; præcipuè apud illos, quorum Monasteria hic sanctus fundaverat. Credebant enim nihil nocivi à se contrahendum, ubi cibum & potum sumendum sic benedixerant:

Sanctificet nostram sanctus Pirminius escam
Dextera Pirminii bene ✝ dicat pocula nostra.

Nec Benedictini solùm, sed alii etiam Christiani vim adversùs venena cibo aut potioni noxia alexiacam benedictioni S. Pirminii tribuerunt. *Vid. Brower. in notis ad vit. S. Pirminii cap. 10. p. 30.*

V. *IN DORMITORIO.* Apud Bursfeldenses Exercitio primo Spirituali præscribitur, ut à somno ad Matutinas canendas expergefacti post DEI benedictionem, atque à somnolentia & torpore diligentem excussionem, nihil priùs habeant, quam ut signo sacræ Crucis se muniant. Idem facere jubentur, quando datur ipsis juxtà sacram Regulam cap. 48. à meridie facultas nonnullo tempore pausandi in lectis suis. Maximè verò quando noctû cubitum concedunt; & se in lecto collocant, ut in Domino obdormiant. Tum enim maximum ab insidiis inimici periculum est. Legitur in vitâ S. Radegundis Reginæ, & Abbatissæ Pictaviensis (*llll*) „ Postquàm Congregatio se recondebat jam ad pausationem, „ illa ut pernoctans in oratione suâ sancta dextera Monasterium per signum Crucis salvabat. Quadam vice dum Beata illud signaret, aliqua de sororibus vidit supra murum „ millia millium dœmonum in specie caprarum adstare: ubi „ sancta dexteram beatam cum signo Crucis elevavit, omnis „ illa multitudo dœmonum fugata nusquam comparuit. Non malè verò immundi illi Spiritus in petulcos satyros, hircos & capreas se transformant, cùm homines ad impura & ob-

(*llll*) Apud Mabill. sec. Ben. 1. pag. 331.

obſcœna irritare ſoleant; id verò ut cum maximè noctu faciunt; unde monet Prudentius in hymno: (mmmm)

Fac cùm vocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem locúmque cordis
Crucis figura ſignet:
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt Crucem tenebræ,
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.

S. Morandus, (nnnn) Monachus Cluniacenſis cùm quadam nocte poſt laborem ſe quieti dediſſet, in teterrimâ ſpecie diabolus affuit, & operimentum vehementiſſimè ei detrahere cœpit. Quo expergefactus vir Dei, illicò cùm monſtrum horribile vidit, vim diabolicam eſſe cognovit, ac imperterritus manû injectâ operimentum fortiſſimè retraxit. Sicque diutiùs altercantes, tandem vir Dei victoriæ ſignum intulit, quo devictus inimicus velut fumus evanuit. *Nos* igitur, inquit S. Petrus Damiani ſerm. de Invent. *S. Crucis, vexillum in corde geſtamus, & fronte, ne repentinus hoſtis irruens valeat auferre ſalutem.*

VI. *ANTE EGRESSUM E MONASTERIO*, ſe ipſi ſigno Crucis muniebant, vel eodem à Superioribus muniebantur. In Monaſterio Anianenſi erat cuidam fratri cuſtodia boum impoſita: is cùm ad officium egredi vellet, à patre benedictionem petiit juxtà Regulæ præſcriptum; cui B. Abbas Benedictus protinus ſignum Crucis dedit, dicens: *Dominus te cuſtodiat.* Ille ergo frater in diverſorium veniens latronibus occurrit, qui ſtatim eum tenuerunt: ſe verò diutiùs aſpicientes & obmuteſcentes eum dimiſerunt illœſum. *Hug. Menard, in Obſerv. ad Martyrol. Benedictin. lib. 2. p. 474.*

(mmmm) Cathemerinων. (nnnn) Ex vit. apud Bolland. d. 3. Junii p. 340. col. 2.

VII. *IN TENTATIONIBUS.* Signo S. Crucis malas cogitationes avertebant. Cùm S. P. Benedictus quadam die ad vesperam refectionem sumeret, unus è suis Monachis, cujusdam Defensoris filius, candelam tenebat ad mensam. Is natalium suorum splendore tumidus: Et quis est hic ait, cui sedenti ac manducanti assisto, ac servio candelam tenens? an is verò sum, qui ei ministrare debeam? Non latuit virum Dei superba hominis cogitatio, sed statim ad eum conversus, vehementer eum increpuit, jubens cor suum ut Cruce signaret ad abigendam insanam cogitationem. *Mabill. Annal. Ben. Tom. 1. p. 90.*

Aliud subjicio exemplum. Cùm Willelmus Abbas S. Vincentii Venerabilem Hildebertum nostrum Episcopum Cenomanensem consuleret super gravissimam carnis tentationem, quâ dœmon unum è suis Monachis, præcipuè verò orationis tempore vexabat, pius Antistes inter alia remedia præscripsit, ut Monachus *membra quoque de quibus hostis præter auditum præsumit, impressione Crucis muniret, & salis benedictionibus asspergeret.* Vid. Hildebert. epist. 23. lib. 1. p. 74.

Hoc etiam victrici signo fœminæ ad illicitos amores & amplexus provocanti fortiter restitit S. Wulstanus noster. Cùm enim matrona quædam pulcherrima, nobilis ac dives, in concupiscentiam ejus, insano amore ac illicito decepta, in tantum vexaretur, ut tentationi resistere non valeret, desiderium suum ei aperit, suspirando rogat & orat, ut cubile suum, paullulùm rigore postposito, ingredi dignaretur. Ille verò vocem funestam ulteriùs non ferens, sed sermone loquentis interrupto & facto fronti Crucis signaculo dixit: Fuge fomes lasciviæ, mortis filia, vas satanæ: alapamque mulierculæ tanto nisu impegit, quòd crepitus illisæ palmæ circumquaque auditus fuit. Sicque alter Joseph muliebrem lasciviam animo respuens, manu compescebat. *Ex vita edita à Capravio & Surio apud Bolland. d. 19. Jan. p. 246.*

VIII.

VIII. *CONTRA DOEMONIS ASPECTUM.* Legimus in vitâ B. Theoderici, Abbatis Andaginensis, quod cùm quadam nocte pro more suo vigilias anticiparet, & ante altare jaceret profusus in oratione, unus de Monachis & ipse habens propositum prævenire alios, surrexit, & ibat ad oratorium causa orationis; & ecce cùm ante fores oratorii venit, vasta mole metuendus, picea specie terribilis, ardentibus minax oculis, sulphureo fœtore intolerabilis, inter eum & ostium subito medium se opposuit dœmon, ipse ingressu arcens Monachum. Unde tu quoque hic, cum cæteros placida quies his horis foveat? dixit, aut quò vadis, aut quid quæris? Túne arcere etiam me hinc paras vigiliis & orationibus, sicut qui intro jacet Theodericus? nisi Nicolai (Sanctum Myræ Episcopum intelligebat) quem Theodericus huc in suum oratorium allexit, præsentiam vererer, jam te hoc (videbatur autem immanem quassare tridentem) usque ad mortem cæsum, quid possem ostenderem. Ad hæc Monachus non valens ferre amplius, cujus vel solummodo visus plures potuit terrere, cecidit, & quanta potuit majori voce, succurre domne Theoderice, succurre ingeminavit. At Theodericus clamore fratris actus ab oratione surrexit, & aperto ostio, lumine etiam adhibito hunc miserum vidit jacentem, inde autem nigrum Æthiopem, tanquam victo insultantem. Sed non & ipse territus signum Crucis adversùs hostem extulit, & cum signo hunc versiculum cantavit: *Per signum Crucis de inimicis nostris libra nos Deus noster.* Tunc dœmon quod in se libratum fuerat non ferens telum, evanuit pulsus & virtute Crucis & meritis Theoderici.

IX. *IN MORBO.* Leniendis doloribus ægrotantes signum Crucis adhibebant. Plus fecit S. Leo IX. extremo decumbens morbo; surrexit enim de lectulo, in quo jacebat: & perrexit ad tumulum sibi præparatum, & incumbens super illum cum lacrymis dixit: Cernite Fratres ex tantis divitiis

& honoribus, quàm parvam & vilissimam mansiunculam exspectamus: ego enim tantis usque modò repletus divitiis & dignitatibus decoratus, ex omnibus hoc solum marmor, quod videtis exspecto. Et elevans manum suam signo Sanctæ Crucis signavit: Benedictus tu inter lapides, qui non mea dignitate, sed misericordia Dei, mecum sociari dignus fuisti: me cum gaudio suscipe, & retributionis tempore præsenta me thoro resurrectionis. Credo enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne meâ videbo Deum salvatorem meum. Et hoc lacrymans dixit, & reversus est ad lectulum suum. Tanti Pontifex ille signum S. Crucis faciebat, ut nec sub sepulchrali lapide jacere voluerit, nisi qui eodem prius signo fuisset sacratus. *Ex vit. apud Mabillon. in Act. Ben. & Bolland. in Act. Sanctorum.* Moris etiam erat, ut Sacerdos super pectus infirmi fratris Crucem ex cinere & aquâ faceret, quo tempore extremæ unctionis Sacramentum illi conferebat. *Vide Ratoldum Abbatem de Ordine Unctionis infirmi apud Menardum in lib. Sacram. Greg. p. 337. 339. 345.*

X. *IN MORTE.* Adventante mortis horâ contra ejusdem horrorem signo Crucis se muniebant. Cujus rei, si longiores esse vellemus, quàm plura afferre exempla facile foret. Sed ad evitandam lectoris satietatem, uno atque altero contenti erimus. S. Majolus Abbas Cluniacensis in extremis agens frontem iteratâ Crucis impressione consignavit, tum fatigatum divinis operibus cælo spiritum exspiravit. *Nagoldus in vit. c. 4. d. 11. Maij apud Bolland. Tom. 2. Maij p. 668. col. 1.* S. Suibertus Saxonum, Frisonum, & Westphalorum Apostolus *perceptione corporis Dominici se muniens, ac Sancta Crucis vexillo se cunctosque circumstantes signans, in mortis quiete dormiens, transiit feliciter de mundo.* [Marcell. in vit. S. Suibert. apud Sur. Tom. 2.] Huic sanctissimo autem Apostolo satis non erat, se Crucis signo muniisse, nisi & illos, quos post se in mun-

mundo reliquit, ante suum è vitâ discessum eodem signâsset. Quod idem S. Ansbertus ex Monacho Fontanellensi Archiepiscopus Rotomagensis, teste Angrado Monacho in vitâ, suis præstitit.

§. II.
Devotionis Obsequium II.

Crux pro veneratione & præsidio in variis Monasterii locis erecta, & collocata.

SOlliciti Majores nostri, ut sacra CRUX cùm venerationi tum præsidio Monachis sit, non uno illam loco eisdem ob oculos constituendam existimârunt. *Ubicunque enim*, inquit S. Petrus Damiani, *signum Crucis erigitur, illic procul dubio & Christi victoria, & diaboli captivitas denotatur.*

I. *IN ECCLESIA.* Præcipuus locus, in quo crucis vexilla fulgere debent, quid ni sunt ecclesiæ, quæ sine cruce nihil forent aliud, quàm sine malo navis? Vix ullum apud veteres Benedictinos reperias cœnobium, in cujus templo non erecta staret Crux eximiæ magnitudinis. Exemplum præivit S. P. Benedictus, qui super basim illam porphyreticam, unde Apollinis simulachrum deturbârat, sanctissimum Crucis vexillum constituit. Milletio verò teste, hodieque ænea crux isti columnæ videtur imposita. Refert Leo Marsicanus in Chronico Casinensi, lib. 3. c. 22. quod tempore Abbatis Desiderii, postea Victoris III. Romani Pontificis, fulmen cœlo lapsum Novitium quendem extra chorum stantem ante ipsam majorem Crucem percutiens occiderit. In Monasterio Dunelmensi apud Benedictinos Anglos mos obtinebat, ut novitii ascetæ ad Crucem in medio ecclesiæ stantem adducerentur, tum ut Crucem Christi in humeros sibi

 tol-

tollendam esse scirent, tum ut ejus ferendæ vires ab illo, qui in eâdem pro salute humani generis suspensus fuerat, supplices efflagitarent. Quâ de re insigne exemplum Acta Sanctorum Ordinis nostri suppeditant.

II. *IN DOMO CAPITULARI.* *Convenientes ad Capitulum*, inquit S. Dunstanus Concord. cap. 1. *versâ facie ad orientem salutent crucem.* Similiter antiquus ordo conversationis monasticæ: *Veniant omnes ad capitulum, & conversi ad orientem salutent crucem;* nempe, ut ejus ignominiam & dolores æquo patiantur animo, id est, ut quando culpam erratorum suorum dicturi sunt vel pro iisdem denuntiandi, reprehendendi, & puniendi, recogitent illum, *qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Hebr. 12.

III. *PRÆ FORIBUS CELLÆ.* Exemplum nobis vita S. Attalæ Bobiensis Abbatis suppeditat. Cui cum jam in supremis vitæ præsenti hora fungeretur, cùm adhuc vigens habitus superesset, se foras cellam protrahi jubet: surgensque de stratu quo valebat conamine, sustentantibus undique fratribus foris cellulam progressus, adspiciens crucem, quam ipse in eodem loco poni præceperat, ut egrediens ingrediensque cellulam, tactu ejus suam frontem muniret, cœpit mœstas lacrimas fundere ac trophæum Crucis memorare: *Ave*, inquit, *alma Crux, quæ mundi pretium portâsti, quæ vexilla ferens æterna tu nostrorum vulnerum medicinam attulisti: tu cruore ejus illita es, qui ut genus humanum salvaret, è cœlo in hanc lacrymarum vallem descendit, qui in te primi Adæ rugam extendit dudum, geminâmque secundus Adam lavacro maculam abluit.* Adorata sic cruce in cœlos intuens, eos sibi vidit apertos, ac posterâ die lœtissimè expiravit. *Jonas in vita apud Mabill. Sec. Ben. II. pag. 126.*

IV. *A PORTA MONASTERII* longiusculè Crux defigi consueverat in signum, quousque uterque sexus admitti deberet. Nec semel factum, quód qui præstitutos, Cruce negle-

neglecta, limites prætergressi fuerunt, pœnas dederint. *Vid. Mabil. Annal. Ben. tom. 2. p. 587.* Witlafius Rex Merciorum apud Ingulphum in Historia Monasterii Croytlandiæ Ord. S. B. terminos illius quinis Crucibus circumscripsit, intra quos nefas erat, ullum, quamvis maximi sceleris reum, à ministris Regiis comprehendi; intra siquid admisisset, à monasterio puniri poterat. *Vid. Gretf. in Horto S. Cruc. cap. 7. & tom. 1. de S. Cruce l. 2. c. 24.*

V. *SUPRA PORTAS.* *Cœnobitæ*, inquit Hahrenbergius ex grege Lutheri vir eruditus, *crucem peculiari ardore supra portas templorum ac cœnobiorum conlocârunt.* In vita B. Meinwerci Episcopi Paderbornensis & Fundatoris Monasterii Abdinghoffensis in urbe Paderborna hæc legas: „ Ab omni „ autem hostilicio, & secularium exactorum negotio ipsum „ Monasterium liberum & immune esse constituit; & ad in„ nuendam futuris, & prædia ipsius transituris tam construen„ tis devotionem, quàm constructi in *Crucis* trophæo spe„ ciem & defensionem per omnia prædia & pertinentia, *Cru„ cem* sive in portis seu aliis eminentioribus locis figi præcepit. *Mabill. Sec. VI. part. 1. pag. 393.*

VI. *IN REFECTORIO.* Antiquô ritû, ut Benedictus Hæftenus observat, Monachorum refectoria orientem versûs spectabant, eóque loci Superioris mensa statuebatur, cui Crucis aut Crucifixi supereminebat imago; hinc Joannes Monachus in vitâ S. Petri Damiani cap. 19. de eodem scribit: *Hic quoque vir tulit mensam Abbatis* [Casinensis] *quæ occidentem versùs fuerat constituta, & ad orientem posuit refectorii plagam, ubi videlicet imago Crucifixi Domini fuerat in pariete per picturam expressa.* Quod confirmatur ex historia aurea Joannis ad an. 967. in quâ refertur, qnòd mortuo Eadgaro Rege ejectis de magnis Monasteriis Monachis, & Canonicis per Magnates intrusis, coacto super hoc Wintoniæ concilio [Ibi imago Crucifixi in capite refectorii Monachorum posita, humanas ex-

primens

primens voces dixit: Absit hoc, ut fiat; judicâstis bene, mutaretis non bene] Citatur à Clemente Reynero in appendice Script. 37. p. 41. refertúrque in vitâS. Dunstani num. 36. Sec. 5. Ben. Quando igitur Monachi refectorium ingrediuntur, Crucem inclinato capite salutant; quod idem post refectionem in egressû è Refectorio faciunt.

VII. *IN DOMITORIO.* Ut quiescentibus contra insidias inimici præsidio esset. Cùm aliquando Fratres Monasterii Lindisfarnensis in Anglia sub Abbate S. Cuthberto post laborem quieti se exponerent, apparebant subitò quidam cucullati ascensores caprarum: nigri, breves illis staturæ, vultus teterrimi, & barbæ prolixæ, & eorum equitatus horribilis aspectus: habebant & lanceas in manibus, quas more militantium vibrantes præferebant, & contra jacentes militiæ signa commovebant: quorum ipsi conatus primo Crucis irritabant objectu; deinde cùm ab assultibus non quiescerent, quidam pro sepe in circuitu ipsorum stramina signata, id est, Crucis vexilla, sabulo infixit, cujus cùm orbis munitionem irrumpere cuperent equitantes perterriti resiliebant, & palmam victoriæ quiescentibus relinquebant. *Ex vit. S. Bartholomæi Eremitæ Farnensis apud Bolland. in Act. SS. d. 24. Junii.*

VIII. *IN INFIRMARIA.* Ægrotantibus Crux ob oculos constitui solebat, ut ejus intuitu dolores suos lenirent. De B. Mathæo ex Cluniacensi Monacho S. R. E. Cardinali scribit Ven. Petrus Abbas Cluniac. quod sub extremam vitæ horam *conversus ad Dominicam Crucem, quæ coram erat, velut si in ipsa Salvatorem, ut olim Crucifixum conspiceret,* dixerit: *Jam ô misericors Salvator tempus est, ut quod promisisti, adimpleas, & tuo instanti Natali a vita mortali migrandi, & ad te, qui vita es æterna transmigrandi licentiam concedas.* Lib. 2. Mirac. c. 22.

IX. *SUPER MENSAM.* Cùm Monachorum quispiam humana absolvit, in multis Monasteriis & Congregationibus consuetudine receptum est, ut locum Defuncti nemo ad refectio-

fectionem per totos triginta dies occupet, sed in vicem illius sacra Crux atri coloris super mensam constituatur: tum ei non minùs, atque si Monachus assideret, fercula cum pane & haustu apponantur; quæ omnia tamen subinde in honorem S. Crucis pauperibus cedunt absumenda, ut pro demortui anima Deo supplices offerant preces.

X. *SUPER SEPULCHRA.* Collocata etiam Crux fuit super sepulchra defunctorum fratrum. Hoc Sancti complures in supremo morbo sibi fieri disertis verbis rogârunt, uti nemo nescit, nisi qui in eorundem Actis evolvendis parùm versatus est. In Congregatione Casalis Benedicti olim præscriptum erat: *Crux apponatur in pectore defuncti sepeliendi.* In Rituali Anianensi; Dominus Abbas Cruce impressa super sepulturam dicat: *Requiescat in pace.*

XI. *NEC SEPULCHRA* tantùm Crucibus insignita fuerunt, sed & loca, in quibus aliquando corpora Sanctorum cùm transferrentur, vel ad sepulchrum deferrentur, quieverunt. In epitome vitæ S. Aldhelmi nostri, cujus & Beda meminit, hæc legimus: „ Ejus obitum S. Egwinus, qui vitam ejus conscripsit, divinitùs agnovit, sicut ipse in quodam suo scripto testatur his verbis: Post duos annos Althelmus religiosus Episcopus migravit ad Dominum: quod ego per revelationem agnoscens, convocatis fratribus, excessum venerandi patris eis aperui: concitóque gradû ad locum, ubi sacrum corpus jacebat, quinquaginta ferè milliaribus ultra Meldunense Monasterium positum deveni, & ad sepulturam adduxi, honorificéque sepelivi: mandavíque, ut quibuscunque locis sacrum corpus, dum asportaretur, quiesceret, sacræ Crucis signa statuerentur: quæ quidem adhuc permanent, nec ullam vetustatis sensere injuriam, potestque ex iis unum etiamnum videri in Cœnobio. *Gretser de laud. S. Cruc. lib. 1.*

XII. *CRUX* denique sub divo erecta stabat ad pœnitentiam agendam, sed de hac peculiari §. plura. Hîc solùm

annotamus, quædam Monasteria Crucem pro Insigniis adhibuisse, uti olim Monasterium Hersfeldense, antequam in manus pervenisset Protestantium, hodiéque adhibere, uti antiquissimum & celeberrimum Monasterium Divitis Augiæ.

§. III.

Devotionis Obsequium III.

S. Crucis adoratio.

HÆc tribus per annum diebus à Majoribus nostris fieri consueverat, nempe in die Parasceves, utroque Festo Inventionis, & Exaltationis. Varii verò Ritus adorandi describuntur à V. C. *Edmundo Martene* in celebri Opere *De Antiquis Monachorum Ritibus.* Unum ex Concordia S. Dunstani propter peculiares, eásque devotissimas orationes me attulisse, nemo, ut opinor, ægrè feret.

Igitur post decantata illa verba : *Ecce Lignum Crucis:*
„ Illicò eâ nudatâ, veniat Abbas ante Crucem sanctam, ac
„ tribus vicibus se prosternat, cum omnibus fratribus dexte-
„ rioris chori, scilicet senioribus ac junioribus, & cum ma-
„ gno cordis suspirio septem pœnitentiæ psalmos cum ora-
„ tionibus S. Cruci competentibus decantando peroret.

In primâ quidem Oratione tres psalmos primos cum Oratione: *Domine JEsu Christe adoro te in Crucem ascendentem; deprecor te, ut ipsa Crux liberet me de diabolo percutiente. Domine JEsu Christe adoro te in ipsa vulneratum; deprecor te, ut ipsa vulnera remedium sint animæ meæ. Domine JEsu Christe adoro te descendentem ad inferos liberare captivos; deprecor te, ut non ibi me dimittas introire. Domine I. C. adoro te, ut in tuo adventû non intres in judicio cum me peccante; sed deprecor te, ut ante dimittas, quàm judices, qui vivis & regnas.*

In

In ſecunda duos medios cum ſequenti oratione: *Domine J. C. Glorioſiſſime conditor mundi, qui cùm ſis ſplendor gloriæ, coæternus Patri, Sanctóque Spiritui; ideò dignatus es carnem ex immaculata Virgine ſumere, & glorioſas palmas tuas in Crucis patibulo permiſiſti configere, ut clauſtra diſſipares inferni, & humanum genus liberares de morte; reſpice, & miſerere mihi miſero, oppreſſo facinorum pondere, multarúmque nequitiarum labe polluto; non me digneris derelinquere piiſſime Pater; ſed indulge, quod impiè geſſi, exaudi me proſtratum coram adoranda glorioſiſſima Cruce tua, ut merear tibi mundus aſſiſtere, & placere conſpectui tuo, qui cum Patre &c.*

A tertia ultimos duos cum oratione: *Domine omnipotens JESU Chriſte, qui tuas manus mundas propter nos in Cruce poſuiſti, & de tuo ſancto ſanguine nos redemiſti; mitte in me ſenſum, & intelligentiam, & habeam bonam perſeverantiam omnibus diebus vitæ meæ: Amen.* Et eam humiliter deoſculans ſurgat. De hinc ſiniſterioris chori omnes fratres, eadem mente devota peragant; nam ſalutata ab Abbate, vel omnibus Cruce, redeat ipſe Abbas ad ſedem ſuam, uſque dum omnis Clerus ac populus hoc idem faciat.

S. Petri noſtri Damiani, S. R. E. Cardinalis, Orationes tres die Veneris ſancto in Crucis adoratione dicendæ hîc etiam adſcribi merentur: ſed Oratio primæ Genuflexionis ſicut & ſecundæ pars deſideratur.

--- *Inflictus ad eum reſpiceret, & venenum exitiale evaderet, & optatæ ſalutis vitam adipiſceretur, ſignificans te ipſum futura longè poſt curricula pro tui ſalute plaſmatis Crucis patibulo extollendum: ut quos diabolus armis invidiæ captivaverat, tua deſiderabilis paſſio ad patriam revocaret. Concede tam mihi miſero & peccatori, quàm omnibus tuo cruore mercatis: qui hodie ſanctam paſſionem tuam ſupplices venerantur, lignumque vitæ adorant: ut diabolicas inſidias te adjuvante vincamus, & æternæ vitæ participes effici mereamur.*

In tertia Genuflexione.

DOmine JEſu Chriſte, qui nos per paſſionem Sanctæ Crucis hodierna die de diabolica ſervitute liberâſti, ut quo die hominem condideras, eodem & reformares; exaudi me miſerum, & peccatorem, coram hoc ſignaculo Sanctæ Crucis tuæ confitentem, & deprecantem; ut hujus venerabilis & vitalis ſigni tuitione munitus, & hoſtis nequiſſimi ignita tela repellere, & ab inflictis evacuari vulneribus, & ad vitam æternam valeam pervenire. Per te Domine JEſu Chriſte, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Eadem Adoratio apud Majores noſtros fiebat feſto utroque die Inventionis & exaltationis S. Crucis. Antiquus Caſſinenſium ritus in veteri Ordinario Oderiſii (*oooo*) Abbatis his verbis deſcribitur: [Poſt ſymbolum, antequam Sacerdos dicat: *Dominus vobiſcum*, unus ex ſacerdotibus pergens in ſecretarium, tollat inde Crucem cum ligno Domini; & deferat ante pectus ſuum, antecedentibus ſe Acolythis cum candelabris & incenſo; & veniens ante altare, ibi collocet crucem, & ſic Sacerdos ac Miniſtri in locum ſuum recedentes. Illi in choro, qui ante ipſam Crucem tres Clerici cantaturi ſunt verſus: *Crux beata nitet*, mox ut inceperint; Sacerdos ab altari veniens cum omnibus Miniſtris adoret Crucem; deinde omnes per ordinem; quibus finitis Sacerdos dicat: *Dominus vobiſcum:* & ſic cantetur Offertorium, & peragatur Miſſa ordine ſuo.

[In feſto Exaltationis ad Majorem Miſſam, inquiunt Caſſinenſes (*pppp*) in veteri Ordinario adoretur Crux cum ligno Domini eodem ordine, quo in Inventione ejus] Id communis Ordinis Benedictini uſus obtinuit; quamvis in modo variæ fuerint Monaſteriorum conſuetudines. Divionenſes Sancti Beni-

(*oooo*) Apud Martene l. c. lib. 4. c. 5. p. 596. (*pppp*) Apud eundem Materne lib. 4. c. 8. p. 625.

Benigni ſuum ita exprimunt [In exaltatione Sanctæ Crucis poſt tertiam, ſicut in Paraſceve ſtatim totus chorus, & pavimentum ante altare tapetibus ſternitur, antequam officium Miſſæ incipiatur, & Crux ab Armario duobus faſterlis (*qqqq*) dum Miſſa minor cantabatur, cooperta apportatur à duobus albatis, qui de poſt majus altare exeunt uſque ad gradum ante altare principale. Tunc à tenentibus diſcooperta Cruce, & ab Armario incæpta antiphona: *Ecce lignum Crucis*, omnes petunt veniam ſuper genua. Finita autem ſupradicta antiphona ſequitur alia, id eſt: *Crucem tuam*, quæ & repetitur per ſingulos verſus pſalmi: *Deus miſereatur*. Si verò hoc finito nondum omnes adoraverint, incipit Armarius antiphonam: *O Crux ſplendidior*, & *O Crux viride lignum*, atque alios Cantus de Cruce, donec ſani & infirmi omnes adoraverint. Adoratâ autem Cruce ab omnibus, quemadmodum in Paraſceve etiam infantibus, ſicut eorum ordo exigit, adorant infirmi, qui quocunque modo aut per ſe poſſunt, aut alio ſuſtentante accedere. Quo completo illi, qui tenebant Crucem, elevantes eam recedunt, eadem hora ab Armario incœpta antiphona: *ſuper omnia ligna*, quæ dum incipitur, iterum venia ab omnibus petitur. Poſt hæc ſiqui convenerint populares, defertur eis in alium locum, & adorant. Antiphona autem finita ſtatim omnia ſigna pulſantur & Miſſa incipitur] Idem habetur in antiquo Corbeienſi Ordinario, à quibus vix diſcrepat S. Udalricus Cluniac. Conſuet. lib. 1. c. 38. In Monaſterio S. Dionyſii in Franciâ hoc modo fit adoratio [Poſt Tertiam adoretur Crux ita: Tres Sacerdotes in cappis deferant clavum, & coronam, & reliquias Crucis; & deferantur duo candelabra, cum thuribulo; & cantetur antiphona: *Ecce lignum*, & ſic eant ante altare S. Trinitatis, ibíque adoretur Crux à conventû, & dum adoratur, cantetur pſalmus poſt antiphonam: *Beati immaculati* & ℣. *Crux*

Nn 3 *fide*.

(*qqqq*) *Faſterla* eſt velum vel ligamen.

fidelis inter omnes, & hymnus: *Pange lingua gloriosi*, & alii ℣. qui sequuntur, quantum opus fuerit. Post adoratam Crucem eant Sacerdotes cum reliquis in claustro & faciant benedictionem, & post cantetur magna missa.] Permanet hactenus apud nostros San-Dionysianos, & San-Germanenses hæc consuetudo, quæ ut in Germaniæ etiam Monasteriis instauretur, optandum, illis saltem, quorum Ecclesiæ à S. Crucis Reliquiis præ cæteris celebrantur, & propterea magno populi accursu frequentantur; cujusmodi sunt Augiensis, Wiblingana, Schyrensis, & Donawerdana. Posset itaque utraque die festa Inventionis & Exaltationis S. Crucis in quatuor hisce Ecclesiis, post adorationem à Religiosis factam, pro mulieribus & accurrente populo extendi in loco convenienti & apto tapetium cum cussino & velo: tum Sacrista, vel alius Sacerdos paratus stolâ rubrâ, illuc deferet Crucem, Acolytho præcedente, ibique remanebit Frater genuflexus, devotè assistens, quamdiu fiet adoratio, tum ob reverentiam Crucis, tum ut arceat populi tumultum: quod similiter observandum erit, si aliæ Cruces ponantur aliis in locis adorandæ, propter frequentiam populi. At enim meum non est, præscribere, & ordinare, quid fieri oporteat, sed Majorum duntaxat nostrorum devotionem (quæ tanta fuit, ut non tantùm in die Parasceves, sed, quod mireris, diebus etiam Inventionis & Exaltationis nec infantes, nec infirmos ab adoratione S. Crucis exemptos esse & haberi voluerint) in memoriam humiliter revocare. Quidquid verò futurum sit, monet nos interea B. Alcuinus noster L. de divin. Offic. cap. 8. ut „ quando„ cunque S. Crucem adoramus omne corpus nostrum hæreat „ terræ, & ipsum, quem adoramus, quasi pendentem in eâ „ mente cernamus, virtutémque quam accepit ex Dei filio, „ ipsam adoremus. Posternimur corpore ante Crucem, men„ te ante Deum. Veneramur Crucem, per quam redempti „ sumus, & illum deprecamur, qui redemit.

A B:

A B. Alcuini commonitione non abludunt verba S. Petri Damiani, qui ferm. de Exalt. S. Crucis „ Vexillum, inquit „ Imperatoris æterni, fratres chariſſimi, eâ devotione pro- „ ſequimur, quâ & ipſum, qui in eo triumphare dignatus „ eſt, veneramur. Quod videlicet nulli Sanctorum ex Ec- „ cleſiaſtica cognoſcitur inſtitutione collatum. Sanctos enim „ quoslibet, ſive etiam cæleſtes Virtutes oramus quidem, ſed „ non adoramus; cùm verò Crucem nos fatemur adorare „ vel colere, illi tantùm figuræ Dominici Corporis, quæ in „ Cruce facta eſt, hanc noſcimur reverentiam exhibere. In „ ſigno nempe victoriæ victorem colimus, & adorando Cru- „ cem, ipſum, qui crucifixus eſt, adoramus.

Cùm igitur dicimus, Crucem Chriſti eſſe adorandam, cultum Latriæ non abſolutum, ſed reſpectivum intelligimus prout explicant Theologi, nominatim Clariſſ. Paulus Mezger Theologiæ Salisburgenſis Tom. 4. Tract. 14. Diſput. 15. §. 2.

§. IV.
Devotionis Obſequium IV.
Meditatio de S. Cruce.

AD Meditationem de S. Cruce nos adhortatur Apoſtolus, cùm ardenter optat, ut in charitate radicati, & fundati poſſimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, altitudo, atque profundum. „ Quæ „ Crux eſt procul dubio, inquit B. noſter Petrus Damiani „ in præclara *(rrrr)* epiſtola ad Damianum Monachum, ex „ ſorore nepotem ſcripta. In hac enim cœleſti figura victo- „ riæ omnis religio Chriſtiana depingitur, in hoc vitalis „ ſigni charactere tota virtutum ſpiritualium perfectio deſi- „ gnatur.

(rrrr) Libri 6. epiſtola 21.

„ gnatur. Nam cùm in his tribus virtutibus, videlicet, „ Spe, Fide, & Charitate, omnis lex divina consistat; at- „ que ex his omnium virtutum multitudo procedat; in illa „ Crucis parte, quæ terræ defigitur, Fides, quæ religionis „ Christianæ fundamentum est, figuratur. Huic scilicet „ fundamento tota fabrica bonæ operationis innititur; & „ ut stare possit, omnis virtutum spiritualium machina su- „ stentatur. Unde & Apostolus ait: 2. Cor. 1. Nam Fide statis. Per supremum verò cornu, quod cæteris eminet, Spes intelligitur, qua noster animus ad capessenda cœlestia provocatur. Illo verò ligno, quod in medio positum, binis utrinque porrigitur brachiis, latitudo designatur geminæ Charitatis. Hoc eodem vivificæ Crucis signo quatuor principalium virtutum numerus indubitanter exprimitur: ex quibus utique tanquam seminibus omnium virtutum segetes germinantur, justitia scilicet, fortitudo, prudentia, atque temperantia. Per supremum namque cornu, quod cœlum spectat, justitia figuratur: sicut ex ipsius Redemptoris sermone colligitur, qui cùm præmisisset: *Quia Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, & de justitia & de judicio; Joan. 10.* paulò post intulit: *De justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Et vir sapiens ait: *Justitia elevat gentes, Prov. 14.*, nec dubium, quin ad cœlum. Inferior autem pars Crucis, quæ superiorem sustinet molem, fortitudinem signat, quæ videlicet gravia quælibet, & adversa æquanimiter tolerat. Dextrum verò Crucis brachium prudentiam exprimit, qua videlicet injecta maligni spiritus jacula, tanquam dextræ manus objectione propellimus; eumque fervidi spiritus telo perfossum divino muniti præsidio, fortiter prosternentes, victoriæ manubias reportamus. Per sinistrum quoque cornu temperantia non immeritò designatur. In sinistra scilicet manu minor virtus est, quàm in dextra. Per temperantiam ergo virtutis nostræ quodam-

modo

modo robur attrahimus, dum temperanter & modeſtè vivimus: dum ſæpe rigorem cenſurámque juſtitiæ quadam magiſtræ diſcretionis arte mollimus. Quid dicam, quod & lex veteris inſtrumenti in ipſo ſuæ promulgationis initio myſterium jam redolebat Crucis: dum videlicet, ſicut iſta compingitur lignis; ita nihilominus & illa digito DEI geminis exarata noſcatur in tabulis. Et quia denarius numerus per X literam, quæ ſignum Crucis repræſentat, exprimitur; lex autem per decalogum data fuiſſe non dubitatur, perſpicuum eſt; quod & lex illa, licèt occultè, ſalutiferæ Crucis in ſe ſacramenta continuit: quod poſtmodum coruſcando per mundum Evangelicæ gratiæ claritas revelavit: Unde & per Zachariam dicitur: *In die illa erit, quod ſuper frænum equi eſt, ſanctum Domino vocabitur. Zach. ult.* Frœnum equi ſanctum eſt Evangelium, quod utique carnalis deſiderii velut infrœnis equi cohibet appetitum. Super hoc ergo frœnum Crux eſt, quia quidquid per Evangelica mandata præcipitur, ad Crucem procul dubio refertur, ipſo Domino perhibente: *Qui vult*, inquit, *venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Luc. 9.* Quæ nimirum Crux ſanctum Domino jure vocatur, quia per eam mundus, qui adeo prophanatus fuerat, benedicitur. Hoc vitæ tuæ ſignum, fili chariſſime, ſicut in fronte depingis, ita nihilominus cordis tui liminibus imprime: Exod. 12. quod ultor Angelus cernens, ſine tua non tardet lœſione tranſire. Hæc philacteria præ oculis tuis ſine ceſſatione dependeant; hæc ſtigmata corpus tuum undique ſicut Apoſtolus de ſe teſtatur, inurant: *Ego*, inquit, *ſtigmata JEſu in corpore meo porto.* Frange jejuniis corpus, propriis voluntatibus abſtine, alienæ juſſionis imperio promptiſſima devotione ſubſterne, procacis linguæ petulantias modeſta ſilentii cenſura cohibeat, jocoſi ſermonis lenocinia non erumpant, illices carnalium paſſionum motus diſtrictæ

continentiæ rigor elidat: ut qui nunc Christo sponte commoreris, quanto gravior Crux ejus, in tua conversatione conspicitur, tanto tibi plenior resurrectionis ejus gloria cumuletur. „ Hæc B. Petrus Damiani in epistola ad charissimum Nepotem, quæ devotæ animæ longè uberrimam de S. Cruce meditandi materiam suppeditant. quibus quædam ex Meditationibus D. Anselmi nostri de ejusdem S. Crucis latitudine, quæ est charitas, longitudine, quæ est æternitas, sublimitate, quæ est omnipotentia, profunditate, quæ est inscrutabilis sapientia, superaddere juvat. Sic verò sanctus Doctor de Dominicâ Cruce meditatur.

„ Tuæ victoriosæ Crucis regale vexillum in nomine tuo, „ Christe, adoro. Odor enim vitæ mihi spirat in hoc. „ Hujus vivifico odore spiritum meum Domine, à peccati „ morte resuscita. Hujus virtute ab astutiis satanæ me cu„ stodi, méque conforta, ut & jugum mandatorum tuo„ rum suave mihi fiat; & onus crucis, quod post te baiu„ lare me jubes, humeris animæ meæ leve fiat atque porta„ bile. Quæ est enim fortitudo mea, ut juxtà præceptum „ tuum mundi pressuras tam multiplices animo invicto su„ stineam? Nunquid pedes mei tanquam cervorum, ut te „ velociter currentem per spinas & confraga passionum con„ sequi valeam? Sed audi quæso, vocem meam, & inclina „ super servum tuum suavem illam crucem, quæ lignum „ vitæ est his, qui apprehenderint eam, & ut spero, cur„ ram alacriter: Portabo infatigabiliter eam, quæ ab ini„ micis est, crucem post te. Illam, inquam, divinissimam „ crucem humeris meis impone, cujus latitudo est caritas, „ super omnem creaturam se extendens; cujus longitudo „ æternitas; cujus sublimitas omnipotentia; cujus profun„ ditas inscrutabilis sapientia est. Confige illi manus meas „ & pedes meos; & totam formam passionis tuæ servo

„ tuo

„ tuo (ssss) indue. Da mihi, obſecro, continere ab ope-
„ ribus carnis, quæ odiſti: & facere juſtitiam, quam dilexi-
„ ſti: & in utroque tuam quærere gloriam: & ſiniſtram
„ quidem meam clavo temperantiæ, dexteram verò clavo
„ juſtitiæ in illa ſublimi Cruce confixam arbitrabor. Da
„ menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogita-
„ tum jugiter jactare in te; & dexterum pedem meum eidem
„ ligno vitæ prudentiæ clavo affige. Da ut miniſtram ſpi-
„ ritus mei ſenſualitatem nec enervet labentis vitæ infælix
„ fœlicitas, nec conturbet perennis vitæ prœmia fœlix in-
„ fœlicitas; & ſiniſter quoque pes meus fortitudinis clavo
„ in Cruce tenebitur. Ita orabat, ita meditabatur de San-
„ cta Cruce Divus Anſelmus.

Venerabilis Hildebertus noſter, primò Cenomanenſis Epiſcopus, deinde Turonenſis Archiepiſcopus varia in ſuis Operibus de Cruce meditandi argumenta ſuppeditat. Alicubi (tttt) varias Crucis dimenſiones conſiderandas proponens: Hoc lignum, inquit, eſt Crux Chriſti, cujus latitudinem & longitudinem, profundum, & ſublimitatem imitari debemus. Latitudinem in amplitudine charitatis, ut ſicut ipſe in Cruce poſitus, pro inimicis oravit, dicens: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Ita nos quoque ipſum imitando [proximum] diligamus. Omnis enim ejus actio noſtra fuit inſtitutio. Longitudinem verò in longanimitate charitatis, ut uſque ad mortem Deum ex toto corde, & velut nos, proximos diligamus. Sublimitatem verò, ut in ſpe omnium, quæ agimus, ſola cæleſtia meditemur. Profundum verò, ut ſuper Chriſti fundamentum omne bonum noſtrum conſtituamus. Ipſe enim eſt fundamentum, quod nemo mutare poteſt, &c.

Sed quid de S. P. Benedicto, Legislatore noſtro dicam? quem librum Meditationum ſecum in Sublacenſem attulit ſpe-

Oo 2 cum,

(ssss) al. me famulum tuum. (tttt) Serm. 3. de Sanctis col. 521.

cum, nisi Crucem Christi? Certè aliud in hoc sibi à Deo præparatum habitaculum non invenitur intulisse, (uuuu) nisi æneam Crucem cum Crucifixi imagine, in quatuor angulis totidem habentem dependentia numismata: quod in superiore erat parte Salvatoris repræsentabat imaginem; ad dexteram effigies erat Beatissimæ Virginis Mariæ; ad sinistram S. Joannis Baptistæ, cui peculiariter fuit addictus: quod inferiorem occupabat locum, sanctum quendam referebat Anachoretam, scipionem manu tenentem, quæ S. Antonii, aut veteris cujusdam Patris forma fortasse fuerit. Atque hic liber [Meditationum] erat, unde profundam illam mysticæ Theologiæ hausit scientiam, abunde se doctum reputans, si cum S. Paulo nihil aliud sciret, *nisi Christum, & hunc Crucifixum. 1. Cor. 2.* Ex hoc enim libro, ut cæteri desint, omnia discuntur. Hic enim est *Liber Vitæ*, cui titulum qnidem Pilatus, sed ex Dei inspiratione inscripsit: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum.* compositus autem est ex membranis immaculati Agni, qui tollit peccata mundi, exaratus clavis ferreis, & characteribus sanguineis, impressus propè Jerusalem, in Officinâ montis Calvariæ, ad signum *tau*. Hunc librum [Meditationum] legebat quotidie hic Sanctus Tyro, ut quod postea docuit, *passionibus Christi per patientiam participaret, & regni ejus mereretur consortium. In Proleg. Reg.*

§. V.

Devotionis Obsequium V.

Orationes de S. Cruce.

ARrdentis erga S. Crucem devotionis haud dubium est indicium ardens oratio. Quis unquam enim ardenter ora-

(uuuu) Hæften. Commentario in vit. S. B. cap. 1. p. 72. col. 2.

oravit, aut orare potuit, nisi cujus pectus, intimæque animi medullæ sincerâ arserunt devotione? Ut à fonte frigido haud calida emanat aqua, ita à corde tepido & indevoto fervida oratio minimè ebullit. Quàm ardentem igitur oportuit esse S. Anselmi nostri Archiepiscopi Cantuariensis devotionem erga Dominicam Crucem, cùm tam calentissimas ad eam, déque ea fuderit preces? sic verò oravit.

„ Salve Crux Sancta, salus & vita mea. Salve Crux, quam „ adorat & desiderat exercitus Angelorum. Salve Crux, „ quam adorat & invocat omnis chorus Sanctorum. O verè „ sancta & venerabilis Crux. Ecce peccator & infelix homo, „ ante te, & in te Crucifixo manet, quamvis indignus; sed „ pro peccatis suis ita est anixus, ut ferè nesciat quid agere „ debeat. Desiderat enim te adorare; sed non audet oculos „ ad te levare. Desiderium quidem bonum habet in te; sed „ nullum meritum sentit in se, pro quo confidat de te. Ma„ neo itaque in conspectu tuo trepidus & dubius; ita ut co„ ram te stare erubescam, & à te recedere pertimescam. „ Hortatur me stare ante conspectum tuum memoria divinæ „ tuæ pietatis; sed dehortatur me conscientia miserabilis & „ inveteratæ meæ iniquitatis. Arctor quoque graviter ab „ iis duobus, & quid eligam ferè ignoro. Elegi tamen ma„ gis opportuno conspectui tuo importunè assistere, etiamsi „ debeas me occidere. Melius est enim mihi mori juxtà te, „ quàm vivere longe à te, quia nulla mors homini pejor est, „ quàm cum homo longè à te est.

„ Suppliciter ergo deprecor te, chara majestas, & magna „ charitas, qui pendes in Cruce, ut importunitatem meam „ non importunè suscipias; sed ad necessitatem meam op„ portunè & misericorditer respicias. Tu es enim spes mea, „ tu refugium meum; tu misericordia mea. Miserere igitur, „ miserere mei, & doce me quomodo adorare te debeam, „ & quomodo te diligere valeam. Quamvis peccatis meis „ exi-

„ exigentibus nescio quomodo te adorare ac diligere debeam; „ tamen hoc est meum desiderium, ut te adorem & diligam. „ Obsecro te, verè piis exaudibilis JEsu, per omnem dile„ ctionem quam habes in homine, dum pendes in ligno, ut „ hoc bonum specialiter facias cum servo tuo, ne stare in „ conspectu tuo, & ante Crucem tuam me aliquando tædeat „ aut pigeat, sed potiùs delectet & placeat. Delectet ani„ mam meam in conspectu tuo fideliter assistere, & placeat „ oculis Divinitatis tuæ misericorditer in me respicere. De„ lectet me lugere miseriam meam, & placeat omnipotentiæ „ tuæ vertere in gaudium tristitiam meam.

„ Delectet autem me recordari hoc, quod pendens in „ Cruce benedictæ Virgini matri tuæ dixisti. *Mulier ecce* „ *filius tuus.* Et nunc, quæso, benignissime Domine, dic „ mihi servo tuo: Homo, ecce Deus tuus, ecce redemptor „ tuus. Te quoque, obsecro, virgo inter omnes mulieres „ benedicta, ut dicas mihi: Homo, ecce filius meus, ecce „ Salvator tuus. Video quippe, venerabilis domina, filium „ tuum in præsepio jacentem, recognosco filium tuum in „ templo docentem; sed in nullo loco eum certius cogno„ sco, quàm in Cruce pendentem. Ibi enim ipsemet de se „ testatur dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Hic ergo, felix „ mater, & omni laude digna, hîc intercede pro me misero „ apud ipsum, qui, dum se filium tuum nominat, quodam„ modo se debitorem obligat, ut preces tuas cum amore su„ scipiat. Dic illi itaque: Fili, iste peccator clamat ad me, „ & lacrymabiliter deprecatur, ut intercedam pro eo apud „ te, quatenus remittas ei peccata sua, quæ insipienter com„ misit in te. Verùm est, Domine mi, verum est certè. Ego „ reus confiteor coram te Deus, & coram genitrice tua, quia „ ab infantia mea usque nunc veniens ante gloriosam Cru„ cem tuam, & Sanctæ Majestatis tuæ conspectum, non ut „ debui veni, supplicavi, nec adoravi. Sed tu, cui pro-

„ prium

„ prium eſt parcere & miſereri, ne reſpicias fragilitatem „ meam, & immunditiam meam peſſimam; ſed dimitte quicquid negligenter deliqui: quia tu es ſpes mea ſola & vera, „ & non habeo in alio fiduciam meam, niſi in te ſolo Deo „ vivo & vero.

„ Dat etiam mihi grandem fiduciam, ſumme redemptor „ meus, illa pia & dulcis oratio, quam pro crucifigentibus „ te apud Patrem feciſti dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Qui enim ſic exoraſti pro tuis crucifixoribus, nunquid non orabis pro tuis adoratoribus? Et „ qui in Cruce recordatus es indulgentiæ, nunquid in cælo „ oblitus es miſericordiæ? Miſerere, quæſo, Domine, miſerere mei ſervi tui; & vel tu ignoſce, vel apud Patrem intercede, ut ignoſcat. Propter hoc namque maneo coram „ te, & adoro Sanctam Crucem tuam per quam redemiſti „ mundum. Credo namque & confiteor, quia per elevationem & extenſionem corporis tui in ligno traxiſti omnes „ ad te, qui rectè diligunt te. Trahe igitur me, dulciſſime „ Domine, trahe me & deſiderium meum poſt te, ut ego „ ſentiam virtutem crucis tuæ in me.

„ Sentiam, Salvator meus, virtutem & odorem, qui „ eſt de cruce tua; ſicut ſentiebat latro ille qui dicebat: „ *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Viderat forſitan latro iſte te antea cœcos illuminantem, vel „ mortuos ſuſcitantem; & non adoraverat te. Tunc verò „ quando videt te pendere in ligno, adorat te dicens: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Hoc fecit in illum crux tua, quod non potuerunt facere miracula tua. Veriùs enim & perfectiùs cognovit iſte te in „ cruce pendentem, quàm in templo docentem, aut miracula facientem. O quanta eſt virtus crucis tuæ, quanta eſt gloria pendentis in ligno! Latro iſte ubi vidit tuum „ lignum, mox cognovit tuum regnum; & ubi te pendere

„ aſpe-

„ aspexit, ibi quod regnares intellexit. O quantus odor „ de cruce exibat, qui omnem infidelitatem ab eo repelle- „ bat. O quàm dignè vocabat te Dominum suum, qui „ veraciter sciebat se servum tuum; quia oculis suis intue- „ batur pretium, quo redimebas penitus mundum univer- „ sum.

„ Sed quid bone JESU, quid dulcissime Domine, re- „ spondisti latroni te oranti in cruce? *Hodie mecum eris in* „ *paradiso.* Et quid hoc est, ò rex desiderabilis? Tu cla- „ vis affligeris, & paradisum promittis. Tu pendes in li- „ gno, & latroni dicis: *Hodie mecum eris in paradiso.* Et „ ò desiderium animarum, ubi est paradisus, quia dicis la- „ troni. *Hodie mecum eris in paradiso!* An paradisus te- „ cum est, & ubi tu vis, paradisus est? An tu indubitan- „ ter paradisus es, quia tam confidenter promittis. *Hodie* „ *mecum eris in paradiso?* Credo Domine, credo certè, quòd „ ubi tu vis, & ubi tu es, ibi paradisus est; & esse tecum „ hoc est esse in paradiso. Quoniam venerabilis ille con- „ fessor & gloriosus Martyr tecum fuit per totum illud ho- „ die, & postea omni tempore. O quàm bonum est esse te- „ cum! O quàm beati sunt illi, qui tecum sunt! Illi verè „ sunt in paradiso, verè sunt in regnis; qui tecum sunt fi- „ de & dilectione.

„ Crux tua, Domine, paradisum promittit, & paradi- „ sum tribuit. Et ideo suppliciter adoro crucem tuam, „ adoro te in cruce, & crucem in te. Denique adoro cru- „ cem in te. Denique adoro crucem propter pendentem in „ cruce. Adoro, quem latro adorabat, & oro sicut ille „ orabat: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* „ Recognosce in me Domine, hanc orationem, sicut re- „ cognovisti eam in latrone. Suscipe hanc orationem à ser- „ vo tuo, sicut suscepisti eam à famulo tuo. Memento „ mei de regno, sicut fuisti memor illius de ligno. Dic

„ igi-

„ igitur, dic quæso, Domine, dic servo tuo, dic animæ
„ meæ: *Hodie mecum eris in paradiso*, ut ego confortatus
„ desiderabili tua promissione fideliter permaneam in tua
„ fide & dilectione, redemptor meus, mediator DEI &
„ hominum: Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & re-
„ gnas DEUS in sæcula sæculorum. Amen.

In promptû etiam sunt D. Petri nostri Damiani S. R. E. Cardinalis Orationes ad S. Crucem, quæ ejus erga eandem amorem ac devotionem abundè testantur. Usui ut tibi esse possint, illas hîc subjicio.

Oratio I.

„ DUm Crucem dilectissimi Filii tui, omnipotens Pater,
„ adoro, pateat mihi cœlum, obsecro, ut & oratio
„ mea pervenire possit ad te, & tua descendat misericor-
„ dia super me. Hæc enim hostia singularis, piissime Do-
„ mine, in odorem tibi suavitatis oblata, & tuam circa
„ nos justitiam mitigat, & tanquam pii thuris incensum
„ de thuribulo sacratissimæ passionis evaporans, humana-
„ rum mentium nares obdulcat. O inenarrabilis victima,
„ quæ & cautionem maledicti veteris abolevit, & signaculum
„ nobis æternæ benedictionis impressit. O sacrificium ve-
„ ræ placationis & laudis, quod & antiquæ transgressionis
„ inimicitias abstulit, & inter cælum & terram fœdus æter-
„ næ concordiæ reformavit. Per hoc, Domine, tuæ virtu-
„ tis insigne vexillum miseram me tui gregis oviculam de
„ cruenti leonis faucibus eripe, ut victus, atque contritus
„ à te, super me nequeat triumphare. Reduc me ad pascuæ
„ tuæ semper amœna virentia, nec abjicias servum, pro quo
„ tradere dignatus es Filium: qui tecum & cum Spiritu San-
„ cto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio II.

„ MEdiator Dei & hominum, Domine JEſu Chriſte, qui
„ veram carnem ex intemeratis B. Mariæ viſceribus ſu-
„ ſcepiſti, quíque pro ſalute noſtra ipſum agnum immacu-
„ lati tui corporis obtuliſti Deo Patri ſuper aram Crucis in
„ odorem ſuavitatis : atque ut antiquæ prævaricationis vi-
„ rus evomeret, temetipſum feciſti humano generi medici-
„ nam; abſolve me nimis infelicem & miſerum innumeris
„ peccatorum vinculis obligatum. Ecce ante ipſum, Domi-
„ ne, vivificæ Crucis tuæ me proſterno vexillum, novúm-
„ que & inauditum victoriæ tuæ ſupplex adoro triumphum.
„ Tu enim Sacerdos & hoſtia, tu redemptor & pretium.
„ Libet piiſſime Domine, tanquam ſub recenti tuæ paſſionis
„ articulo te in Crucis ſupplicio videre pendentem. Libet
„ pretioſiſſimum ſanguinem in ore meo ſuſcipere diſtillantem.
„ O beata ſcilicet hoſtia, quæ & tartarea ſepta dirumpit, &
„ cæleſtis Regni januam fidelibus aperit. O pretii noſtri
„ pondus in Crucis ſtatera libratum, quo debiti noſtri
„ chirographum antiquus exactor deplorat exciſum. Video
„ te interioribus oculis Redemptor meus, Cruci clavis affi-
„ xum. Video te novis vulneribus ſauciatum. Audio te
„ Latroni clara voce dicentem: Hodie mecum eris in para-
„ diſo. Per iſtud itaque ſalutiferæ tuæ paſſionis ac mortis
„ imploro myſterium: per hoc, inquam, redemptionis no-
„ ſtræ lacrymabiliter obſecro ſacramentum, noli me, ſicut
„ mereor, ab electorum tuorum ſocietate dividere, ſed in
„ paradiſi gloria cum ipſomet beato Latrone conſtitue. Tu
„ Domine, animam meam hujus Sanctæ Crucis impreſſione
„ conſigna tu me hujus virtute purifica. Per hanc me to-
„ tum undique juri tuo vindica, ut nulla prorſus adverſarii
„ valeat in me portio reperiri; quatenus te ad judicium ve-
„ niente, cùm hoc in cælo divinæ virtutis inſigne claruerit,

„ ego

„ ego hoc ſtigmate ſignatus inveniar, ut Crucifixo configu-
„ ratus in pœna conſors fieri merear reſurgentis in gloria.
„ Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs San-
„ cti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio III.

„ SI pietatem tuam, mitiſſime Deus, humanam menſuram
„ habere cognoſcerem, ego tam immaniſſima ſcelerum
„ mole depreſſus, funditùs deſperarem. Sed dum immolari
„ pro me tam potentem hoſtiam video, quomodò me deſpe-
„ rare debeam non attendo. Nam ſi Agnus ille paſchalis,
„ brutum ſcilicet animal, populum Iſrael à plaga mortis po-
„ tuit liberare, quantò magis illius ſacratiſſimus ſanguis, qui
„ conditor eſt Angelorum, quantaslibet animæ meæ ſordes
„ valet abluere? Tu piiſſime Domine JEſu Chriſte, velut
„ ſpecies aromatica redoles in mortario paſſionis attrita, ut
„ nobis miſeris, & peccatorum morbo languentibus fieres
„ medicina. Tu tanquam botrus ille terræ lactis & mellis
„ irriguæ calcatus es in prælo Crucis, ut nobis æternæ ſa-
„ lutis poculum propinares, & arentia corda noſtra Sancti
„ Spiritus inundatione perfunderes. Tu Domine per quin-
„ que plagas ſacratiſſimi corporis tui ſanaſti omnia vulnera,
„ quæ nobis inflicta ſunt per quinque ſenſus corporis noſtri.
„ Tu Patri victima ſuavitatis, & nobis factus es pretium re-
„ demptionis. Adoro Domine Crucem tuam: Adoro vivi-
„ ficam mortem tuam. Abluat, obſecto, ſanguis tuus ſor-
„ des animæ meæ, nec ulteriùs teneat exactor obnoxium
„ pro quo tam ſublime pretium eſt ſolutum. Sit iſte victo-
„ riæ tuæ titulus, Domine, in anima mea ſemper erectus,
„ ut nullum in poſſeſſione tua jus ſibi vindicet invaſor anti-
„ quus, ſed hoc proſpecto, præſtò diffugiat, & velut fumus
„ ad acceſſum tui ſpiritus evaneſcat: ut hæreditatem tuam,
„ quam proprio mercatus es ſanguine, per continuam digne-

 „ ris

„ ris gratiam possidere: cui sis per misericordiam tuam & „ protector invictus & inhabitator assiduus. Qui cum Deo „ Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas per omnia sæcula „ sæculorum. Amen.

Oratio IV.

„ DOmine JEsu Christe, Fili Dei vivi, gratias agimus im„ mensæ tuæ pietati, qui cùm in forma Dei esses, pro „ nobis temetipsum humiliasti, factus obediens usque ad mor„ tem, mortem autem Crucis. Deprecamur te Domine, ut „ quibus tantam contulisti gratiam, veram peccatorum tri„ buas indulgentiam. Custodi in nobis opera misericordiæ „ tuæ, ne pereant, quos redemit dextera tua. Sana languo„ res populi tui, & da gloriam nomini tuo. Rogo etiam „ te Domine piissime, ut me miserum ac fragilem à tua „ non repellas gratia: & qui hucusque longè à tua vo„ luntate vitiosus discessi, deinceps per ineffabilem miseri„ cordiam tuam emendatus, tuæ placeam feliciter majestati. „ Depelle à me, Domine, quidquid noxium, quidquid ine„ ptum, quidquid vitiosum, quidquid tuæ voluntati est con„ trarium. Concede mihi Domine, ut mala mea hîc dum „ vivo, dignè defleam, & acceptabilis sit pœnitentia mea in „ conspectu tuo. Tribue mihi veram fidem, spem firmam, „ charitatem non fictam. Sit in me fixa humilitas, sobria „ vita, vera scientia, fortitudo, prudentia, justitia, tempe„ rantia, cursus rectus, finis perfectus, Te præstante Deus „ noster: Qui cum Patre.

Oratio V.

„ DOmine JEsu Christe Nazarene, Rex Angelorum & „ Sanctorum omnium, qui eras ante sæcula in divini„ tatis essentia cum Deo Patre Unigenitus Filius: in pleni-

„ tudine

„ tudine autem temporis exinanitus, formam servilis corpo-
„ ris ex Maria Virgine accipiens, in similitudinem hominis fa-
„ ctus, & habitu inventus ut homo. Verum utique homi-
„ nem in Deo vero assumens, humiliatus, & obediens factus
„ usque ad mortem, mortem autem Crucis redemisti nos tuo
„ sanguine pretioso. Agnus immaculatus surgens à mortuis,
„ ascendens in cælum, sedes ad dexteram Dei Patris omni-
„ potentis. Quem adorant Angeli, & ego in felix peccator
„ te suppliciter adoro, confitens peccata mea, & deprecans:
„ ut sicut me participem Sacramentorum mortis & redem-
„ ptionis tuæ per Crucem fecisti, ita per virtutem hujus sa-
„ crosanctæ Crucis, omnia in me vitia & peccata extinguas,
„ & perimas: & contra omnes spirituales nequitias, & anti-
„ qui hostis insidias ejusdem sacrosanctæ Crucis virtute in-
„ vocata, victricia tela efficias: & consurgentem me tecum
„ in novitate spiritus & gloriæ, ad ea, quæ sursum sunt,
„ cum Sanctis & Electis tuis in dexteram tuam positis, per-
„ tingere concedas ipse, idémque JEsu Christe, Deus immor-
„ talis. Qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas
„ per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Oratio VI.

„ DOmine JEsu Christe, Fili Dei vivi gloriosissime condi-
„ tor mundi, qui cùm sis splendor gloriæ coæternus &
„ æqualis Patri, Sanctóque Spiritui, ideo dignatus es carnem
„ immaculatam ex Virgine sumere, & innocentes ac glorio-
„ sas tuas palmas in Crucis patibulo permisisti configi: ut
„ claustra dissipares inferni, & humanum genus liberares de
„ morte. Miserere mihi misero, Domine, oppresso gravi fa-
„ cinorum pondere, multarúmque nequitiarum sordibus in-
„ quinato. Noli me derelinquere piissime Domine, sed in-
„ dulge misericorditer, quod impiè gessi, & quæ negligenter

 „ feci.

„ feci. Exaudi me, quæso, clementissime, ac misericordissime JEsu, Deus bone, & benigne, prostratum ante adorandam gloriosissimam tuam Crucem, ut in his sanctis diebus, & semper tibi merear assistere mundus, & tuis jugiter placere conspectibus, quatenus liberatus à malis omnibus tuo sim semper adjutorio consolatus, Christe Domine, Salvator mundi: Qui vivis &c.

Oratio VII.

„ CHriste, qui pro nobis patibulum Crucis, & mortem subiisti, ut à nobis expelleres mortis potestatem, & sanguinis tui nos pretio liberares: miserere mihi humillimo servo tuo, omnium meorum mihi veniam tribue peccatorum, & me coram adoranda tua Cruce prostratum in tuis sanctis diebus, & jugiter ab omnibus malis eripe, bonísque tuis misericorditer refice: Qui cum DEO Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio VIII.

„ DEUS, qui ligno pereuntem hominem per lignum reparasti in melius, quæsumus, ut virtus hujus triumphalis ligni, morte & sanguine tuo ditati, cui tota devotione colla submittimus, & vitia in nobis universa mortificet, & contra omnia adversa nos muniat: Qui vivis & regnas cum Patre & Spiritu Sancto DEUS per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oratio IX.

„ DOmine JESU Christe, qui es, & qui eras DEUS cum Patre ante sæcula genitus, DEUS ex DEO vero, conceptus de Spiritu Sancto, & natus homo in fine

„ sæcu-

„ sæculorum de Virgine semper Maria. Qui obediens Patri
„ usque ad mortem, mortem autem Crucis, redemisti nos
„ tuo sancto, & pretioso sanguine: & destructo mortis im-
„ perio, omnibus in te credentibus cœlestis gloriæ aditum
„ reserasti. Te DEUM verum, & Dominum meum suppli-
„ citer adoro, sedentem ad dexteram DEI Patris omnipo-
„ tentis, deprecando infinitam & ineffabilem misericordiam
„ tuam: ut per virtutem hujus salutaris Signi redemptionis
„ nostræ, redimas me miserum & dignum morte peccato-
„ rem, ab omnibus criminibus, & facinoribus meis: & li-
„ bera me ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & fu-
„ turis: & mortifica in me omnia vitia spiritualium, & car-
„ nalium nequitiarum: & fac me resurgere in virtute gra-
„ tiæ & gloriæ tuæ: & quæ sursum sunt, cœlestia deside-
„ rare, & quærere, & ad æternæ beatitudinis gloriam fe-
„ liciter pervenire. Præstante tua immensa clementia, Do-
„ mine JESU Christe, DEUS & Dominus noster: Qui
„ cum DEO Patre & Spiritu Sancto in unitate Deitatis,
„ omnia creando regis, vivificas, & gubernas per immor-
„ talia secula sæculorum. Amen.

§. VI.
Devotionis Obsequium VI.
Ante S. Crucem orare.

IPsæ preces nostræ, si ante Dominicam Crucem fundantur, Deo acceptiores esse videntur. Certè, qui hoc fecerunt, eorum plures cœlestibus gratiis & beneficiis cumulavit. B. Richardus Abbas Virdunensis solebat ante Crucem orationes quotidianas dicere, quarum hæc erant omnium versuum initia: *Adoro te Christe Crucem ascendentem, & benedi-*

co

co te. Quas cùm die una multâ peroràsset instantia, surgens ab oratione, & Crucifixum cum lacrymis aspiciens, audivit vocem dicentem sibi: *Tu me in terris benedixisti, & ego benedico te:* & elevata dextera, qui erat in forma crucis, benedixit eum. *Hug. Abb. Flavin. in vit. c. 1. apud Bolland. d. 14. Junij p. 978.*

Venerabilis Oddo Monachus in monasterio Augustodunensi habebat usui, post expletionem matutinalis synaxis (ut beatus permitit Benedictus) in oratorio singularis gratia orationis remorari. Qui dum sedulè id ageret, atque cum lacrymarum imbribus, & compuncti cordis gemitibus, Creatorem universorum tam pro suis, quàm pro aliorum peccaminum solvendis nexibus exoraret, ostensum est mirum dictu & insigne miraculum. Contigit ergo una dierum, ut more solito veniens ante signum salutaris Crucis, ipsiúsque Salvatoris imaginis, quod constat decenter erectum in monasterii medio, dum expansis manibus in mentis jubilo ad cœlum oculos dirigeret, visus est à quibusdam (qui speculandi causa prosecuti illum fuerant) in sublime aeris elevatus, spatiò ferè altitudinis trium ulnarum, alacriter unius horæ spatio immobilis persistere: eadémque hora ipsa JEsu Christi Domini ac Salvatoris icona, Cruci affixa, visa est ab ipsis speculantibus contra eundem virum Dei se se humiliter inclinare. Erant autem tam ipse præfatus Abbas (Arnulphus) quàm cæteri qui ista conspexerant nimium paventes; & alta admiratione perterriti non habebant, quid dicerent. Antea nempe jacula plurimorum convitiorum atque irrisionum in eum intorserant, dicentes mussitando, quod gloria vanæ jactationis, post omnis persolutionis Fratrum obsequia, solus in oratorio remoraretur: deinceps autem fallaces existimationes & linguas omnes æmuli compescuerunt, virúmque sanctitate dignum summo cum honore & reverentia,

ut

ut decebat, poſtmodùm venerati ſunt univerſi. *Ex vita S. Hugonis Prioris Enziacenſis d. 20. April. apud Belland. p. 766.*

Oremus igitur ante S. Crucem, ut quotiescunque Crucem aſpiciamus (ſunt verba B. Rabani Mauri (*xxxx*) noſtri Archiepiſcopi Moguntini) ipſius recordemur, qui pro nobis in eâ paſſus eſt, ut eriperet nos de poteſtate tenebrarum, degluttiens quidem mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum ſubditis ſibi Angelis & poteſtatibus, & virtutibus: utque recogitemus, quod non corruptibili argento vel auro redempti ſumus de vana noſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati, & immaculati Chriſti: ut ſimus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate, ut per hæc efficiamur divinæ naturæ conſortes, fugientes ejus, qui in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.

§. VII.

Devotionis Obſequium VII.

Orare manibus in Crucis formam expanſis.

„ BElli illius cruenti, quo Redemptor noſter non ſolùm
„ mortem, ſed & ipſum mortis principem uſque ad in-
„ ferna perſecutus extinxit; Hujus ſanè belli jam tunc mini-
„ ſter erat Moyſes cum pugnaret contra Amalech. *Exod. 27.*
„ Ad quod videlicet bellum non gladios, non tela vibravit,
„ ſed virgam Dei in manu detulit, quæ procul dubio lignum
„ Crucis Dominicæ figuravit. Sed eſto, ut virgam deferat,
„ ut in ligni Sacramento confidat, & non armis, ſed ligno
„ potius armatus hoſtium cuneos debellaturum ſe eſſe non
„ ambigat, niſi tamen ſpeciem Crucis expreſſerit, niſi trium-

Qq „ phale

(*xxxx*) Tom. 1. pag. 263. col. 1.

co te. Quas cùm die una multâ peroràſſet inſtantia, ſurgens ab oratione, & Crucifixum cum lacrymis aſpiciens, audivit vocem dicentem ſibi: *Tu me in terris benedixiſti, & ego benedico te:* & elevata dextera, qui erat in forma crucis, benedixit eum. *Hug. Abb. Flavin. in vit. c. 1. apud Bolland. d. 14. Junij p. 978.*

Venerabilis Oddo Monachus in monaſterio Auguſtodunenſi habebat uſui, poſt expletionem matutinalis ſynaxis (ut beatus permitit Benedictus) in oratorio ſingularis gratia orationis remorari. Qui dum ſedulè id ageret, atque cum lacrymarum imbribus, & compuncti cordis gemitibus, Creatorem univerſorum tam pro ſuis, quàm pro aliorum peccaminum ſolvendis nexibus exoraret, oſtenſum eſt mirum dictu & inſigne miraculum. Contigit ergo una dierum, ut more ſolito veniens ante ſignum ſalutaris Crucis, ipſiúſque Salvatoris imaginis, quod conſtat decenter erectum in monaſterii medio, dum expanſis manibus in mentis jubilo ad cœlum oculos dirigeret, viſus eſt à quibusdam (qui ſpeculandi cauſa proſecuti illum fuerant) in ſublime aeris elevatus, ſpatiò ferè altitudinis trium ulnarum, alacriter unius horæ ſpatio immobilis perſiſtere: eadémque hora ipſa JEſu Chriſti Domini ac Salvatoris icona, Cruci affixa, viſa eſt ab ipſis ſpeculantibus contra eundem virum Dei ſe ſe humiliter inclinare. Erant autem tam ipſe præfatus Abbas (Arnulphus) quàm cæteri qui iſta conſpexerant nimium paventes; & alta admiratione perterriti non habebant, quid dicerent. Antea nempe jacula plurimorum convitiorum atque irriſionum in eum intorſerant, dicentes muſſitando, quod gloria vanæ jactationis, poſt omnis perſolutionis Fratrum obſequia, ſolus in oratorio remoraretur: deinceps autem fallaces exiſtimationes & linguas omnes æmuli compeſcuerunt, virúmque ſanctitate dignum ſummo cum honore & reverentia,

ut

ut decebat, poſtmodùm venerati ſunt univerſi. *Ex vita S. Hugonis Prioris Enziacenſis d. 20. April. apud Bolland. p. 766.*

Oremus igitur ante S. Crucem, ut quotiescunque Crucem aſpiciamus (ſunt verba B. Rabani Mauri (*xxxx*) noſtri Archi-epiſcopi Moguntini) ipſius recordemur, qui pro nobis in eâ paſſus eſt, ut eriperet nos de poteſtate tenebrarum, degluttiens quidem mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum ſubditis ſibi Angelis & poteſtatibus, & virtutibus: utque recogitemus, quod non corruptibili argento vel auro redempti ſumus de vana noſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati, & immaculati Chriſti: ut ſimus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate, ut per hæc efficiamur divinæ naturæ conſortes, fugientes ejus, qui in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.

§. VII.

Devotionis Obſequium VII.

Orare manibus in Crucis formam expanſis.

„ BElli illius cruenti, quo Redemptor noſter non ſolùm
„ mortem, ſed & ipſum mortis principem uſque ad in-
„ ferna perſecutus extinxit; Hujus ſanè belli jam tunc mini-
„ ſter erat Moyſes cum pugnaret contra Amalech. *Exod. 27.*
„ Ad quod videlicet bellum non gladios, non tela vibravit,
„ ſed virgam Dei in manu detulit, quæ procul dubio lignum
„ Crucis Dominicæ figuravit. Sed eſto, ut virgam deferat,
„ ut in ligni Sacramento confidat, & non armis, ſed ligno
„ potius armatus hoſtium cuneos debellaturum ſe eſſe non
„ ambigat, niſi tamen ſpeciem Crucis expreſſerit, niſi trium-

Qq „ phale

(*xxxx*) Tom. 1. pag. 283. col. 1.

„ phale vexillum in sublime levaverit, nullam certè victo-
„ riam de prostratis hostibus obtinebit. Habens itaque Moy-
„ ses virgam in manû, hoc insuper addidit, ut brachia sua
„ in modum Crucis expanderet: sícque jam factum est, ut
„ catervarum adversantium acies ligno & signo hoc pleno
„ Crucis mysterio superaret. Hoc enim sacra testatur histo-
„ ria, cùm dicit: *Dum levaret manus Moyses, vincebat Israel;*
„ *si autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Hoc planè
„ factum, fratres mei, non solùm spiritualis intelligentiæ sa-
„ cramentum, sed & virtutis nobis saluberrimum convectat
„ exemplum. Nam dum Crucem post Dominum tollimus,
„ dum corda nostra cum manibus ad Deum levamus: recto-
„ res tenebrarum protinus corruunt, & in ima prostrati fra-
„ ctis viribus eliduntur. Si verò manus remittimus, & ob-
„ liti cælestium terrena sectamur, protinus hostis victor in-
„ sequitur, & nos amissa victoria persequentium gladiis ob-
„ truncamur. In omni sanè spiritali certamine Crucis de-
„ bemus præferre vexillum, quod nimirum si viriliter agentes
„ attollimus, procul dubio victores existimus: alioquin si
„ segniter vivendo deponimus, ad primos persequentium im-
„ petus, necesse est enerviter concidamus. Unde & insignis
„ illæ militiæ spiritalis instructor ait: *Remissas manus, & dis-
soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ne
claudicans quis erret. Hebr. 12.*

Hanc B. Petri Damiani exhortationem ut insigni quodam exemplo illustremus, in medium prodeat B. Henricus Prior Ochsenhusanus in Sueviâ. (*yyyy*) Is literis sufficienter imbutus hujus mundi oblectamentis froena permisit. Sed cùm choreas duceret, Sancti Spiritûs impulsu repentè mutatus est, statimque nuncium mundo remisit, & in Ochsenhausâ præpositura [quæ tunc temporis ad Monasterium S. Blasii in Ni-

(*yyyy*) Menard. in Menol. Observ, lib. 2. p. 736. ex vita apud Canis. tom. 5. antiq. lect.

Nigra sylva adhuc pertinebat] seu prioratu militiæ monasticæ cingulum accepit, in quo sacerdotii munere perfunctus est, & ob sanctioris vitæ famam clavum ejusdem cœnobii tenuit. Prioris dignitatem adeptus fuit merito districtioris vitæ. Plerumque septem psalmos recitabat, & toto illo spatio se virgis acerbissimè cædebat. Tanta sanctimonia miraculis illustrior evasit. Nam cùm major ecclesia sui monasterii tota deflagraret, nec tantum, incendium ulla arte extinqui valeret: ipse Sanctus Henricus ingressus ecclesiam toto corpore ante altare Sancti Georgii prostratus *in modum Crucis*, ut primùm cœpit orare, cessavit incendium.

S. Luitburga, (zzzz) Monialis Benedictina, & Michelsteinii in Saxoniâ Reclusa cùm extremo morbo confictaretur, accepto sacro viatico prostravit se ante Crucem, quam fixam super fenestram habebat, & expansis in modum Crucis brachiis, capite in terram dimisso, ultimam hanc vocem emisit: *Qui Crucis patibulum prò nobis peccatoribus ascendere dignatus es, & latroni pendenti misertus fuisti, mihi miserere digneris, quia in manus tuas commendo spiritum meum.* His dictis inter psallentium & lugentium acclamationes, felicem Domino Spiritum reddidit.

§. VIII.

Devotionis Obsequium VIII.

Parvum Officium & Litanias de S. Cruce recitare.

IN Monasterio S. Galli antiquo more receptum erat, ut Monachi post Matutinas Laudes *cursum S. Crucis* quotidie persolverent. *Vid. Ekkehard. Jun. lib. de Cas. Monast. S. Galli cap. 5.* In Extractu ex abbreviaturâ exercitii spiritua-

(zzzz) Eckard rer. Franc. Tom. II. p. 342.

lis Patrum & Fratrum de Obſervantia Bursfeldenſi præſcribitur, ut cuivis horæ Canonicæ ſubjungatur hora Officii S. Crucis. Sic 1. *poſt Matutinas hora ſancta Crucis perſolutio cum oratione.* 2. *Poſt Primam à Choro inter reverenter exeundum horæ ſanctæ Crucis perſolutio.* 3. *Poſt horam regularem ſcilicet Tertiam & Sextam ante ſummam Miſſam hora ſanctæ Crucis perſolutio.* 4. *Poſt Nonam à prandio horæ de ſancta cruce in exitu de eccleſia perſolutio.* 5. *Poſt veſperas crucis perſolutio.* 6. *Ad Completorium, inter vadendum ad eccleſiam oratio, ſeu Crucis perſolutio.* Ex quibus intelligi datur, quod Congregationis Bursfeldenſis alumni Officium Parvum S. Crucis memoriæ mandare debeant, ut illud tum accedendo ad eccleſiam, tum ex eadem diſcedendo recitare valeant.

In Bohemiæ Regno ſœculo proximè præterito Regiæ Liberæ, & Exemptæ Abbatiæ Brevnovienſi, atque adeò univerſæ Congregationi temporibus præfuit longè periculoſiſſimis Benno hujus nominis Abbas 1mus ſingularis prudentiæ ac virtutis laude conſpicuus Præſul. Multùm ille *tricennali bello vexatus & annis.* Quæcunque atrocia ab inimiciſſimis hoſtibus, odio orthodoxæ religionis efferatis, atque avaritiæ facibus accenſis inferri poterant, perpeſſus eſt. Interrogatus ſubinde, quod præcipuum in tantis bellorum calamitatibus atque injuriis præſidium ſibi conſtituerit? Illud Regii Vatis reſpondit: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Virgo Deipara, & ſacra Crux, ſolatio mihi fuerunt. DEI filium è Cruce ſuſpenſum, ejus autem Matrem juxta Crucem ſtantem intuebar. Tum verò mecum cogitabam: Si oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam; ſíque DEI Matrem ab omni labe peccati immunem oportuit ſimiliter pati, & ita intrare in gloriam Filii ſui; quid? Nos hornunciones ac terræ filii, innumeris peccatis ac vitiis obſiti, nulla æquo animo pati adverſa refugiemus, aut etiam renitemur? Solatio nobis ſit, in con-

ſor-

ſortium adverſitatum atque tribulationum admitti. Si namque compatimur, & conglorificabimur. *Certa atque ſecura eſt exſpectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ paſſionis.* Ut verò in Religioſos ſuos cultum ſacræ Crucis, arboris vivificæ, magis tranſplantaret, in Capitulo, ut vocant, Provinciali ipſo Authore conſtitutum fuit, ut ſingulis Officii Canonici horis, ſingulæ ex officio ſanctæ Crucis præmitterentur: quod uti nunc continua conſuetudine, laudabiliter obſervatur, ita Bennonianæ pietatis eſt memnoſynon.

Religioſiſſimi Divitis Augiæ Patres ut cultum S. Crucis, cujus inſignem Particulam, pretioſiſſimo divini ſanguinis theſauro locupletem habent, quanto maximo poſſunt, ſtudio promoveant, libellum precatorium patrio ſermone conſcriptum in lucem emiſerunt; cui præter Officium Litaniæ de S. Cruce inſertæ ſunt. Nec eſt, ut ipſos hujus editionis pœniteat; nam, prout compertum habeo, dictæ preces à multis, maximè feria VI. devotè percuruntur. Diebus verò Dominicis & feſtivis ſacra Crux in Augienſi Eccleſia ſub Miſſa primâ publicæ exponitur venerationi, recitantur Litaniæ de SS. Sanguine vel S Cruce, Roſarium Doloroſum, ſubjiciuntur cantilenæ ejusdem argumenti; idem fit finitis Veſperis. Quando in proceſſione circumfertur, cantatur hymus: *Vexilla Regis prodeunt, &c.*

Aliud exemplum, ſed longè antiquius nobis ſuppeditat vita S. Udalrici, Epiſcopi Auguſtani, erga Dominicam Crucem longè devotiſſimi. Præter cœteras enim ſuas ad DEUM preces quotidie etiam recitavit *curſum*, ut vocant, ſeu horas de SS. *Cruce Domini.* Vid. Gretſer. de S. Cruce lib. 1. p. 226. cap. LXX. De Monachatu verò Benedictino S. Udalrici legi meretur Mabill. in Actis Sanctorum O. S. B. Sec. VI.

§. IX.

Devotionis Obſequium IX.

Pia ac devota SS. Crucis oſculatio.

CRucem Chriſti, vel ejus imaginem oſculo libare, eſt illam devenerari. Semper enim oſculum non amoris tantùm, ſed venerationis etiam indicium fuit habitum. Quemadmodum (*aaaaa*) Jacob (Geneſ. 37.) accipiens à filiis ſuis veſtem filii ſui Joſeph ſanguine conſperſam cum lacrymis eam oſculatus eſt: non quidem ipſam veſtem diligendo, aut honorando, hoc fecit, ſed per eam arbitratus eſt, ſe Joſeph oſculari, & in manibus habere. Sic & Chriſtiani Crucem Chriſti ſanguine perfuſam, vel ejus imaginem tenentes, ſuóque ore oſculantes, animo videntur ipſum Chriſtum Crucifixum complecti, & amorem obedientiámque & honorem teſtari.

S. Hathumoda, filia Lutolfi Saxoniæ Ducis, & Abbatiſſa Gandersheimenſis, cùm brevi lineæ ultimæ admovenda eſſet, cantabantur jugiter pſalmi, litaniæ, & preces dicebantur; legebatur Evangelium, neque aliquid eorum, quæ ante exitum animæ fieri debent, prætermiſſum eſt. Jámque paulatim membris omnibus præmortuis, loquela minui, & ſenſim deficere ſpiritus cœpit; cùm illa tamen *lignum ſanctæ Crucis, quod ibi habebamus, devotius deoſculans*, oculos in illud intendebat. Ita Agius presbyter & Monachus Corbejæ Saxonicæ qui coram adfuit, vitæ cap. 8. apud Harenbergium in hiſtoria Eccleſiæ Gandersheim. pag. 459.

§. X.

(*aaaaa*) Brun de Imag. lib. uno cap. 20. p. 134.

§. X.

Devotionis Obſequium X.

S. Crucis ſalutatio.

S. Benedictus Abbas Anianenſis B. Alcuinum flagitabat, ut ſibi diceret, quando Crucem videns ſe contra eam inclinabat, quæ verba labris ſilenter depromeret: Ille verò hoc, inquit: *Tuam Crucem adoramus Domine, tuam glorioſam recolimus paſſionem, miſerere noſtri, qui paſſus es pro nobis.* Ex vita apud Ducheſnium, Mabillonium, & Bollandum.

S. Anſelmus Abbas primò Beccenſis, deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis, (*bbbbb*) hiſce verbis S. Crucem ſalutabat: *Salva me Sancta Crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es & ex membrorum ejus compage tanquam margaritis ornata; quæ pretium noſtrum portare digna fuiſti, & vitam æternam nobis attuliſti. JEſu bone, præſta mihi, ut per ſignum & reparationem Sanctæ Crucis, me ab omnibus inimicorum incurſionibus liberes, & tua bonitate conſerves, peccata dimittas, veniam indulgentiæ tribuas, qui vivis &c.*

Sunt alii Benedictini, qui ante S. Crucem tranſeundo, illam hac ſtropha ex Hymno Eccleſiaſtico ſalutant:

O Crux ave ſpes unica!
Hoc & omni tempore,
Auge piis juſtitiam,
Reiſque dona veniam.

Sancta Eliſabetha Schonaugienſis Abbatiſſa in Revelationibus ſuis de ſe ipſa teſtatur: „ Die quâdam ad Completorium „ cùm ſtarem ante Crucem, ac devotiſſimè eam ſalutarem, „ oſtenſa eſt mihi in cælo Crux magna aurei fulgoris ita „ ſplen-

(*bbbbb*) Vid. ejus Opera editionis Gerberon. pag. 276.

„ ſplendida, ut etiam reverberaret oculos cordis mei, quibus „ eam intuebar. *Vit, c. 1.*

§. XI.

Devotionis Obſequium XI.

Hymni, Cantica, & Laudes S. Crucis.

IN promptû ſunt Purpurati Patris, S. Petri Damiani Hymni, & Carmina de S. Cruce. (*ccccc*)

Hymnus de S. Cruce
Ad Nocturnum.

CRUX orbis ſalus perditi
Perempti vita ſæculi
Quam victa tremunt tartara,
Cœli verentur agmina.

In te dum vita moritur,
Mortis catena ſolvitur,
Ægypti jugo liberi
Veræ ſunt lucis filii.

Te ponit judex omnium,
Cum judicatur, ſolium,
Jam tum hædos ab ovibus
Segregat in latronibus.

Tu mundi ludis principem
Dum punis impaſſibilem,
Reos offerre ſolita
Quem nunc das, aufert ſpolia

In

(*ccccc*) Opp. tom. 4. pag. 6.

In te mactatur victima
Quæ mundi purgat crimina,
Tibi talentum creditur,
Adæ quod ſolvit debitum.

Nos vitæ ſignum protege,
Quo Rex triumphat gloriæ
Per te ad Regnum provehat,
Quos ſervitute liberat.

Sit Patri laus ingenito
Sit decus Unigenito
Sit utriuſque parili
Majeſtas ſumma flamini.

Ad Laudes.

CRUX mundi benedictio,
Spes, & certa redemptio
Olim gehennæ bajula,
Nunc clara cæli janua.

In te levatur hoſtia
Ad ſe qui traxit omnia,
Quam mundi princeps impetit,
Suúmque nihil invenit.

Tuæ legis articulus
Vetus caſſat chirographum,
Antiqua perit ſervitus,
Vera libertas redditur.

Odoris tui copia
Cuncta vincit aromata,
Tui dulcedo nectaris
Replet arcana pectoris.

Per Crucem, Christe, quæsumus,
Ad vitæ transfer præmium
Quos ligni fixus stipite,
Dignatus es redimere.
Sit Patri &c. *ut supra.*

Paracterieum Carmen de Sancta Cruce.

UNica spes hominum, Crux ô venerabile signum,
Omnibus esto salus, unica spes hominum.
Bajula tu pretii, quod mundi debita solvit,
Quo meruit redimi, bajula tu pretii.
Unica spes hominum, Crux ô venerabile signum,
Omnibus esto salus, unica spes hominum,
Tartara victa tuis spolium cessere triumphis;
Lugent vexillis tartara victa tuis.
Pandis & astra piis, proprio quos stigmate signas
Das requiem fessis, pandis & astra piis.
Unica spes hominum, Crux ô venerabile signum
Omnibus esto salus, unica spes hominum.
Chirographum vetiti pepigit quod cautio ligni
Diluis & pomi chirographum vetiti.
Lux, honor, imperium, laus, gloria, doxa per ævum
Sit tibi trine Deus, lux, honor, imperium.
Unica spes hominum, Crux ô venerabile signum
Omnibus esto salus, unica spes hominum.

Inter Statuta Sancti Petri Mauritii dicti Venerabis Abbatis Cluniacensis numero LXXV. erat: „ STATUTUM est, ut „ in festo Inventionis S. Crucis, & exaltationis ejusdem, ad „ laudes matutinas cantentur versus excerpti de hymno, cu- „ jus principium est, *Pange lingua gloriosi prælium certaminis,* „ quorum primus est *Crux fidelis,* secundus, *Flecte ramos,* ter- „ tius,

tius, *sola digna tu fuisti*, cum *Gloria* sequenti, quæ est *Gloria & honor Deo.* „ Causa instituti hujus fuit, quia devo-
„ tius & elegantius visum est, in jam dictis salvatricis Cru-
„ cis solemnitatibus, laudes ipsius continentes hymnos va-
„ riari jocundè, quàm easdem iterari fastidiosè. Canebatur
„ enim priùs hymnus, cujus principium est, *Vexilla Regis pro-*
„ *deunt* ad utriusque festi utrasque laudes vespertinas, & rur-
„ sus iterabatur ad matutinas. Tantæ curæ & sollicitudini Venerabili Abbati fuit, ut nullum fastidium & satietas in canendis Sanctæ Crucis laudibus Monachis suis unquam obreperet.

A S. Anselmo, Archiepiscopo (*ddddd*) Cantuariensi sacra Crux his laudibus celebratur: „ Ave Crux Sancta, vir-
„ tus nostra. Ave Crux adoranda, laus & gloria nostra.
„ Ave Crux, consolatio omnium moerentium; salve Crux,
„ victoria, & spes nostra; salve Crux, defensio, & vita no-
„ stra. Salve Crux, redemptio & liberatio nostra. Salve
„ Crux signum salutis, atque inexpugnabilis murus contra
„ omnem virtutem inimici. Sit mihi Crux semper spes
„ Christianitatis meæ. Sit mihi Crux resurrectio mortis
„ meæ. Sit mihi Crux triumphus adversùs dœmones. Sit
„ mihi Crux mater consolationis meæ. Sit mihi Crux re-
„ quies tribulationis meæ. Sit mihi Crux baculus senectu-
„ tis meæ. Sit mihi Crux medicina ægrotationis meæ. Sit
„ mihi Crux protectio nuditatis meæ. Sit mihi Crux con-
„ solatio vitæ meæ. Sit mihi Crux in omnibus angustiis
„ meis solatium. Sit mihi Crux remedium in tribulationi-
„ bus meis. Sit mihi Crux in infirmitatibus meis medica-
„ mentum, atque contra omnia adversa tutamentum. Amen.

Nec minora sunt laudum encomia, quibus Crux Dominica à Venerabili Ruperto Abbate Tuitiensi ornatur. „ Crux,
„ inquit, (*eeeee*) inæstimabile signum est, admirabilis virtus
„ est.

(*ddddd*) Opper. edit. Gerber. pag. 276. (*eeeee*) De div. Offic. lib. 1. c. 26.

„ eſt. Crux ſpes Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum con-
„ ſolatio pauperum, ſuſtentatio inopum, ſpes deſperatorum.
„ Crux regum magnificentia, ſacerdotum gloria.... (*fffff*)
„ Crux Chriſti, janua cæli, clavis paradiſi, diaboli dejectio,
„ hominis erectio, captivitatis noſtræ ſolatium, libertatis
„ pretium. Crux exſpectatio patriarcharum, promiſſio Pro-
„ phetarum, triumphus Regum, dignitas Sanctorum. Crux
„ tyrannos increpat, potentes inclinat, afflictos ſublevat,
„ pauperes honeſtat. Crux tenebrarum excidium, lucis in-
„ fuſorium, mortis effugium, vitæ navigium, ſalutis impe-
„ rium. Quicquid Deo proficimus, quicquid acquirimus,
„ quicquid ſperamus, adorandæ Crucis eſt fructus. Per
„ Crucem Chriſtus ad ſe traxit omnia. Regnum Patris, ſce-
„ ptrum filii, ſigillum Spiritus Sancti, totius eſt teſtimonium
„ veritatis.

Venerabilis Hildebertus (*ggggg*) Carmini de Inventione S. Crucis hanc coronidem ex meris ejuſdem encomiis contextam imponit:

CRUX arbor vitæ, vitis plus ſobria vitæ
Profert virtutis fructum, portúmque ſalutis,
Crux pax, Crux portus, Crux veri luminis ortus.
Crux velut antidotum vitiis; Crux eſt bene totum.
Vim penetrare Crucis Socratem ſi fortè reducis,
Non poterit Socrates, ſed nec Maro pandere Vates.
Crux indulcavit laticem, potúmque paravit;
Crux ſilicem fregit, & aquas exire coegit:
Crux per ſerpentem Crucifixi ſigna gerentem
Læſos ſanavit, lædentes mortificavit.
Si munit poſtes, cladem propellit & hoſtes;
Si frontem tangit, lætis contraria frangit.
Crux implens legem, Regum tulit inclyta Regem:
Signa ſub Heraclio quam plurima Crux renovavit.

Et

(*fffff*) ibid. lib. 6. c. 21. (*ggggg*) Opp. col. 1260.

Et reparans ægros, defunctos vivificavit.
Crux reprimit fontem reddens fine vulnere telum.
Crux aperit templi, cum cæli cardine velum.
Crux removens umbram letalia ſigna (*) relevit. (*) delevit.
Crux gregis angelici numerum patriámque replevit.
Crux crucis opprobrium, Crux ligni crimen ademit.
Crux de peccato, Crux nos de morte redemit.
Crux aditus venit. Crux eſt medicina dolorum.
Crux via juſtitiæ. Crux eſt reparatio morum.
Crux gradus ad ſuperos. Crux ſcala parata fideli.
Crux confert meritum, Crux ſpem, Crux prœmia cæli.
Crux miſeros homines in cælica jura reduxit.
Omne bonum nobis cum ſanguine de Cruce fluxit,
Quæ præfert longum, latum, ſublime, profundum,
Effectu, formâ trahit, occupat omnia mundum;
Forma, vigor, ligna, pondus Crucis omnia digna:
Dulcia credenti, ſed amara piè recolenti.
O Crux miranda! Crux ſplendida! Crux veneranda!
Crux amplectenda! Crux corde foriſque ferenda!
Ut roſeo flore, ſacro diſtincta cruore,
Ut margarita, ſic membris es redimita,
O Crux inſignis Crucifixo, ſchemate, ſignis,
Servos conſerva, quibus es vigor atque Minerva!
Amen.

B. Rabanus Maurus S. Crucem ita ſalutaſſe legitur: *(bbbbb) O verè bona, & verè Sancta Crux Chriſti, quis te ritè totam enarrare poteſt? Aut quis condignè laudare? Quæ cæleſtium arcanorum pia es revelatrix, quæ myſteriorum Dei ſacra es conſervatrix: quæq; Sacramentorum Chriſti idonea es diſpenſatrix. In te Angeli gaudia ſua accumulata conſpiciunt. In te homines jura ſalutis ſuæ cognoſcunt. Omnibus æqua es, omnibus bona: omnibus juſta, præterita renovas, præſentia illuſtras, futura præmon-*

(*bbbbb*) lib. de laud. S. Cruc.

monstras, perdita requiris, quaesita invenis, inventa custodis, lapsa restituis, restituta gradu munis, munita in viam pacis dirigis. Tu quidem aeterni Regis es victoria, & caelestis militiae laetitia, terrigenarúmque potentia: tu peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, & meritorum augmentatio: infirmorum remedium, laborantium auxilium, & lassorum refrigerium, sanorum incolumitas, quietorum serenitas, & fortunatorum felicitas. Tu Crux aegrotas medicans, tu gaudium moestos consolans, tu sanitas dolentes laetificans, tu status credentium rectè: tu firmitas operantium benè: Tu beatitudo perseverantium ritè, sancta, pia, bona, justa, benigna, rationabilis, laudabilis, venerabilis, amabilis, fortis, suavis, mitis, sapiens, patiens potens. Quidquid ergo dignè corde de redemptione nostra potest cogitari, vel quidquid lingua ritè loqui, omnia ad laudem tuam decentissimè possunt aptari, quia quidquid in te laudatur, Crucifixo in te Regi deputatur, & quidquid Christo honoris datur, ad reverentiam summi patris refertur.

§. XII.

Devotionis Obsequium XII.

Festos S. Crucis Dies insigni religione celebrare.

SIcut *duobus lignis Crux constat*, inquit S. Petrus noster Damiani, *ita duas ejus solennitates per annalem circulum ecclesiastica traditio celebrat.* Quibus autem ritibus & ceremoniis Inventionis & Exaltationis dies festi à Majoribus nostris fuerint celebrati, ex libro consuetudinum Monasterii S. Benigni Divionensis cap. 5. de SS. Festivitatibus quomodo agantur, intelligimus: „ Presbyterium Ecclesiae, chorus quoque ban-
„ calibus & tapetibus adornatur; altare etiam majus suis
„ decoratur ornamentis, ante quod Vespertinum ac matu-
„ tinale, vel etiam Missae officium, quinque cerei accendun-
„ tur,

„ tur, retrò etiam ad cantica incepta quinque cerei ponun-
„ tur, donec ad finem Matutinorum ardentes. Porrò ad
„ Nocturnos, ad Primam quoque & Tertiam, Sextam, &
„ Nonam ante S. Altare tres tantùm accenduntur, duo
„ etiam candelabra cum cereis accensis ad Missam ardent
„ super altare; qui cantant ℟. ad Vesperas in frocis sunt,
„ Invitatorium duo in cappis dicunt. Ad majorem Missam
„ omnes cappis utuntur; Sacerdos festivis, atque auratis ve-
„ stibus induitur; thuribulum festivum circumfertur, obla-
„ tio sacri mysterii cum vino à Priore offerenda à Sacerdote
„ cappa induto exhibetur, ante initium Missæ, & post fi-
„ nem omnia signa tanguntur.

Etsi verò per totius sacri Ordinis Monasteria Festa Inventionis, atque Exaltationis Sanctæ Crucis magna religione celebrari consueverint, quivis tamen prudens secum existimare potest, id majori adhuc sollennitate factum fuisse in iis Monasteriis & templis, quæ vel in honorem S. Crucis extructa ac dedicata fuerunt, vel in quibus insignis quædam S. Crucis particula asservabatur. Cujusmodi quæ fuerint, hodieque sint, supra à nobis dictum est. Præter igitur Adorationem Sanctæ Crucis in omnibus Monasteriis fieri solitam habebatur Concio, vel sermo, Major Missa de S. Cruce decantabatur, S. Crux in processione circumgestabatur; Hymni & laudes de S. Cruce decantabantur.

De Monasterio Schyrensi supra Capite II. diximus, quod ad S. Crucem colendam [cujus insignis portio in ejusdem Ecclesia asservatur] quot annis in festo ejusdem Inventionis ex locis & diœcesibus vicinis, Frisingensi, (in quâ hic locus situs est) Augustensi, Ratisbonensi, & passim aliis multitudo ad quatuor circiter millia & ampliùs hominum conveniat quorum non pauci Sacramenta pœnitentiæ & Corporis Domini ad Indulgentias, quæ jam ab anno 1617. concessione summi Pontificis eo die plenariæ sunt, participandas obeunt.

Absol-

Abſolvuntur quoque eadem conceſſione Summi Pontificis eodem feſto & per annum à deputatis ad id Patribus Conventûs accedentes ab hæreſi &c. Et aliis gravioribus enormibus peccatis reſervatis innodati.

§. XIII.
Devotionis Obſequium XIII.
Feria VI. Dies S. Crucis, in quâ jejunium & diſciplina.

IN Umbriâ Italiæ provinciâ ſub annum Chriſti milleſimum à Lodulfo Epiſcopo Eugubino Benedictinum Eremitorium in honorem *S. Crucis* conditum fuiſſe ab Ughello Tomo I. Italiæ Sacræ memoratur. Vulgò vocatur *Eremus ſanctæ Crucis de Avellana.* Præcipuum illius ornamentum fuit B. Petrus Damiani; qui cùm præcipuâ devotione erga S. Crucem flagraret, ejus cultum ita feliciter per totam propagavit Umbriam, ut feria VI. non jam ampliùs Dies Veneris, ſed *Dies S. Crucis* paſſim appellaretur. *Hinc namque eſt*, inquit Joannes Laudunenſis ac Epiſcopus Eugubinus in vitâ B. Petri Dam. num. 31. apud Mabill. Sec. VI. part. 2. pag. 258. *Quòd dies Crucis ab innumeris fidelibus hâc totâ provinciâ ob reverentiam Dominicæ paſſionis celebratur.* Et jejunium quidem feriæ VI. ſecularibus commendavit; Monachis verò non paucis præter iſtud flagellationem eadem die perſuaſit, ut idem Joannes his teſtatur verbis: *Sed & ſextam omni tempore feriam, præter paſchales vel cæteros dies ſolemnes ſub eadem tam diſciplinæ, quàm abſtinentiæ norma ob reverentiam Crucis illis obſervandam adhibuit.* Cujus jejunii ac abſtinentiæ uſus etiam in monte Caſino, principe totius ſacri Ordinis Monaſterio, receptus fuit, eodem B. Petro Damia-

Damiani præcipuam curam ac ſtudium adhibente. Nec defuit cœleſtis viſio ac oſtentum, quô in hac feriæ VI. obſervatione introducenda non parùm confirmatus fuit. Sed ipſum Purpuratum Patrem audire præſtat: „ In ægrotan-
„ tium, inquit, cella ſenex quidam Pater erat, LEO no-
„ mine, qui jejuniis, pſalmis, & orationibus inſiſtebat at-
„ tentiùs; & licèt eſſet corporeis viribus effœtus, juvenili
„ tamen fervidi ſpiritus erat vigore robuſtus. Hic proximâ
„ noćte, quâ ſtatuenda erat hæc cenſura jejunii, vidit per
„ ſomnium, magnum in eccleſia chorum conſiſtentium fra-
„ trum; qui nempe præclaris candidis veſtibus luculenter
„ induti, dulciſona ſatis atque melliflua concentûs ſuavi-
„ tate cantabant illud ſcilicet *Alleluja*, quod dicitur *Dul-*
„ *ce lignum*, *dulces clavos*, *&c.* Videbat etiam, quòd per
„ omnes refećtorii menſas panes erant appoſiti, & ſpecie
„ nitidi, & nećtarei guſtûs ſapore melliti. Inter fratres
„ etiam undique diſcumbentes erat vir, ſi ritè teneo, valde
„ præclarus, & inſigni decore conſpicuus: qui requiſitus,
„ unde tales adveniſſent panes, quibus videlicet ſimiles ea-
„ tenus non vidiſſent. Hi ſunt, inquit, panes, quibus fi-
„ lii Iſrael manna percipientes è cœlo aliti ſunt in deſerto.
„ Hic quoque vir tulit menſam Abbatis, quæ occidentem
„ verſus fuerat conſtituta, & ad orientalem poſuit refećtorii
„ plagam: ubi videlicet imago Crucifixi Domini fuerat in
„ pariete per pićturam expreſſa. Perpende ergo myſterium,
„ & myſticæ revelationis intellige ſacramentum. Quid eſt
„ enim, quod laudes Crucis chorus ille pſallentium melo-
„ dis vocibus concrepabat, niſi quia futurnm erat, ut dum
„ in honorem Crucis ſolemne jejunium inſtituerent, quàm
„ dulces ei laudum modulos perſonarent? Hymnum quippe
„ in beatæ Crucis honore decantat, qui ea videlicet die quâ
„ Chriſtus in Cruce ſuſpenſus eſt, jejunium celebrat. Et
„ quid eſt, quod melliti videbantur panes in menſa, niſi

„ ut nimirum dulcia ſpiritus alimenta comederent, dum
„ per amaritudinem carnis dulces DEO laudum modulos
„ reſonarent? Tanto quippe dulcior guſtus exoritur in pa-
„ lato cordis, quantò major amaritudo diſtrictionis pertur-
„ bat laſciviam carnis. Quid eſt etiam, menſam Abbatis
„ ſub Crucifixi redemptoris pedibus ponere, niſi per jeju
„ nium ſextæ feriæ, quæ dies Crucis eſt, totum refecto-
„ rium ſalutiferæ Crucis ſignaculo dedicare? Et quid eſt
„ ſub Crucifixi Domini pedibus reſidere, niſi poſt ejus veſti-
„ gia tendere; & per eum, quo nos præceſſit, tramitem
„ jugiter ambulare? Hactenus ipſius B. Petri Damiani verba;
quibus Joannes Laudunenſis hæc immediatè ſubjungit.
„ Verùm ad hoc [jejunium] arctiùs commendandum, & il-
„ lud aptiſſimè contigit, ut Sanctus quidam alius frater, Pe-
„ trus nomine, dum id conſtitueretur, abeſſet: qui poſtea
„ quintâ quâdam feriâ regreſſus, eadem nocte per ſomnium
„ vidit, quod domnus Petrus illum ad prandium convoca-
„ ret, ſecúmque ipſe conviva diſcumberet Sequenti verò
„ die in Capitulum veniens, cum cæteris fratribus diſcipli-
„ nam novi ritus accepit, & ſic lætus, & alacer factus, ex-
„ ultavit in Spiritu Sancto dicens: Ecce Deo gratias, pran-
„ dium ad quod me Dominus Petrus Damiani vocaverat.
„ Nec immeritò ſanè noſtræ carnis afflictio dicitur: quo-
„ niam unde noſtrum per continentiam corpus atteritur, inde
„ Spiritus ſupernæ gratiæ pinguedine ſaginatur.

Atque hæ ſunt cæleſtes illæ viſiones & oſtenta, quibus Monachi Caſinates ad jejunii & diſciplinæ, Feria VI. die S. Crucis obſervantiam ferventius ſuccenſi fuerunt.

Non defuit tamen B. Petro Damiani adverſarius. Erat is Stephanus, ex Monacho Caſinate Cardinalis, qui hunc ſe flagellandi uſum deridendo (*iiiii*) ſugillabat, effeceràtque, ut eum abjicerent Caſinates, qui antea, Petro auctore quâlibet
Fe-

(*iiiii*) Opuſc. 43. c. 2.

Feriâ VI. corpus suum verberibus afflictabant. Stephanus verò carnem jejunio atteri haud improbabat: at turpe nimis & inhonestum censebat, *ante tot fratrum intuentium oculos membra nudare*. Non multò post idem Stephanus repentinâ morte è vivis sublatus est; quod Petrus justo Dei omnipotentis judicio accidisse putat *propter ejus verbi piaculum*. Tametsi eum eximiis virtutibus præditum fuisse, nequaquam neget, & *piæ memoriæ* virum dicat. Hinc Casinates, ut intermissam flagellandi corpus consuetudinem resumant, hortatur scripto, ad eos opusculo XLIII. quod *sanctis fratribus in Casini montis cælesti schola nuncupatum est*, incipítque in hunc modum: *Observatio sextæ feriæ, dilectissimi, cui vestra sancta devotio dedicavit & jejunii salutaris inediam, & Apostolicorum verberum disciplinam, quot hominum multitudines ad exemplum salutis attraxerit, --- testes sunt non modò Monasteria vestra, hoc est, quæ suorum gaudent imitari vestigia magistrorum; sed & multitudines urbium, atque villarum quæ se communiter ingerentes atque lætantes id ipsum plausibiliter ariripiunt institutum adeò ut plerique præ devotionis ardore concepto, nisi quantocyus hujus observantiæ suscipiant regulam, non levem se reputent propriæ salutis perferre jacturam: nullatenus ambigentes, quia dum die Crucis per corporalem alimentorum se continentiam mactant passioni Redemptoris in veritate communicant.* Hactenus Petrus: ex quibus intelligitur, inquit Mabillonius, (*kkkkk*) hunc flagellandi sui ipsius usum à Monachis ad laicos propagatum fuisse.

Sunt alia hujus ipsius Purpurati Patris præclarè dicta de Feriæ VI. in honorem S. Crucis observantia, quibus cùm fidelium animi ad eandem instaurandam excitari possint, silentio prætereunda non existimo. Igitur Epistolarum libro II. epist. XIV. sic infit: *Sexta feria vivificæ Cruci non inconvenienter adscribitur, quæ scilicet dies pendentis in Cruce Domi-*

 ni

(*kkkkk*) Annal. Ben. tom. 4. ad an. 1056. p. 560.

ni glorioso sanguine purpuratur. Quo die omnes Fratres nostri; quos utique Monasterialis ordo connectit, hoc etiam ad cumulum propriæ salutis adjiciunt, ut & se mactent in Capitulo vicaria collisione scoparum, & insuper celebrent in pane & aqua jejunium: asserentes, quia in hoc Cruci verè communicamus, in hoc procul dubio Christo commorimur, si hoc eodem die, quo ipse passus est, nos etiam carnem nostram per inediæ cruciamenta mactemus.

Addunt etiam, quia per quinque millium circiter annorum prolixa curricula, totum genus humanum ferreo diaboli fuerit jugo depressum, & hoc potissimùm die per Crucis insigne vexillum sit triumphaliter absolutum, dignum profectò est, ut hujus diei, quæ videlicet omnium ætatum nexus abrupit, caro nostra cujusdam tributi canonem solvat, per quam de captivitatis suæ compedibus absoluta tripudiat. Ajunt etiam, quia cùm in die tremendi examinis Arbiter æternus illuxerit, Angelicis undique constipatus obsequiis, cunctis etiam elementis tanta majestatis horrore permotis, præsto beata Crux ulnis advehitur Angelorum, & ante cunctorum statuitur ora mortalium non jam auro, vel margaritis ornata, sed rutilantior sole, cunctisque sideribus ex virtute divina. Tum itaque, quàm syncero corde & libera conscientia ante sublime solium flammivomi tribunalis assistit, qui servitutis suæ pensum persolvisse se vivificæ Cruci per quam de servo diaboli liber effectus est, recognoscit. His & aliis argumentationibus sancti fratres sexta feria jejunandum esse definiunt; & sic Crucifixo Domino se quoque Crucifixos ostendunt. Et quid grave, si Christianus quilibet unum animæ suæ diem per hebdomadam tribuit, ad quod agendum pro corporis incolumitate servanda diæta quoque medicinalis impellat? Hæc Petrus Damiani.



§. XIV.

§. XIV.

Devotionis Obſequium XIV.

Miſſæ ſacrificium feriâ VI. de S. Cruce.

HAbet hoc in more poſitum Romana Eccleſia, ut feriâ VI. per totius anni decurſum S. Crucis memoriam potiſſimùm recolat, atque ſi eo die alterius feſti celebritas impedimento non ſit, in ejuſdem honorem Deo Miſſæ offerat ſacrificium. Et quidem Miſſæ de ſacra Cruce mentionem facit Sanctus noſter Gregorius Magnus in Sacramentario, ubi, quæ Collectæ in eadem dicendæ, quæ præfatio recitanda ſit, præſcribit.

Bennonis hujus nominis I. Abbatis Brevnovii, quod antiquiſſimum ac princeps in Regno Bohemiæ Aſceterium eſt, præcipua laus in cultû S. Crucis habetur. Præter ea, quæ §. VIII. diximus, forſan eundem Crucis ſalutiferæ amorem vivaciùs expreſſit, cùm die ejuſdem Crucis Sanctæ cultui ſacro (Veneris aliàs appellamus) illuceſcente Venerabile Sacramentum publicæ Latriæ exponi; ſummam item eodem die Miſſam de Sancta Cruce voluit decantari, ſucceſſorum animos pietati ſuæ adeò conformans, ut ab obitu ejus non modò nuſquam interrupra, ſed piis inſuper inſtitutis aucta, Monaſterio (ſperamus) futura ſit nunquam non coætanea. Quantoperè verò Divina bonitas ſibi in hoc pio Cultore Crucis complaceret, videtur indicare voluiſſe; quandoquidem feria ſexta natum, ſextâ quoque Novitiorum amiciri habitu, eâdem Profeſſionem emittere, primam eâdem feriâ ſacerdotalem hoſtiam offerre, in Abbatem eligi, ac denique poſt regimen XXV. annorum ipſo tempore quo ſacratiſſima Euchariſtia, ut ſtatuerat ad Altare S. Crucis à Fratribus efferebatur, piè voluit in Domino Anno Domini 1646. 20. Julii

 obdor-

obdormire. Sepulchro verò, ut decebat tantum Cultorem Crucis, juxta Aram S. Crucis, illatus fuit. *Vid. Epit. Hist. Monasterii Brevnoviensis Cap. VI. pag. 77.*

In Ecclesiâ Parthenonis Gandersheimensis quô tempore Sacra Romana adhuc colebantur, Ara in honorem S. Nicolai Episcopi erecta stabat, in qua Particula *Crucis Dominicæ* publicæ venerationi exposita erat. Si quis verò Feriâ VI. Missis in dicto Altari, seu apud ipsum & Sanctam Crucem prædictam celebrandis humiliter ac devotè intererat, indulgentiis fruebatur, uti supra Cap. II. §. IX. à nobis commemoratum fuit.

Fridericus ejus nominis II. Comes de Wartenberg & Wildenstein, Monachus S. Blasii in sylvâ Hercynia, Præpositus in Klingnow, postulatus Abbas Augiensis LIII. juxtà alios LVII. Vir à Martino V. P. M. propter religionis zelum, & literarum scientiam summè commendatus, optimis Abbatibus Divitis Augiæ æquiparandus, imò post S. Pirminium alter Fundator, æternâ memoriâ dignus, multa præclarè gessit, à quibus eum Gallus Oheim in Chronico Augiensi Germanicè scripto non immeritò deprædicat. Nos ea tantùm, quæ ad cultum S. Crucis pertinent, hîc spectamus. Singulis igitur noctibus surgebat ad laudes Matutinas cum Cænobitis decantandas, nec postmodùm cubitum petebat, sed pausabat paulisper in culcitrâ usque ad Primam, tum præparabat se ad celebrandam Missam nunquam intermissam, & quidem ob venerationem erga S. Crucem in ejus Capella, in eo loco sita, quô nunc chorus exstructus visitur (pro quo ipse Fridericus 1447. 6. Octob. in festo S. Fidis V. M. lapidem fundamentalem posuit, & totam structuram ex lapidibus quadris magnis sumptibus ferè ad perfectionem deduxit) sacrum inquam, nunquam intermisit, nisi nimiis negotiis aut ægritudine oppressus; Officio summo, sextæque intererat; Nonam & Completorium recitabat in Oratorio suo; Vesperas psallebat cum

cum

cum confratribus suis &c. Confirmatus est Abbas Augiensis 1428. mortuus 1454. 31. Decemb.

§. XV.

Devotionis Obsequium XV.

Accensio luminum, seu lampadum ante S. Crucem.

NEque verò illud tantùm devotionis obsequium apud Divinum Redemptorem nostrum in pretio esse existimemus, quo sanctam ejus Crucem argento aurove includimus, & pretiosis exornamus gemmis; nec illa enim dedignatur, quæ modicis sumptibus, exiguísque constant impensis. Ut enim S. Leo Magnus (lllll) præclare docet: *Quæ per se sunt vilia, fides efficit pretiosa.* Quare & lampadum, luminúmve ante S. Crucem accensio pretiosa est in conspectû Domini, cujus oculis, ut Jeremias cap. 5. ait, fidem respiciunt. Accenduntur enim lampades vel lumina, ex fide humili, piâ, & devotâ, quà credimus, & profitemur cum S. Gregorio Nazianzeno (*mmmmm*) Crucem Dominicam esse clarissimam *columnam ignis, quæ vitæ nostræ præluceat.*

Pictavis in Parthenone Benedictino habetur, ut jam aliàs diximus, insignis particula S. Crucis, ante quam antiquissimis jam temporibus ex instituto S. Radegundis Reginæ & Fundatricis lampas accendi solebat. Quod ut fieret, Deus ipse primam, ut ita dicam, facem accendit. Insigne prodigium à Divo Gregorio Turonensi lib. 1. *de Gloria Martyrum* cap. 5. describitur, cujus verbis illud referre placet: „ Ferià sexta ante sanctum Pascha cùm in vigiliis sine „ lumine pernoctarent, circa horam tertiam noctis appa-„ ruit

(*lllll*) Serm. 6. de 40. (*mmmmm*) Orat. de hominis vilitate.

„ ruit ante altare lumen parvulum in modum ſcintillæ; „ deinde ampliatum, huc illúcque comas fulgoris ſpargens, „ cœpit gradatim in altum conſcendere, effectáque pharus „ magna, obſcuræ nocti vigilantíque plebeculæ lumen præ- „ buit ſupplicanti : illuceſcente quoque cœlo, paulatim „ deficiens, datâ terris luce, ab oculis mirantium evanuit.

„ Ego autem audiebam ſæpius, *pergit Gregorius ocula-* „ *tus teſtis*, quod etiam lychni, qui accendebantur ante „ hæc pignora, ebullientes virtute divina, in tantum „ exundarent oleum, ut vas ſuppoſitum plerumque reple- „ rent; & tamen juxtâ ſtultitiam mentis duræ nunquam „ ad hæc credenda movebar, donec brutam ſegnitiem ad „ præſens ipſa, quæ oſtenſa eſt, virtus argueret: ideóque „ quæ oculis propriis viderim, explicabo. Cauſa devotio- „ nis exſtitit, ut ſepulchrum ſancti Hilarii viſitans, hujus „ Reginæ adirem colloquia. Ingreſſúsque monaſterium, „ conſalutatâ Reginâ, coram adoranda Cruce ac ſacris Bea- „ torum proſternor pignoribus. Denique oratione facta „ ſurrexi. Erat enim ad dextram lychnus accenſus, quem „ cum ſtillis frequentibus defluere conſpexiſſem, teſtor „ Deum, quia putavi, quaſi vas eſſet effractum, quia ei erat „ concha ſuppoſita, in quam oleum defluens decidebat. „ Tunc converſus ad abbatiſſam ajo : Tantane te retinet „ mentis ignavia, ut integrum cicindilem (*lampadem vi-* „ *ream*) laborare non poſſis, in quo oleum accendatur, ni- „ ſi effractum, quo defluat, ponas? Et illa: Non eſt ita, „ domine mi, ſed virtus eſt Crucis ſanctæ, quam cernis. „ Tunc ego ad me reverſus, & ad memoriam revocans, „ quæ priùs audiveram, converſus ad lychnum, video in „ modum ollæ ferventis magnis fluctibus exundare, ac per „ oram ipſam undis intumeſcentibus ſuperfluere, &, ut „ credo, ad incredulitatem meam arguendam magis ac ma- „ gis augeri; ita ut unius horæ ſpatio plusquam unum ſex-

„ tarium

„ tarium redderet vasculum, quod quartarium non tene-
„ bat: admiratúsque silui, ac virtutem adorandæ Crucis
„ deinceps prædicavi.

Otto I. Imperator *ad restauranda luminaria, quæ Alwicus Augiensis Monasterii abbas ad honorem sanctæ Crucis fieri decrevit*, multa proedia legavit, atque donationem duobus diplomatibus confirmavit; quæ cùm supra à nobis allata fuerint, hîc repetere non vacat.

§. XVI.
Devotionis Obsequium XVI.
Benedictio S. Crucis.

BEnedictionem à S. Cruce accipere, B. Petrus Damiani & sibi, & omnibus ejusdem devotis cultoribus ardentissimis optavit votis, eam ita implorando: *Serm. in fest. Exalt. S. Cruc.*

„ *O Crux benedicta, quæ ab omnibus benediceris: Benedi-*
„ *ctio enim tua cuncta sanctificat, omniúmque benedictio rerum*
„ *in te copiosa redundat. Salva, quæso, benedic, & protege,*
„ *ò figura benedicta populum supplicem, in tuis hodie laudibus*
„ *communiter exultantem, ut qui te nostræ redemptionis fieri*
„ *voluit instrumentum, per te quoque ad suæ gloriæ nos digne-*
„ *tur transferre consortium: & quos per te de servitutis eripuit*
„ *vinculo, per te etiam juxta promissionem sanctam, constituat*
„ *hæredes in Regno. Salus illi, & gratiarum actio, laus, ho-*
„ *nor, virtus, & imperium cum Patre & Spiritu sancto per*
„ *omnia sæcula sæculorum, Amen.*

In Monasterio S. Dionysii propè Parisios singulis Dominicis & Festis præcipuis Cruce illâ, quam Carolus Imperator dono dedit, benedictio fieri consuevit. Ita enim præscribitur:

bitur : *Post Missam sonet classicum , Abbas , vel ille qui Missam cantaverit , post accipiat Crucem Caroli , & faciat Benedictionem , & sic in cæteris festivitatibus principalibus.*

In festo Resurrectionis hæc Crux , inter alias duas poni consueverat (Domnus Abbas festivis indutus vestimentis, cum septem Diaconibus , totidémque Subdiaconibus textus deferentibus , & Conversis antecedentibus cum thuribulo, & candelabris duobus , cui obviam ex capitio fratres usque ad altare S. Trinitatis cum Cruce Domni Karoli Imperatoris retro altare & candelabris cristalinis advenient , crucem Domni Karoli inter alias duas ponentes , desupérque candelabra cristallina.) l. c. pag. 451.

Ex dono ejusdem Caroli Imperatoris asservatur in Monasterio Gellonensi eximia S. Crucis portio. Hac populus , expleta Matutinali Missa , à Sacerdote benedici solebat; quæ cùm die quadam fuisset furto sublata , ingens omnium dolor, luctus , & clamor exortus est , ut supra cap. 2. §. IV. à nobis commemoratum est.

In Monasterio Divitis Augiæ singulis diebus manè ante primam Missam benedictio præsentibus sacrâ Cruce datur ; quæ benedictio finitis Vesperis repetitur.

Olim (*nnnnn*) festo die Exaltationis Sanctæ Crucis sub finem Missæ à Pontifice Crux extollebatur , ut à populo adoraretur, & Collecta hæc vel similis recitabatur : *Deus , qui Unigeniti tui Domini nostri JEsu Christi , vivificæ Crucis vexillum sanctificare voluisti &c.* Quam citat Alcuinus lib. 2. adversùs Elipantum : Item *ad elevationem Sanctæ Crucis : Deus , qui Unigeniti tui pretioso sanguine vivificæ Crucis vexillum sanctificare voluisti , &c.* Nihil à pietate erga S. Crucem alienum factura sunt illa Monasteria , in quibus insigniores salutiferi Ligni particulæ asservantur , si ritum hunc in festo

(*nnnnn*) Hugo Menard. in Not. & Observ. in lib. Sacramert. S. Greg. Papæ p. 415. col. 1.

festo Inventionis & Exaltationis vel aliis diebus, in quibus major populi ad S. Crucem adorandam accursus, instaurare satagant.

Juvat hîc adscribere *Benedictionem in Festivitate S. Crucis,* desumptam ex *Benedictionali* (ooooo) S. Gregorii M. nostri.

Benedicat vos Omnipotens Deus, qui per Unigeniti sui JEsu Christi Domini nostri passionem, & Crucis patibulum, genus redemit humanum, Amen.

Concedátque vobis, ut cum omnibus sanctis, quæ sit ejusdem Crucis longitudo latitudo sublimitas, & profundum, mente devota comprehendere possitis, Amen.

Quatenus vosmetipsos abnegando, crucémque gestando, ita in præsentis vitæ subsidio Redemptorem nostrum possitis sequi, ut ei inter choros Angelorum postobitum mereamini adscisci, Amen.

Nec silentio mihi prætermitenda videtur *Benedictio Aquæ cum Ligno Sanctæ CRUCIS contra FEBREM.* Sic verò habet:

Domine JEsu Christe fili DEI vivi, qui secundùm magnam dispensationem incarnationis tuæ in ligno crucis mori voluisti; ut per tuam mortem humanum genus à perpetua morte liberares prospice per invocationem nominis tui, ut hæc aqua à tactu ipsius sanctæ Crucis sanctificata famulo tuo N. quem ardens febris gravitas excruciat, proficiat ad corporis animæque salutem, quod ipse præstare digneris, qui cum Deo patre in unitate.

Alia.

Domine JEsu Christe, qui pro nostra redemptione per passionem tuam hoc lignum sanctæ Cru✝cis sanctificari voluisti, concede propitius, ut quicunque hanc aquam ejusdem sanctæ Cru✝cis tactu sanctificatam haustû perceperint, ab omni infirmitate mentis & corporis absolvantur: qui cum Deo patre & spiritu sancto vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Utraque hæc Benedictio deprompta est ex Codice msto Theologico CXLIX. Augustæ Vindobon. Bibl. de quo Pe-

(ooooo) Extat. apud Lambec. in Comment. de Bibl. Cæsar. lib. 2. c. 5. p. 309.

Petrus Lambec. lib. II. Comment. de Bibl. Cæſ. p. 299. fol. 225. *Manuſcripti 6.* Cùm verò hic Codex fuerit olim Bibliothecæ Monaſterii Augiæ Divitis, nullus dubitandi locus relinquitur, quin Monachis Augienſibus hæ Benedictiones ad depellendas ab ægrotantibus febres olim uſui fuerint. Et verò non abſimile hujus rei exemplum ſuprà memoravimus in Hiſtoria S. Crucis Augienſis §. 1. p. 122.

§. XVII.
Devotionis Obſequium XVII.
Peregrinatio ad S. Crucem.

QUanta vis ac multitudo Chriſtianorum prioribus ſæculis Jeroſolymam adiverit, ut ſepulchrum Chriſti viſitaret, ejúſque S. Crucem adoraret, in vulgus longè notius eſt, quàm ut à me multis declarari debeat. Nec pauci fuerunt Monachi & Abbates Benedictini, qui eodem Dominicam Crucem ac Sepulchrum venerandi deſiderio ſuccenſi, arduum hoc iter aggreſſi fuerunt. Memoratu verò digna ſunt, quæ S. Wilibaldo in hoc itinere acciderunt. *Inde venit,* legimus in ejus Hodæporico, (*ppppp*) *ad Hieruſalem, in illum locum, ubi inventa fuerat Sancta Crux Domini. Ibi nunc eſt Eccleſia in illo loco, qui dicitur Calvariæ locus &c. Et ibi ſtant tres Cruces ligneæ foris in Orientali plaga Eccleſiæ ſecus parietem, ad memoriam S. Crucis Dominicæ, & aliorum, qui cum eo Crucifixi erant.* Cùm verò Gazæ in templo S. Mathiæ eſſet, viſum amiſit, quem poſt duos menſes Jeroſolymis recepit in Eccleſia S. Crucis, condita eo loco, ubi olim Crux à beata Helena reperta fuerat. *Cúmque Baſiliam, in quâ vivificæ Crucis vexillum fuerat inventum, cæcus intraret, illico lux olim amiſ-*

(*ppppp*) Extat apud Caniſ. tom. 4. Antiq. Lect.

amissa, tetras discutiens tenebras, micuit in propatulo &c. Crux nempe sancta, quæ ei dudum spatium contulit vitæ, ipsa levamen & medela in recuperanda exstitit luce.

Quia verò multæ obstabant causæ, per quas Jerosolymitano se itineri accingere, quàm plurimis Christianorum non licebat, satis illi habuerunt, si eò concederent, ubi de S. Crucis ligno Reliquias asservari sciebant. Ex Familiæ nostræ Monasteriis præ cæteris frequentari cæperunt in Gallia Pictaviense, Caroffense, & Gellonense; in Hispania Sahagunense, seu S. Facundi, S. Turibii de Liebana, S. Petri de Arlanza; In Anglia Helnoustense, Abendoniense, Westmonasteriense; In Italia Firmanense; In Polonia Calvomontanum; In Lotharingia Busendorffense; In Belgio Gemblacense, Elnonense, Münsteriense; In Germania Augiense, Wiblinganum, Donawerdanum, & Schyrense; & quidem hoc postremum eô donatum est à summis Pontificibus privilegio, ut qui desiderio flagrans, vel voto obligatus Dominicum sepulchrum visitandi, illud verò ob infirmitatis, paupertatis, longi itineris &c. impedimentum personaliter perficere non potest, tantum mercedis, si Sacram Crucem Schyræ visitet, veneretur, & pro modulo suo donaria elargiatur, consequatur, quantum consequuturus foret, si illud Dominicum sepulchrum Jerosolymis visitaret, coleret, & aliquid ad illud elargiretur. Ita expresse habent duo diplomata Chronico Schyrensi impressa. Nec illustria miracula & prodigia per virtutem S. Crucis edita in prænominatis Monasteriis defuerunt, quæ homines variis afflictos miseriis ut eodem supplices concederent, excitare possent.



§. XVIII.

Devotionis Obsequium XVIII.

S. Crucis in supplicatione circumgestatio.

COenobitæ Fuldenses in libello supplici, quem Carolo M. Imperatori obtulerunt, inter alias preces etiam hanc numero vigesimam inseruere: *Ut Crucis gloriatio in singulis diebus Dominicis fiat ante Missam, Fratribus circa vicina quaque loca Monasteris Crucem sequentibus Hymnos & Antiphonas cantantibus, sicut apud Majores nostros usus erat, in Diebus Dominicis, & Resurrectionis Domini gloriam celebrari. Et quòd in diebus jejuniorum ab Episcopis decretis Crucem portare, & Litanias facere liceat.* Quam piissimam Fuldensium petitionem quin Carolus Imperator pro suâ etiam singulari erga Dominicam Crucem devotione ratam esse jusserit, nullatenus est dubitandum. Monachi verò Fuldenses hanc S. Crucis in processione circumgestationem *Crucis gloriationem* vocare consueverant; nec immeritò: nam Crucem ceu in triumpho circumferentes miris laudibus, hymnis, & antiphonis celebrabant, quod utique eidem summæ vertebat gloriæ.

Nec primi tamen ex Ordine nostro Fuldenses fuerunt, qui S. Crucem in supplicatione circumtulerunt. S. enim noster Gregorius M. teste Venerabili Beda in Historia Gentis Anglorum lib. 1. cap. 25. Augustinum, aliósque Benedictinos ad Angliæ conversionem misit, qui ad Edilbertum Regem Cantiorum delati Crucem pro vexillo prætulerunt, unà cum imagine Christi Salvatoris in tabulâ depictâ. Ut verò regiæ civitati appropinquârunt, has consonâ voce preces modulati fuerunt. *Deprecamur te Domine in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus, & ira tua à civitate ista, & de domo sancta tua, quoniam peccavimus, halleluja.*

S. Bo-

S. Bonitus noster Episcopus Arvernensis Cruce propriis manibus in supplicatione prælata pluviam cælitùs impetravit. *Vid ejus vitam apud Mabill. Sec. III. part. I. Actor. Ord. S. B. pag. 91.*

Gerardus Abbas Ordinis nostri Crucem prætulit in memorabili illo prælio, quo Christiani, ut Balduinum Regem ex hostium manibus eriperent, cum Saracenis conflixerant. Victoriam describit Eckardus Abbas Uragiensis in Chronico ad an. MCI. *Referebat mihi venerabilis Abbas Gerardus, qui tunc Crucem Dominicam semper lateri Regis contiguus præferebat; nunquam se tantam nivis vel pluviæ, quantam tunc telorum contra Regem volare densitatem vidisse: At post ligni pretiosi intuitum, nullum ex hostibus telis se vel armis, sed universos fugæ se præsidio commisisse.*

De S. Cunegunde Imperatrice, ac postea Moniali Benedictina in ejus vita legitur, quòd in Monasterio diebus Dominicis *Crucem sequi* solita fuerit, id est, processionem comitata fuerit, quam Crux antecedit.

§. XIX.

Devotionis Obsequium XIX.

Ex collo S. Crucis particulam, vel aliam gestare Crucem.

VEtus est apud Benedictinos consuetudo, ut si quas S. Crucis particulas haberent, eas aliis crucibus inclusas collo appenderent; si verò nulla Dominicæ Crucis fragmenta possiderent, alias Cruces, in quibus Sanctorum Reliquiæ continerentur, è collo suspensas deferrent: denique si sacris etiam non gauderent Reliquiis, simplices Cruces, Sanctæ Cru-

Crucis imagines ſecum devotè geſtarent. Certè S. Gregorius M. Ordinis Benedictini, ut ab Urbano VIII. vocatur, *antiquum decus* phylacteria ſacris referta reliquiis ad collum ſuſpenſadeferebat, uti narrat Joannes Diac. lib. 4. c. 8. Phylacteria autem illa Crucem interpretatur ipſe Gregorius lib. 12. ep 7. ad Theodelindam. Sed devotioni Gregorii erga S. Crucem ſatis non erat, ut ipſe Ctucem deferret, etiam ab aliis hanc geſtari volebat. Hinc Recaredum, Regem Viſigothorum in Hiſpaniâ, Cruce donavit, in quâ, præter alias reliquias, particula de Sanctiſſimo Crucis ligno continebatur. Epiſt. lib. IX. ep. CXXII. *Crucem quoque*, inquit *Pontifex, dedi latori præſentium vobis offerendam, in quâ lignum Dominicæ Crucis ineſt, & capilli B. Joannis Baptiſtæ, ex quâ ſemper ſolatium noſtri Salvatoris per interceſſionem præcurſoris ejus habeatis.* Idem Pontifex Dynamio patricio *Crucem parvulam*, in quâ de catenis beati Petri, & de S. Laurentii craticulâ aliquid inſertum erat, dono transmiſit, ut *eâ*, inquit lib. 2 epiſt. 3. *veſtra colla à peccatis ſolvantur.* Idem Chriſti Vicarius ad Adulowaldum miſit *Crucem cum ligno S. Crucis Domini, & lectionem S. Evangelii thecâ Perſicâ incluſam.*

B. Richardo (*qqqqq*) Abbati Virdunenſi, iter in Palæſtinam facienti, Patriarcha Conſtantinopolitanus, an Hieroſolymitanus? duas portiunculas Crucis Dominicæ dono dedit, quas Richardus in auro cælari in modum Crucis curavit, quam collo appendit tanquam clypeum adversùs dœmones tutiſſimum. Cùm ſubinde verò in baptiſmatis Chriſti memoriam in Jordane lavaretur, Crux memorata, quæ de collo ejus pendebat, eo ignorante, in fluvium delapſa eſt. Lotus è fluvio egreſſus eſt: cùm longiùs abeſſet, crucis recordatus, & non inventa, ad fluvium rediit, & ſtans in ripa huc & illuc reſpiciens lacrymis obortis Crucem vidit per transverſum amnem ad ſe natantem, quam receptam Deo gratias agens collo appendit. Reſe-

(*qqqqq*) Menard. in Menol. Ben. pag. 256.

Referunt Annales Benedictini tom. 2. p. 348. ad ann. 800. de Monacho Novæcellæ, qui in stagnum ingressus, quoniam secum habebat Crucem, in quo lignum Dominicum erat, ex imminenti n ufragio ereptus est. Noctu verò quiescens vidit miri candoris virum, qui ita eum affatus est : *Nisi*, inquit, *lignum Dei mei tecum attulisses, nequaquam abhinc quo velles tempore exires. In vit. B. Benedicti Abb. Anian. Sec. 4. part. 1. p. 206.*

§. XX.

Devotionis Obsequium XX.

Ad Crucem stare & pœnitere.

ERecta etiam sub divo in Monasteriis stabat Crux, ad quam Monachi & Moniales ad expiandas culpas, maximè violati silentii pœnitebant. Extant hujus rei duo præclara exempla, primum in vitâ S. Lamberti Trajectensis Episcopi, alterum in vitâ S. Austreberthæ Abbatissæ Pauliacensis. Utrumque memoratu dignum est. Dum vir venerabilis inquit Godeschalcus, qui vitam D. Lamberti ab authore coætaneo scriptam politiore stylo reddidit, dum vir venerabilis Lambertus Episcopus in præfato [*Stabulensi*] Monasterio moraretur, consueto more in medio noctis expergiscens, contigit, ut solus ad orationem devoto pectore pergeret. Quo porrigente manum, arripientéque sandalia alterum eorum de manû in pavimentum cecidit, & usque ad auditum, sonum effecit. Hoc audiens pater Monasterii [*utrùm S. Sigolinus, an S. Goduinus is fuerit, incertum manet*] sed nesciens quis hoc egisset, ait. Quisquis istum sonum fecit, ambulet ad Crucem. Igitur sanctus vir religiosus illicò obedientiam sine morâ sequutus, nudis plantis, pedibusque discalceatis, &

aſpero cilicio indutus clàm de lecto exiliens feſtinus uſque ad Crucem cucurit. In illo autem tempore, brumalis circulus nimio frigore & glaciali nive algeſcebat. At ibi Dei famulus, immobilis perſiſtens, & erectis manibus inflexibilia brachia extendens, & Pſalmorum cantus efficaciter exercens nimia aeris tempeſtate conſtrictus, uti invictus miles in magno labore perſiſtens morabatur. Interea nix uſque talos ipſius pervenit. Dominus autem, qui cuncta gubernat, & omnia, antequàm fiant, prævidet & ſcit, ſervi ſui non immemor, miſertus eſt. Nam dum in quadrageſimo-primo Pſalmo hunc verſiculum cantaret, id eſt, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? hoc per Dei clementiam contigit, ut in illa nocte gallorum cantus citiùs, quàm in ſingulis quibusque noctibus ſolebat, audiretur. Et nec mora, fratres Monaſterii, pulſato ſigno, ingredientes ad vigilias, & officio peracto, feſtinanter de templo exeuntes, ac nimio frigore compulſi, frigentia corpora calefacere cupientes, domum introgreſſi ſunt. Interim athleta Dei fortiùs certando, & in orationibus aſſiduis laborans juxtà Domini Crucem fixus perſtabat. Tunc pater Monaſterii requirens inquit, Anne omnes fratres noſtros habemus? At unus è fratribus reſpondens dixit ei. Ego te hac nocte de alio ſonum facientè judicantem audivi, ut de eo, quod incautè egit, juxtà Crucem pœniteret, ſed prorſus quis eſſet, ignoro. Adhuc illo loquente alter intravit, dicens: Verè Dominus Lambertus hac nocte longo temporis ſpatio juxtà Crucem diſcalceatus perſeverat. At ipſe Abbas contremiſcens, converſus ad fratres dixit: Velociter ite, & pedibus ejus corpora veſtra proſternentes, ut ad nos veniat, humiliter poſtulate. At illi mox currentes, juxtà Crucem ſtantem invenerunt. Ipſe verò Dominus Apoſtolicus capite & humeris & toto corpore, nive contectus, reſpondens, talia verba promebat. Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit, & reliqua. Illi

verò,

verò, qui missi fuerant, postulantes dixerunt: O amice! quasi legati pacis ad te missi sumus; Pater enim noster communis obsecrat, & omnes fratres deprecantur, ut ad illos quantocyus pergas. At ille obedienter & humiliter precibus eorum consensit. Et postquàm comitatù eorum in domum illam, in quâ fratres erant, intravit, statim Pater Monasterii, simul cum Monachorum agmine ad pedes Pontificis provolutus veniam postulans ait: Ignosce mihi, Pater, & secundùm clementiam tuam indulge, quia nesciens peccavi, quod sic insipienter egi, da indulgentiam tuis devotis famulis. At ille respondens dixit. Si vos insipienter, & imprudenter fecissetis, ego à Deo indulgentiam postulâssem, & vobis libenter cum charitate debita ex toto corde dimisissem; quia verò secundùm Regulam Ecclesiasticam, & secundùm Monachorum instituta rectè judicâstis, juxtà possibilitatem virium mearum, veluti servus inutilis vestris obtemperavi præceptis. Nam sciebam, quòd ex sententia Pauli Apostoli frigori & nuditati & servituti corpus meum subjicere me oporteret; ipse enim dixit: [Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.] *Et rursum dicit.* [Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.] Nam quantùm in hoc sæculo flagellis atterimur, tantùm in futuro gaudebimus, & ideo nullus labor durus, nullum tempus longum, quoniam vita æterna acquiritur. Continuò fratres osculantes manus ejus & pedes, balneum & alia indumenta quasi ad aliquod corporis ejus solatium pararunt, & ad invicem mutuo talia verba dixerunt: Dominus nobis in hac nocte pro ejus augenda gloria, & pro lucris prœmiorum promerendis, hujus opera oculis hominum abscondita sed obtutui divino manifesta, nota facere voluit. Hucusque Godeschalcus. (rrrrr) Hæc Crux, inquit Reinerus, (sssss) *lapidea erat inter Oratorium & dormitorium,*

 ad

(rrrrr) Cap. 3. (sssss) Cap. 12.

ad hoc statuta, ut respectu ipsius Crucis, hi qui erant Christi, carnem suam devotiùs crucifigerent cum vitiis & concupiscentiis, & si quando graviusculis delinquerent excessibus, ad hanc addicti regulariter pœniterent. Est verò in Monasterio Stabulensi adhuc hodie signum Crucis eò loci positum, ubi hæc Crux olim erecta fuisse dicitur, ut observat Chapeavillus *(ttttt)* Canonicus & Vicarius Leodiensis, qui illud non semel vidit, & orationem facturus adiit. Præterea ob rei narratæ memoriam *in principali Ecclesia Leodii, ubi pretiosus Martyr* Lambertus *corpore requiescit*, mos iste primùm inolevit, ajunt Nicolaus *(uuuuu)* & Egidius, *(xxxxx) ut intra claustralia septa subdivo vexillum Crucis Dominicæ perpetuò stabiliretur, licèt nonnullæ hoc Ecclesiæ usurpare sibi videantur, alio quidem religionis genere.*

Simillima legitur Historia de Austrebertha illustri Abbatissa, quæ per idem tempus in Diœcesi Rotomagensi Pauliacense Monasterium regebat. Cùm ei moris esset, ut sicut bonus Pastor super gregem Domini vigilaret, & die noctúque circumiens, nequid cuiquam fortè accidisset, inspiceret, die quadam Matutinis expletis, cùm sorores fessis corporibus post laborem se in lectulis collocassent, in ipso lucis crepusculo cùm Aurora terram perfunderet, & ipsa volens cognoscere, an cunctæ quiescerent, pergrediebatur leniter per dormitorium, inspiciens lectulos singularum. Evigilánsque præposita, nesciens esse Dei famulam, valde eam increpavit dicens: Cur ita agis soror? quare inquietas quiescentes? Vade, inquit, ad Crucem. Illa autem gavisa cucurrit quantocyus, stetitque immobilis, donec horâ competenti signo facto consurgerent omnes. Præposita verò cùm cognovisset, quod fecerat, cadens ad pedes ejus, veniam precabatur. Hæc auctor vitæ. Vult Yepesius *(yyyyy)* Austrebertham stetisse expansis

(ttttt) In not. ad cap. 3. Godesc. *(uuuuu)* Cap. 8. *(xxxxx)* In addit. ad Anselm. c. 7. *(yyyyy)* Apud Bolland. d. 10. Febr.

pansis ad Crucem brachiis, eámque usitatam fuisse apud Belgas Monachos pœnitentiam, probare conatur allegato prædicti Lamberti exemplo, ideóque *ire ad Crucem* vertit *ire se Crucifixum*. Non diffitemur, inquit Carolus Cointius Annal. Eccles. Franc. ad an. 677. n. 10. p. 780. in usû olim fuisse, ut pœnitentes ad Crucem mitterentur; sed nec Lambertum Stabuleti, nec Austrebertham Pauliaci putamus extendisse ad Crucem sua brachia. Pœnitentes aut constituerunt ad Crucem, aut ad eam genua flexerunt. Quis credat, Abbatem Stabulensem, & Præpositam Pauliacensem fecisse tam inhumaniter, ut juberent Lambertum & Austrebertham brachia extendere ad Crucem, & ad plures horas id tormentum subire, quod nemo facilè ultra horæ quadrantem ferre possit? Quid igitur, posset Cointio Yepesius respondere, quid igitur S. Lioba Abbatissa Monialibus suis, dum fama earum pudicitiæ periclitaretur, *præcepit omnibus*, teste Rudolpho in vitâ *oratorium ingredi & extensis in Crucis modum brachiis stare, quoadusque singulæ psalterium totum ex ordine psallendo complerent*? An non deinde Godescalcus, Cointio ipsi laudatus, de S. Lamberto disertim testatur: quod ad Crucem steterit: *erectis manibus inflexibilia brachia extendens*? Utcunque se res habeat, mihi exempla SS. Lamberti & Austrebertæ adduxisse sufficit; quorum certè erga S. Crucem eximiæ devotionis fuit obsequium, quòd, cùm levissimè violati silentii culpam expiare jussi fuissent, magna humilitate & patientia per tempus non exiguum ad Crucem sub divo erectam constiterint. Ambo, Lambertus & Austrebertha illud Regii Psalmistæ usurpare poterant: *Ego pauper & dolens* (sive vigiliis, frigore, nuditate & cilicio carnem amore JEsu Crucifixi castigans) *laudabo nomen Dei cum cantico: & placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem & ungulas*. Psalm. 68.

Atque hæc sunt *Devotionis Obsequia*, quibus tametsi Majores nostri Crucem Christi devenerari studuerunt, summum


tamen ejusdem & maximum cultum in vita Cruci Christi conformi constituerunt. Ego verbis Apostoli 1. Cor. 16. præsens Opus *de Cultu S. Crucis in Ordine Divi Benedicti* concludo: *Qui non amat Dominum nostrum JEsum Christum, sit anathema, maranatha.* Sed quis ille est, qui non amat Christum? interrogat B. noster Petrus Damiani *Serm. de Invent. S. Crucis.* Quis enim nostrum, si de Christi dilectione consulitur, non protinus constanter, immò promptissimè se Christum diligere fateatur? Verùm ille non amat Christum, qui non amat Crucem Christi. Et qui sunt, qui Crucem Christi non amant? Audi Paulum manifesta eos voce notantem: *Philip. 3. Multi,* inquit, *ambulant, quos sæpe dicebam [nunc autem flens dico] inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est: & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt.* Quid multis? qui *opera carnis* faciunt, inimici sunt Crucis Christi. Opera verò carnis sunt, eodem Apostolo in epistola ad Galatas cap. 5. v. 19. recensente, *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Quisquis igitur Crucem Christi diligit, honorat, veneratur, ab operibus carnis abstineat necesse est. Per Crucem se Dei mandatis astringat, cohibeat. Sicut enim consentiendo carni, sententiam maledictionis incurrimus: sic refrœnando carnem, benedictionis gratiam promeremur. Ex torculari namque Crucis largissima benedictionis unda profluit, quæ maledictionis antiquæ virus omne detersit. Inde nimirum stillicidia charismatum cælestium proruperunt, quæ ariditatem humanarum mentium salubriter irrigant, omniúmque virtutum fruge fœcundant.

Hæc

Hæc ſubnotare neceſſe duximus, ne in cultû Crucis Dominicæ in graviſſimum incidamus errorem, exiſtimantes, tum nos erga eandem eſſe devotos, cùm varia Devotionis Obſequia eidem impendimus, vitam interea Cruci omnino difformem tranſigamus.

FINIS.



IN-



INDEX.

Rerum memorabilium quæ in hoc Opere continentur. Literæ D. P. deſignant Diſſertationem Prœmialem.


Arnul-

Eg-

Lu-

Tou-





PROTESTATIO AUTHORIS.

INſiſtendo Decreto SS. D. N. Urbani VIII. die 13. Martii An. 1625. ejúsque confirmationi die 1. Julii Anno 1641. editis debitâ obſervantiâ, profiteor non alio ſensû, quidquid in hoc Opere, in laudem cuiusquam refero, quod ſpeciem Sanctitatis, aut miraculi habere videatur, accipere vel accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem Divinâ *Catholicæ Romanæ Eccleſiæ* aut *S. Sedis Apoſtolicæ* nitantur. Iis tantummodò exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum Beatorum aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

